St. Dominic's Convent Benicia
1856.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

AD USUM SEMINARIORUM & COLLEGIORUM

AUCTORE J.-B. BOUVIER

EPISCOPO CENOMANENSI

UNDECIMA EDITIO

CÆTERIS MULTO AUCTIOR ET EMENDATIOR

LOGICA, METAPHYSICA, MORALIS



PARISIIS

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM

NUNC

J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORES

FACULTATIS THEOLOGIÆ BIBLIOPOLAS

Via Majorum Augustinianorum, 7

MDCCCLV.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesphi0000auct

PRÆFATIO

AD DECIMAM EDITIONEM.

Omnes scientiarum periti unanimi ore fatentur juvenes, gradibus humanitatum expletis, summa diligentia primis philosophiæ elementis imbuendos esse; ex his namque fundamentalibus documentis ingentia fluunt consectaria, ut quisquis, consuetos hominum mores attente observans, semper compertum habere debuit.

Qui enim primis sanisque hujus scientiæ principiis recte fuit instructus, accuratiori postea utitur methodo in discendo, in docendo, et in omni arte quam exercet.

Veritatis amans ac cupidus opera tenebrarum circumquaque sparsa et nomine philosophico decorata fastidit, vana pseudosapientium systemata alia ex aliis scaturientia spernit, a nefandis impiorum doctrinis abhorret, et a deflenda morum corruptela sedulo refugit. Supremum Numen ubique præsens jugiter conspicit, timet ac veneratur; propriam mentis suæ excellentiam futuramque ejus destinationem lætus agnoscit; nullis vitiis illam deturpandam, sed magis virtutibus exornandam curat; sicque

cunctis officiis sibi impositis perfecte fungens, vir optimus fit et apparet.

Hic autem, quando sic uberes philosophiæ fructus exponimus, non eam intelligimus philosophiam quæ sacrum revelationis lumen excludit, sed philosophiam vere christianam, quæ ratione humana, quantum licet, utitur, auxilium vero superni luminis gratanter accipit. Dicemus enim infra solam rationem prorsus insufficientem esse circa gravissimas quæstiones ad salutem hominis spectantes.

Qui vero in prima juventute rectas judicandi sciendique regulas non didicit, nec alte solideque eis fuit imbutus, per vias tenebrosas errat incertus et *omni vento doctrinæ circumfertur* [1]. Libros ac libellos bonos et malos sibi occurrentes promiscue legit, vel oculos temere in eos conjicit, nihil serio meditans nec attente considerans. Tunc imperfectas rerum notiones sine ordine in mentem suam congerit; contradictorias opiniones ubique videt, atque inter eas manet suspensus, æstimans incerta esse ipsamet certitudinis fundamenta. De veritate religionis mox dubitat; virtutis meritum et vitii turpitudinem cum præjudiciis præmature susceptis confundit. In ipso autem nascuntur cupiditates, quæ, nullo freno coercitæ, sed variis de causis potius excitatæ, vehementes fiunt tempestates; debilem rationem fulcimentis sibi necessariis destitutam obruunt, vires corporis elidunt, animi facultates obtundunt, naturam depravant, et infelicem juvenem in summam ruinam sæpe dejiciunt.

Quanti ergo sint momenti primaria philosophiæ documenta nemo non videt. Inde enim pendet in posterum tota cognitionum series, animi soliditas, amor veri, fuga falsi, sagacitas ad utrumque secernendum, morum integritas, vitæ ordinatio, pax familiarum, societatis bonum,

[1] Ephes. IV, 14.

et viri tum privati, tum publici felicitas. Incapax igitur, negligens vel improbus magister irreparabile damnum alumnis inferet, dum alter, e contra, doctus, diligens et factis dicta confirmans, teneros animos veri præceptis et seminibus virtutum fortiter, licet paulatim, imbuens, ad uberrimos optimæ educationis fructus colligendos feliciter disponet.

Ut autem exoptandum hunc assequatur finem, caveat ne juniores candidati inter obscura et incerta discurrant præcepta; diligentissime vero studeat nihil unquam, nisi perlucidum, invictis rationibus, antiquis traditionibus et veræ religionis documentis obfirmatum, ipsis exhibere. Eos adhuc cæcos et vacillantes quasi manu deducat, ideoque ab indigesta eruditione caute abstineat; ex longis namque dissertationibus viva voce expansis nihil fere capiunt auditores, præsertim juvenes; sæpe etiam verba sic prolata integre non audiunt, aut male intelligunt, vel cito obliviscuntur. Necesse est ergo ut sub oculis scriptum habeant candidati quidquid discere et memoria retinere debent.

At, fatentibus cunctis hac in re peritis, liber elementarius, erudiendæ juventuti convenienter accommodatus anno 1824, quo hæc rudimenta prima vice in lucem edidimus, omnino deerat.

In minoribus seminariis et in pluribus collegiis, philosophia quæ *Lugdunensis* dicitur, præbebatur alumnis; sed nullus erat professor qui, in ea, multa emendanda, prætermittenda vel addenda, non agnosceret.

Huic gravi incommodo quidam obviare volentes, cursus philosophiæ informare conati sunt magis completos scientiæque progressibus conformiores, alii in gallica lingua, alii in latina, juxta morem receptum. Inter ea opera, plura sunt vere commendanda, maxime illa quæ recentius edita sunt; plura vero sunt prolixiora nec finem

intentum attingunt. Quæ gallice scripta in collegiis habentur, circa res gravissimas, v. g. circa ea quæ spectant Deum, finem hominis, præcepta moralia, fidei rationisque relationes, etc., generatim nimis silent, ne plus dicamus; sæpius non exhibent nisi psychologicam analysim arduam et sterilem, prætermissis magni momenti quæstionibus.

Instantibus cedentes adhortationibus, promptius forte, hoc et ipsi adorti eramus opus, incommoda a nobis et ab omnibus agnita vitare volentes, simul et cupidi junioribus seminariorum alumnis elementa, ingenio, temporis spatio, laboribus præcedentibus et subsecuturis accommodata, tradere. Quando prima vice *Institutiones* nostras edidimus, fere nullum ex supradictis libris exstabat, ideo libentius communibus votis satisfacere tentavimus.

Præsentem philosophiæ cursum, jam novies prelis mandatum, antequam de novo in lucem prodiret, attente legimus, emendavimus et etiam auximus, ita ut, scientiæ actualis non omnino impar, notiones nunc omnibus necessarias præberet, simul et theologiæ a nobis ad usum seminariorum editæ fieret preambulum quasi necessarium, atque duo opera fere coalescerent in unum, sicut philosophia Christiana et Theologia unum corpus doctrinæ substantialiter efficiunt.

Itaque, experientia nostra sicut et aliorum ducti, id solum quod rectum et vere utile, non autem quod tantum subtile, multis difficile, omnibus fere sterile est, efficere desiderantes, vanas et abstrusas quæstiones in scholis olim agitatas prætermisimus; a controversis opinionibus, aliunde parvi momenti, abstinuimus. Attamen, quando de celebrioribus vel de gravioribus quæstionibus actum est, amplius immanendum esse duximus. Sic quæ spectant certitudinis fontes et de illis systemata varia, sive indigena, sive exotica, paulo fusius exposuimus. Sic etiam specialem de *Pantheismo* instituimus dissertationem, ut

errores in iismetipsis temporibus nimis sparsos impugnaremus, nec dici posset non nisi inutiles et antiquatas nos decertationes adire. Ideo sæpius quam antea, in causam adducti sunt ætatis nostræ philosophi, sive ut ab iis edoceremur, sive, e contra, ut falsas eorum doctrinas profligaremus.

Quasdam quæstiones gallice tractare voluimus, ut lingua philosophica, nunc in usu, et præsertim a Germanis mutuata, nimium deformata non appareret, junioresque alumni ad hodiernos libros intelligendos fierent aptiores.

Idearum theoriam, arduam sane, sed gravem et celebrem, clarius exponere conati sumus.

Alia multa, ut videre est, addidimus vel emendavimus, semper tamen finis a nobis intenti brevitatisque necessariæ memores.

Quoniam omnes nunc, scite vel inscite, de rebus politicis disserere volunt, conveniens, imo et necessarium duximus præcipua sanæ doctrinæ principia circa momentosam hanc materiam contexere, ut juveniles animi, iis rectissime imbuti, ab erroribus fundamenta ipsius societatis concutientibus se custodiant. Gravis quæstio de origine potestatis, in ea editione, ordine novo et lucidiori fuit exhibita.

Pluribus in locis usi sumus agumentis ex Scriptura sacra et traditione deductis, quæ ordinarie in Cursibus philosophiæ non adhibentur. Cum autem præsens opus specialius seminariis offeratur, necesse est quod juniores alumni hæc argumenta percalleant, et ex eis firmiorem gravissimis veritatibus adhæsionem hauriant. Eodem animo, et ut *Institutiones* nostræ *philosophicæ* et *theologicæ* corpus doctrinæ completum efficerent, dissertationem *de Angelis*, quæ natura sua ad theologiam refertur, adjunximus, limites hujus posterioris studio impositos prævidentes.

Attamen, cum notiones e revelatione deducendæ jam

in lectionibus catecheticis fuerint expositæ, aut in Institutionibus theologicis iterum et fusius exponendæ sint; cum, insuper, necesse sit alumnorum intelligentiam exercere, evolvere et ad recte ratiocinandum informare, argumentis e ratione sumptis maxime instabimus.

Experientia plurium annorum hac in parte acquisita comperimus nihil primos juniorum candidatorum progressus magis juvare, quam claritatem, ordinem et methodum: his qualitatibus idcirco præsentes philosophicas Institutiones adornare conati sumus potius quam sermonis elegantia. An sub omni respectu vel etiam ex parte scopum nobis propositum obtinuerimus, alii judicabunt. Enixe nunc, sicut in præcedentibus editionibus, rogamus professores ut, quod arguendum vel emendandum reprehenderint, benigna voluntate nobis indicare non dedignentur.

Huc usque dicta de præcedentibus editionibus hujus operis protulimus. Quædam vero alia de hac decima editione, quæ in lucem prodit, addenda sunt.

Recentis ad limina Apostolorum itineris faustam occasionem læti suscipientes, viros doctissimos ac in scientiis sacris versatissimos consuluimus circa Institutiones nostras tum theologicas, tum philosophicas. De prioribus dicere hic non est locus. De his autem posterioribus, pauciores sane indulgentesque nimis, cæteris benigne probatis, notas accepimus. Hujusmodi consiliis talique circa principia a nobis tradita suffragio fulti, nihil prætermisimus ut accurata revisio attentaque emendatio hanc novam editionem ad finem suum assequendum aptiorem faceret.

Utinam hic noster labor, Deo providente, intuitu boni a nobis intenti, in hoc bene successerit, felicemque habuerit exitum!

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ.

PRIUSQUAM veluti philosophiæ penetralia ingrediamur, quædam præmittendæ sunt notiones candidatis omnino necessariæ quæ dicuntur *prolegomena*, a duobus verbis græcis, πρὸ, *ante*, et λέγω, *dico*. Omnia hæc prolegomena in quadruplici capite breviter absolvemus : in primo quarumdam vocum, quæ frequenter occurrunt, necessarias dabimus explicationes; in secundo de philosophiæ definitione agemus; in tertio de ejus divisione, et in quarto quædam de argumentatione præmittemus.

CAPUT PRIMUM.

DE QUARUMDAM VOCUM EXPLICATIONIBUS.

Ens seu *res*, illud est quod existit vel existere potest. Itaque duplex est, scilicet possibile, et reale seu existens.

Existentia est unio realis partium vel attributorum quibus res constat.

Possibilitas est consensio attributorum quibus res quælibet constituitur, ita ut existentia ejus non repugnet : sic possibilitas montis aurei est consensio seu convenientia quæ concipitur inter montem et aurum. Nullam habet existentiam, nisi in mente eam concipiente.

Nihilum autem est illud quod non existit. Duplex distinguitur, videlicet positivum et negativum : *positivum* est illud quod non existit, sed existere potest, quales sunt res possibiles nondum existentes; *negativum* vero est illud quod neque est, neque fieri potest, ut mons sine valle.

Attributa alicujus rei sunt variæ ipsius qualitates. Alia dicuntur essentialia, et alia accidentalia. *Essentialia*, quæ et *constitutiva* vocantur, sunt illa sine quibus res nec esse nec concipi potest; verbi gratia, in triangulo, tria latera et tres anguli; sine uno enim ex his attributis non erit triangulum. *Accidentalia* sunt ea sine quibus res concipi et esse potest, licet quædam tamen de illis habeat, sive hæc, sive illa; exempli gratia, talis vel talis magnitudo non est essentialis triangulo : attamen si existat triangulum, necesse est ut determinatam habeat magnitudinem.

Attributa rei vocantur etiam promiscue *proprietates*. Proprietates sunt essentiales vel accidentales.

Collectio attributorum essentialium dicitur *essentia* rei; sic essentia trianguli in tribus lateribus et tribus angulis consistit. Essentia in se spectata non magis existit quam possibilitas.

Essentia rei vocatur adhuc *natura*, cum ea differentia, quod vox *natura* aliquando exprimit rem cum attributis essentialibus et accidentalibus, dum vox *essentia* de essentialibus tantummodo intelligitur. *Natura* etiam aliquando designat totam entium corporeorum collectionem; aliquando ipsum Deum naturæ creatorem.

Nulla res datur quæ sub aliquo respectu cum aliis rebus non conveniat, et sub altero ab eisdem non differat. Hinc inter rei attributa inveniuntur genus et differentia.

Genus, proprie loquendo, est collectio entium unum aut plura habentium attributa quibus sibi conveniunt et in eadem collectione junguntur. Non raro, tamen, vox *genus* accipitur pro attributo entibus ejusdem collectionis communi.

Collectio quæ vocatur *genus* ita universalis esse debet, ut dividi possit in alias collectiones quæ dicuntur *species*. Sic ens, universalissimum genus, naturaliter dividitur in entia corporea et entia incorporea : entia corporea dividuntur in entia animata et entia inanimata; entia animata dividuntur in animalia et in vegetalia; animalia dividuntur in rationabilia et bruta, etc.

Una collectio dicitur genus aut species juxta respectum

sub quo consideratur : sic vox *animal* est species respectu entis corporei et genus respectu collectionum sibi inferiorum. Hinc genus potest esse remotum vel proximum. Est *remotum*, quando multis aliis rebus est commune, et facile restringi potest; est vero *proximum*, quando res per illud convenit quidem cum aliis rebus specie diversis, sed numero quam paucissimis, ita ut restringi nequeat. v. g. si homo definiretur ens rationabile, genus esset remotum ; si definiatur animal rationabile, genus est proximum.

Quoties genus in plures dividitur species, unaquæque species habere debet attributum essentiale per quod ab aliis speciebus distinguatur. Hoc attributum vocatur *differentia*. Differentia autem potest esse propria vel minus propria. Est *propria* quando res per illam ab omnibus aliis rebus specie diversis segregatur; v. g. homo est animal rationale. Est vero *minus propria*, quando res per illam a quibusdam tantum aliis rebus secernitur; v. g. si homo definiretur, *animal duobus pedibus ambulans*, a quadrupedibus distingueretur, non autem ab aliis animantibus duos pedes habentibus.

Individua sunt ipsa entia quibus seorsim spectatis idem genus et eadem differentia conveniunt : v. g. homo respectu animalium est species; Petrus, Paulus, Jacobus, etc., sunt individua. Individuum sic dicitur, quia in alia entia ejusdem generis et speciei dividi non potest : unde exercitus non est individuum, sed individuorum collectio.

In entibus distinguuntur adhuc et substantia et modus. *Substantia* (a *sub* et *stare*) est id quod in se subsistit, nec indiget alio in quo suscipiatur, v. g. homo, domus, arbor, etc. *Modus*, e contra, est illud quod, juxta perceptionem nostram, existere non potest nisi in alio ente suscipiatur, v. g. color, figura, etc.[1]. Modus dicitur etiam *Modificatio*.

Ens potest adhuc esse subjectum vel objectum. *Subjectum* est illud in quo aliquid recipitur; sic substantia est

[1] Hic abstrahere volumus a quæstione alibi agitata, an scilicet accidentia seu modi per omnipotentiam Dei existere possint sine subjecto in quo resideant.

subjectum modi, mens nostra est subjectum philosophiæ. *Objectum* vero est illud circa quod ens aliud versatur; v. g. res naturales sunt objectum philosophiæ, res supernaturales objectum theologiæ, morbi curandi objectum medicinæ, etc.

Relatio est respectus unius rei ad rem, ut patris ad filium, et filii ad patrem.

Ordo est dispositio rerum relative ad finem intentum, vel relatio plurium ad unum : sic disponuntur milites ut faciant agmen, agmina ut faciant exercitum. Hinc nascuntur ordinatio, coordinatio, subordinatio, quæ voces facile intelliguntur.

Cognitio in genere est repræsentatio rei in nobis aliquo modo facta. Idem fere est ac notitia, et parum differt ab idea, de qua infra dicemus : attamen, in communi acceptione generalior esse videtur. Alia est intuitiva, et alia discursiva. Dicitur *intuitiva*, quando ita clare exhibentur objecta, ut mens nullo indigeat ratiocinio ad ea percipienda ; v. g. *Bis duo dant quatuor*. Est autem *discursiva*, quando objecta, mediante ratiocinio vel ope notionum jam acquisitarum, percipiuntur; v. g. æqualitas trium angulorum duobus angulis rectis in triangulo.

Dividitur in certam et probabilem. Cognitio *certa* ea est quæ inconcusso nititur fundamento ; et *probabilis* illa dicitur quæ gravi quidem, sed non certo innixa est fundamento, vel cum certo principio non certe conjuncta est.

Scientia est series cognitionum ex principiis inconcussis certo deductarum. Considerari potest ut *subjectiva*, *objectiva*, *speculativa* et *practica* : est subjectiva quando spectatur ut in mente existens, et refertur ad cognitionem, de qua supra : est vero objectiva si spectentur entia eorumque proprietates et relationes quorum obtinetur vel obtinenda est cognitio.

Scientia speculativa ea est quæ in objecto contemplando ac perlustrando sistit; et scientia practica est illa quæ docet aliquid faciendum vel operandum, unde nascitur ars.

Ars vero est operatio juxta regulas determinatas; experientia præcipue nititur, et circa externa versatur.

Distinguuntur artes liberales, sic dictæ quia olim a solis personis liberis exerceri solebant, ut poesis, musica, pictura, sculptura, eloquentia, architectura, etc.; et artes mechanicæ in quibus corpus præcipuas habet partes; v. g. ars cæmentaria, lignaria, ferraria, etc.

Eadem cognitionis species ars vel scientia esse potest, juxta respectum sub quo attenditur; v. g. arithmetica et geometria in se spectatæ, sunt scientiæ; ad opera externa applicatæ, fiunt artes.

Cognitio versari potest circa res naturales, vel circa res supernaturales. Res illæ dicuntur *naturales* quæ ad ordinem *naturalem* pertinent, et solo lumine rationis cognoscuntur aut cognosci possunt : illæ vero *supernaturales* vocantur quæ, supra *naturam* positæ, ope revelationis attinguntur et sunt objectum fidei.

Satis autem intelligitur quid sit *natura* vel *ordo naturalis* ut hæc apprehendi queant, nec ampliori explicatione hic opus videtur.

Fides in genere est adhæsio alicui notitiæ ex alterius testimonio; adhæsio ex auctoritate Dei est fides divina, quæ nunquam fallit; adhæsio vero ex testimonio hominum est fides humana, quæ, debitis vestita conditionibus, moralem parit certitudinem, ut infra ostensuri sumus, agendo specialiter de hominum testimonio circa facta.

CAPUT SECUNDUM.

DE DEFINITIONE PHILOSOPHIÆ.

Prius sciendum est quid sit definitio, deinde quid sit philosophia. Itaque dicemus 1° de definitione in genere, 2° de vera philosophiæ definitione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DEFINITIONE IN GENERE.

Quando de re aliqua disserendum occurrit, prius necesse est ut a quolibet objecto distinguatur, et sciatur quid per illam intelligendum sit. Ad hoc autem sæpe utendum est aliqua explicatione quæ vocatur *definitio*, quia statuit et *definit* quid sit objectum de quo habendus est sermo. Definitio igitur est *oratio explicans quid significat nomen vel quid res in se sit.*

Duplex distinguitur, una nominis et altera rei.

Definitio *nominis* iterum duplex est, una scilicet quæ vocatur etymologica, et altera significativa.

Etymologica ea est quæ exprimit unde vox aliqua suam ducat originem; v. g. vox *philosophia* venit a duobus verbis græcis, φίλος, *amicus*, et σοφία, *sapientia*. Igitur philosophia, juxta vim nominis, est amor sapientiæ, et philosophi debent esse amatores sapientiæ, alioquin immerito vocarentur philosophi.

Definitio *significativa* est illa qua aperimus quid hac vel illa voce intelligamus; v. g. si quis dicat se, per animam humanam, intelligere principium quod in nobis cogitat, parum curans in quo natura illius consistat, an sit corporeum vel spirituale. Unde patet definitionem nominis per se naturam rei non attingere.

Cum verba sint indifferentia, et nullam ex se habeant significationem determinatam, unusquisque poterit quolibet voluerit nomine hanc vel illam ideam designare; v. g. si mihi tantum loquerer, vel pro me solo scriberem, hominem appellare possem quercum, angelum, plantam, etc. Hinc patet imperiti et stulti esse definitionem nominis in controversiam adducere. Insipiens tamen merito judicaretur, qui a significatione vocum communiter accepta recederet.

Sæpe eodem sensu ab omnibus intelliguntur voces quibus utuntur homines secum loquentes, conferentes aut

discurrentes; tunc eas singulatim definire non solum inutile, sed ridiculum foret, et in sermone intolerabile. At ubi aliqua existit obscuritas vel incertitudo, statim adhibenda est definitio nominis, ut colloquentes idem habeant in mente. De hoc iterum infra, ubi de diversis sophismatum speciebus, et speciatim de ignorantia elenchi.

Definitio *rei* illa est quæ naturam rei explicat seu manifestat; duplex est: una imperfecta, quæ potius *descriptio* appellanda est; et altera perfecta seu accurata, quæ sola nomen *definitionis* proprie meretur.

Prior est ea quæ rem, ipsius qualitates tum essentiales, tum accidentales percurrendo et quasi enumerando, explicat; v. g. si homo definiretur animal intelligens, sociabile, providum, cognoscens, sapiens, amans, etc.; talis est etiam definitio equi apud Job, xxxix, 21 et seq. Hæc definitio, seu descriptio, maxime oratoribus convenit.

Posterior definitio, philosophis propria, illa est quæ præcise dicit quod necesse est et sufficit ut res intelligatur et a qualibet alia re distinguatur, ipsius qualitates essentiales solas enuntiando; ideo est: Oratio naturam rei per ipsius genus et differentiam explicans; v. g. homo est animal ratione præditum.

Ut accurata sit, tres requiruntur conditiones, videlicet, 1° ut sit clara, 2° ut sit brevis, 3° ut constet genere proximo et differentia propria.

1° *Debet esse clara*, ideo enim adhibetur ut contendentes vel discurrentes intelligant de qua re dicturi vel tractaturi sint; porro quod obscurum vel ambiguum esset, ad hunc finem conducere non posset. Ergo 1° debet esse clara.

2° *Debet esse brevis*, id est, nullos continere debet terminos redundantes aut superfluos. Quod enim superfluum est et redundans, potius obscuritatem parit quam ad rei explicationem confert. Porro definitio adhibetur ut ostendat quid sit res; ergo id solum exprimere debet quod necesse est ut res a qualibet alia re distinguatur. Ergo 2° debet esse brevis.

3° *Constare debet genere proximo et differentia propria.*

Accurata enim definitio totam rem definiendam et eam solam designare debet; porro id præstare non potest nisi constet genere proximo et differentia propria; si enim genus esset nimis remotum, vel differentia minus propria, tunc res definita ab aliis rebus perfecte non distingueretur, ut patet exemplis superius relatis, ubi de genere et differentia, pag. 8, 9.

Hinc accurata rei definitio debet convenire omni et soli definito, id est, omni et soli rei definitæ : si enim omni rei definitæ non conveniret, illam totam non repræsentaret; si soli rei definitæ non competeret, illam ab omni alia re non secerneret. Requiritur ergo ut sit reciproca, ita ut res definita dici possit de definitione, et definitio de re definita : v. g. triangulum est figura tribus constans lateribus et tribus angulis; figura tribus constans lateribus et tribus angulis est triangulum. Quoties autem definitio constat genere proximo et differentia propria, convenit omni et soli definito, seu est reciproca. Ergo 3° constare debet, etc.

Quando res ita per se clara est ut circa illam nullum existat dubium, ad definitionem recurrere non necesse est; imo definitio in hoc casu potius noceret quam prodesset : omnia quippe definire impossibile est, alioquin ipsæ definitiones in infinitum definiendæ essent. Si, e contra, res sit ignota, definiri nequit : nemo enim id explicare potest quod ignorat. Accuratæ igitur dari non possunt definitiones, quæ naturam rei manifestent, nisi res perfecte noscatur, quod rarum est. Multa sunt tamen objecta quorum plurimas cognoscimus proprietates; tunc per hujusmodi proprietates illas definimus, et hoc sufficit ut ad planiorem eorum notitiam pervenire tentemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VERA PHILOSOPHIÆ DEFINITIONE.

Philosophia exhibetur a Cicerone, Tuscul. I 3, n° 5, ut *vitæ dux, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix.*

Affirmat ibidem sapiens Romanus eam urbes peperisse, homines dissipatos in societatem convocasse, eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisse ; legum esse inventricem, morum et disciplinæ magistram ; eamque definit, *divinarum humanarumque rerum, tum initiorum, causarumque, tum cujusque rei cognitionem.*

PROPOSITIO.

Philosophia recte definiri potest : Scientia ex primis principiis deducta.

Prob. Illa definitio est legitima quæ cunctas habet conditiones ad legitimam definitionem requisitas : atqui præsens definitio cunctas habet conditiones, etc. Conditiones enim ad legitimam definitionem requisitæ, sunt ut sit clara, brevis, et constet genere proximo ac differentia propria : atqui nostra definitio tres habet conditiones istas.

1° *Est clara ;* nulla enim in ea reperitur vox ambigua aut obscura, siquidem voces quibus constat sensu obvio accipiuntur. Ergo 1° est clara.

2° *Est brevis ;* est enim brevis, si nulla vox tolli possit quin sensus obscuretur vel immutetur : atqui nulla vox e definitione nostra tolli potest quin sensus obscuretur vel mutetur, ut patet. Ergo 2°, etc.

3° Constat genere proximo, nempe voce ista, *scientia*, qua philosophia convenit cum theologia ; et differentia propria, videlicet his verbis, *ex primis principiis deducta*, quibus a theologia secernitur : sicque nostra definitio convenit omni et soli rei definitæ. Omnis quippe scientia ex primis principiis deducta est philosophia, et sola philosophia est scientia ex primis principiis deducta. Ergo 2°, etc. Aliunde est brevis ; insuper est clara : ergo definitio nostra tres habet conditiones, etc. Ergo est legitima.

Diximus, *philosophia recte definiri potest,* non vero definienda est, ne alias excluderemus definitiones quæ ferme ad eumdem sensum reducuntur. Quidam enim philosophiam definiunt : *Cognitio rerum naturali lumine cognoscibilium ;* alii : *Cognitio rerum naturalium per discursum comparata ;* alii : *Scientia rerum naturalium ;* alii : *scientia ex ratione ;* alii quædam mutant, substituunt aut transferunt verba, et idem semper exprimunt. Nullam cum illis instituere volumus controversiam.

Dicemus tamen infra, ubi de divisione philosophiæ, nos in his Institutionibus, non eam aggressuros esse juxta totam extensionem quæ ex ejus definitione intelligitur.

Sic etiam plerique de philosophia nunc tractantes ; et ideo plures philosophiam definiunt in sensu strictiori, videlicet, juxta scopum ab ipsis intentum.

Sic D. *de Bonald* (*Recherches philosophiques,* t. I, p. 80) illam dixit : *La science de Dieu, de l'homme et de la société.* Sed hæc definitio cognitiones theologicas seu supernaturales complectitur, et cognitiones physicas, mathematicas, etc., quæ tamen sunt philosophicæ , non exprimit, saltem directe et evidenter. Non accuratior est hæc alia philosophiæ definitio quam antea tradiderat D. *de la Chambre,* dicens : *La philosophie est la connaissance de Dieu, de l'homme et du monde.*

Merito igitur concludere possumus definitionem nostram his et aliis hujusmodi definitionibus anteponendam esse.

Prima principia ex quibus cognitiones philosophicæ deducuntur, sunt veritates generales, per se notæ et ab omnibus admissæ, quæ probatione non indigent. Proprie non sunt philosophicæ, et tamen ad philosophiam pertinent tanquam ipsius fundamentum, sicut radices ad arborem.

Attamen, quamvis philosophiam dicamus esse scientiam ex primis principiis deductam, cum hunc Philosophiæ cursum Theologiæ nostræ elementari accommodare volumus, testimoniis ex Scriptura sacra et traditione desumptis propositiones nostras fulcire non omittemus,

quoties id expedire nobis videbitur ad majorem veritatis elucidationem ac firmitatem.

CAPUT TERTIUM.

DE DIVISIONE PHILOSOPHIÆ.

Quædam dicenda sunt 1° de divisione in genere, et 2° de divisione philosophiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVISIONE IN GENERE.

Divisio est totius in suas partes distributio. Id autem dicitur *totum* quod ex partibus a se distinctis vel spectatis ut distinctis coalescit. Triplicis generis distinguitur, scilicet physicum, metaphysicum et logicum.

Totum physicum illud est quod habet partes a se realiter distinctas, ut corpus organicum, arbor, domus; et potest esse vel naturale, ut arbor; vel factitium, ut domus; vel conventionale, ut exercitus.

Totum metaphysicum est illud cujus partes non distinguuntur, nisi per idearum præcisionem : v. g. Deus, Angelus, mens humana, etc.; similiter in quolibet corpore tres dimensiones, longitudo, latitudo et profunditas, abstractive sumptæ.

Totum logicum illud est quod per modum ideæ generalis de pluribus rebus distinctis affirmari potest, ut genus respectu specierum, et species respectu individuorum : sic animal respectu hominis cæterorumque animalium, et homo respectu Petri, Pauli et aliorum individuorum.

Partes totius possunt esse essentiales, vel integrantes. Sunt essentiales quando, una deficiente, ens non concipitur ut tale; sic organisatio, sensibilitas et rationabilitas

sunt partes hominis essentiales : oculi, brachia, crura sunt partes corporis integrantes, quia una aut pluribus ex illis deficientibus, nihilominus concipitur corpus organicum, sed non integrum.

Varia igitur est divisio secundum totius dividendi naturam. Idem ipsius est scopus ac definitionis. Quæ enim sunt obscura definiuntur ut veritas pateat; quæ vero sunt æquivoca vel confusa, dividi debent ut æquivocatio tollatur, vel claritas magis elucescat.

Ut accurata sit divisio, tres requiruntur conditiones, videlicet 1° ut totum adæquet, ita ut nec plura nec pauciora sint membra in divisione quam in toto dividendo ; alioquin jam non esset totius in partes suas distributio ; hinc genus humanum male divideretur in albos et nigros homines.

2° Ut membra ita sint distincta, ut unum de altero dici nequeat. Hinc extensio recte dividitur in lineam, superficiem et solidum, quia, licet linea in superficie contineatur, de illa prædicari non potest, dicendo, v. g. linea est superficies, superficies est linea.

3° Requiritur ut membra divisionis sint proxima, alioquin clarus non institueretur ordo : sic vivens male divideretur in hominem, belluam et plantam ; prius dividendum foret in animal et plantam ; deinde animal subdivideretur in rationale et irrationale.

Cavendum est ne superfluis partibus vel subdivisionibus redundet divisio : tunc enim non claritatem, sed confusionem potius generaret.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE GENUINA PHILOSOPHIÆ DIVISIONE.

Patet ex definitione nostra omnes disciplinas naturales, quatenus scientiæ sunt, ad philosophiam generatim sumptam pertinere, atque varias ipsius esse partes. Cum tamen disciplina, quæ philosophia specialiter nuncupatur, aliarum scientiarum et artium elementa tantum aliquo sensu

suppeditet, philosophia elementaris appellatur, et quæritur quomodo dividi debeat.

In acquirenda scientia rerum naturalium sequens instituendus videtur ordo : 1° tradendæ sunt regulæ quibus errores tuto caveantur et veritas firmis rationibus stabiliatur. 2° Mens hujusmodi regulis instructa, scrutandis veritatibus quæ majoris sunt momenti statim incumbere debet : porro nihil majus aut præstantius est quam Deus, infinita ejus attributa, angeli et mens humana : juvat ergo ut de Deo, de angelis, et de mente humana primum philosophice tractemus. De angelis tamen, uti in præfatione monuimus, tractantes, argumentis a theologia traditis, quasi per anticipationem, utemur. 3° Posita existentia alterius vitæ beatæ vel miseræ, prout quisque bona vel mala gesserit, statim investigandum occurrit quæ vitia fugere, quas virtutes excolere oporteat. 4° Nihil postea laudabilius et homine sapienti dignius est, quam mundi naturam contemplari, et innumera ac stupenda ejus arcana perscrutari. Unde philosophia vulgo dividitur in logicam, metaphysicam, moralem et physicam. *Logica* de operationibus mentis notræ in ordine ad veritatis disquisitionem tractat. *Metaphysica*, de entibus supra naturam corpoream positis; *Moralis*, de regulis morum; et *Physica*, de corporibus. Ad eam revocandæ sunt mathesis et ejus partes, astronomia, geographia, mechanica, architectura, chymia, etc. De quarta hac parte, quæ nunc est immensa et lingua latina convenienter tractari non potest, hic non agemus. De tribus aliis separatim dicturi sumus. Dominium philosophiæ sat adhuc est extensum et altum ut hæc disciplina sit nobilissima ac cunctis conatibus nostris dignissima. Quod ex dicendis perlucide patebit.

CAPUT QUARTUM.

DE ARGUMENTATIONE.

Quædam tantum de idea, judicio, propositione, ratiocinio et argumentatione hic delibaturi sumus, pro juniorum philosophiæ candidatorum utilitate, fusius alibi de iisdem tractaturi.

1° *Idea* generatim spectata est mera alicujus objecti repræsentatio in mente existens, tum affirmationis, tum negationis expers.

2° *Judicium* est actus mentis ideas jungentis vel disjungentis. Itaque aliud judicium est affirmans, v. g. *Deus est æternus:* et aliud negans, v. g. *Deus non est crudelis.* Judicium vocibus expressum dicitur *Propositio.*

3° *Propositio* igitur recte definitur : Oratio judicii interpres. Tria distinguenda sunt in omni propositione, videlicet subjectum, attributum et copula. *Subjectum* est illud de quo aliquid affirmatur vel negatur. *Attributum* est illud quod de alio affirmatur vel negatur. *Copula* nectit attributum cum subjecto, et exprimitur per verbum *sum, es, est;* illud non disjungit nisi præmittatur particula negans. Sic in ista propositione : *Deus est æternus, Deus* est subjectum, *æternus* est attributum, et copula in verbo *est* reperitur.

4° *Ratiocinium* est actus mentis quo unum judicium ex pluribus aliis deducitur ; v. g. *Mens humana cogitat ; atqui substantia cogitans non est corporea : ergo mens humana non est corporea.*

In omni ratiocinio completo reperiuntur antecedens, consequens et consequentia. *Antecedens* ea complectitur judicia ex quibus aliud deducitur; *consequens* est judicium quod ex aliis refertur, et *consequentia* est connexio

seu vinculum consequentis cum antecedente. Unde in hoc ratiocinio :

Omnis virtus est laudabilis :
Atqui diligentia est virtus :
Ergo diligentia est laudabilis,

duo priora judicia constituunt *antecedens*, quia ex iis tertium deducitur, scilicet, *Diligentia est laudabilis*. Ultimum istud judicium est *consequens*. *Consequentia* per hanc particulam, *ergo*, exprimitur.

Consequens et consequentia plurimum inter se differunt : 1° enim consequens est judicium quod ex aliis infertur, et consequentia est connexio istius judicii cum antecedente. 2° Interdum vera est consequentia dum falsum est consequens, v. g.

Quod habet partes est divisibile :
Atqui mens humana habet partes :
Ergo est divisibilis.

Certum est enim mentem humanam divisibilem esse, ex hypothesi quod habeat partes.

3° Consequens potest esse verum, quamvis falsa sit consequentia, ut in isto argumento :

Antichristus erit homo :
Ergo erit impius.

Antichristus quidem erit impius, sed non quia futurus est homo.

4° Quandoque distinguitur consequens, quia, cum vocibus exprimatur, æquivocum esse potest. Numquam vero consequentiâ ; vel enim consequens deducitur ex antecedente, vel non : in priori casu, existit connexio ; in posteriori casu, nulla est connexio. Semper igitur concedenda vel neganda est consequentia.

5° *Argumentatio* definitur : Oratio ratiocinii interpres. Præcipuæ ejus species sunt syllogismus et enthymema.

Syllogismus est argumentatio tribus constans propositionibus ita dispositis, ut ex duabus prioribus tertia necessario sequatur. Sic in exemplo superius citato : Omnis virtus est laudabilis, etc.

In omni syllogismo tres sunt termini, qui vocantur *majus extremum*, *minus extremum*, et *medius terminus*. *Majus extremum* est attributum conclusionis ; *minus extremum* est subjectum conclusionis, et *medius terminus* ille est qui velut mensura adhibetur ad detegendam convenientiam aut discrepantiam duorum extremorum.

Tres propositiones quibus constat syllogismus nominantur *major*, *minor*, et *conclusio*. *Major* illa est propositio quæ continet majus extremum, id est, attributum conclusionis cum medio termino. *Minor* complectitur minus extremum, id est, subjectum conclusionis cum medio termino. Ambæ simul sumptæ dicuntur *præmissæ*. *Conclusio* ea est propositio quæ ex duabus aliis infertur. Hinc in sequenti syllogismo :

Omnis virtus est laudabilis :
Atqui diligentia est virtus :
Ergo diligentia est laudabilis,

prima propositio est major, secunda minor, et tertia conclusio.

Laudabilis est majus extremum, *diligentia* minus extremum, et *virtus* medius terminus.

Enthymema est argumentatio duabus constans propositionibus, quarum una ex altera deducitur : prior dicitur *antecedens*, et posterior vocatur *consequens* : v. g.

Omne bonum est amandum :
Ergo Deus est amandus.

Hæc argumentatio in eo differt a syllogismo, quod una præmissarum, sive major, sive minor, reticeatur : v. g. in exemplo allato, hæc propositio, *Atqui Deus est bonus*, quæ subintelligitur, est minor. Major pariter taceri potuisset, dicendo :

Deus est bonus :
Ergo est amandus.

DE METHODO ARGUMENTANDI.

Qui aliquam veritatem demonstrare intendit, primum eam accurate, si opus sit, definire debet; deinde eam proponit, dicens, v. g. *Mens humana est simplex*, etc. Igitur hæc assertio dicitur *propositio* vel *thesis*.

Postea thesis per argumenta probatur, et in ultima propositione, quæ est totius argumentationis conclusio, affirmatur, v. g. *Ergo mens humana est simplex*, etc.

Qui thesim impugnare sibi proponit, contra illam argumentatur. Respondens autem argumentum integrum de verbo ad verbum, quantum fieri potest, bis repetit, prima vice simpliciter narrando, et secunda singulas propositiones notando his verbis, *concedo*, *nego*, *distinguo majorem*, *minorem*, *antecedens*, *consequens*, prout propositio videtur vera, falsa vel æquivoca. Dici potest etiam, *esto*, vel *transeat*, si nempe propositio judicetur dubia vel gratuita, et, ea admissa, legitima non sit consequentia. Tunc, responsione data, ad propositionem gratis admissam vel dubiam redire licet, addendo : Dixi *esto* vel *transeat*, quia, etc., et ostenditur illam esse dubiam, vel nullo fundamento innixam.

Ubi distinguuntur propositiones æquivocæ,

1° Assignanda sunt membra distinctionis;

2° Definienda et explicanda sunt, si per se clara non sint;

3° Concedenda est propositio in sensu quo vera est, et, si opus sit, datur ratio cur concedatur;

4° Negatur eadem propositio in sensu quo falsa est, et datur ratio negati;

5° Deinde ostenditur consequens ex antecedente bene intellecto inferri non posse.

Totum artificium evolvendæ distinctionis sequenti versu continetur :

Divide, defini, concede, negato, probato.

PARS PRIMA.

LOGICA.

Logica, a voce græca λόγος, *verbum* seu *sermo*, sic dicta, quia mentis operationes et verba quibus exprimuntur dirigit, vocari potest, quoad vim nominis, disciplina sermocinatrix.

Dialectica quoque nuncupatur, a dialogis quos inter se habebant logici, interrogando, respondendo, objiciendo et solvendo; qui dicendi modus a Platone aliisque magni nominis philosophis usurpatus est.

Duplex distinguitur logica, naturalis scilicet et artificialis. Logica *naturalis* est facultas quam habemus a natura cogitationes nostras ad verum juxta aliquem ordinem dirigendi. Sic rustici et artifices in multis sæpe optime ratiocinantur.

Logica *artificialis* est cognitio regularum quibus hæc facultas dirigitur et perficitur, et definiri potest: Scientia mentis operationes dirigens tum in studio, tum in manifestatione veritatis.

1° Dicitur *scientia*, quia, ex principiis certis proficiscens, demonstrat quod docet: est simul ars, si spectetur ut exercitium ratiocinandi et argumentandi. Quia tamen logici eam sub priori respectu considerant, vocem *scientia* voci *ars* præferendam esse duximus.

Dicitur 2° *mentis operationes dirigens*: per illas voces logica a cunctis aliis scientiis et artibus secernitur.

Dicitur 3° *tum in studio, tum in manifestatione veritatis*; quæ voces finem logicæ modo generali exprimunt.

A multis logica definiri solet *ars cogitandi*; sed illa de-

finitio, brevissima quidem, prima conditione ad legitimam definitionem requisita, videlicet claritate, gaudere non videtur; non clare enim percipitur quid significet vox *cogitandi*, nisi explicetur. Nostra igitur definitio convenientior videtur.

Cogitationes nostras attente considerantibus patet aliud esse objecta simpliciter nobis repræsentare; aliud quidquam de illis pronuntiare; aliud cogitationes ex aliis cogitationibus deducere, et aliud eas ordinare. Unde logica in quatuor dividitur dissertationes, quæ de idea, de judicio, de ratiocinio et de methodo tractant: quinta additur, de existentia et motivis certitudinis.

DISSERTATIO PRIMA.

DE IDEA.

Idea, a voce græca εἴδω, *video*, derivatur. Considerari potest prout est in mente, vel prout extra mentem profertur. Duplex igitur dissertationis erit caput.

CAPUT PRIMUM.

DE IDEA PROUT IN MENTE EXISTIT.

Idea prout in mente existit, seu ratione sui generatim spectata, et latiori sensu sumpta, definiri solet: Mera alicujus objecti repræsentatio existens in mente. Dicitur 1° *mera*, id est, *simplex* repræsentatio, quia nihil affirmat aut negat de objecto. Dicitur 2° *representatio alicujus objecti;* ubi enim aliquod objectum percipimus, illud quodam modo in mente nostra fit præsens, non tamen semper sub imagine corporea; multa siquidem percipimus objecta pure intellectualia quæ sub nulla imagine

repræsentari possunt, qualia sunt, v. g. cogitatio, affirmatio, negatio, etc. Hic non attingimus modum quo in mente fit ista repræsentatio. Dicitur 3° *in mente;* non autem requiritur ut objectum extra mentem realiter existat : dantur enim ideæ rerum mere possibilium, v. g. montis aurei, fluminis lactei, etc.

Hinc nulla datur idea nihili; idea enim, ex dictis, est repræsentatio objecti : atqui nihilum non est objectum quod repræsentari possit, siquidem, juxta vulgare axioma ab omnibus receptum, *Nihili nullæ sunt proprietates.* Nec sufficit dicere, cum quibusdam, ideam nihili esse modificationem animi haud quidquam repræsentantem, talis quippe definitio nihil explicat, et rationes quæ pro hac opinione afferri solent, meræ sunt cavillationes viro sapienti prorsus indignæ.

Pauca nobis dicenda sunt, 1° de idearum divisione, 2° de earumdem proprietatibus, 3° de præcipuis functionibus mentis circa eas.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IDEARUM DIVISIONE.

Ideæ considerari possunt ratione originis, ratione objecti repræsentati, et ratione modi quo repræsentantur.

1° *Ratione originis* dividuntur a multis in innatas, adventitias et factitias. Illæ dicuntur *innatæ* quæ primo existentiæ nostræ instanti a Deo in mentibus nostris imprimuntur. Alii tamen eas aliter definiunt. Quid de hujusmodi ideis sentiendum sit videbimus in Metaphysica.

Ideæ *adventitiæ* sunt illæ quæ decursu temporis variis ex causis in mente nostra nascuntur, sive occasione objectorum externorum, sive occasione aliarum idearum jam acquisitarum, vel a Deo immediate conceduntur. Oppositæ sunt ideis innatis.

Ideæ *factitiæ* sunt illæ quas ex aliis ideis jam habitis componimus. Plures eas appellant *notiones.* Talis est idea montis aurei, quam ex idea montis et ex idea auri efformamus.

2° *Ratione objecti* ideæ dividuntur 1° in ideam rei seu substantiæ, modi et rei modificatæ; 2° in ideam rerum sensibilium, intellectualium et moralium; 3° in ideam simplicem, complexam et compositam; 4° in universalem, communem, particularem et singularem.

1° Idea *rei* vel substantiæ ea est quæ substantiam in se sumptam et sine ullo respectu ad ipsius qualitates exhibet, v. g. idea hominis, arboris, etc. Idea *modi* ipsas substantiæ modificationes per abstractionem repræsentat, v. g. rotunditatem, quadraturam, albedinem, etc. Idea *rei modificatæ* substantiam cum modo suo repræsentat, v. g. turrim quadratam, hominem doctum, etc. Dicitur etiam *idea concreta :* priores vero ideæ appellantur *abstractæ.*

2° Ideæ *rerum sensibilium* exhibent objecta corporea quæ sensus afficiunt vel sub sensibus cadere possunt. Quinque enim habemus sensus, scilicet, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum per totum corpus diffusum. Mediantibus illis, corpora circa nos stantia diverse mentem nostram afficiunt : affectiones autem istæ, quatenus in mente imprimuntur, vocantur *sensationes;* quatenus vero objecta repræsentant, sunt ideæ rerum corporearum, seu imagines objectorum ope hujusmodi idearum. Alia per analogiam nobis repræsentamus objecta quæ sensus nostros nunquam affecerunt; tales ideæ vocantur *imaginationes.*

Ideæ rerum *intellectualium* ea nobis exhibent objecta quæ nullo modo sensus per se commovere possunt, qualia sunt principia scientiarum eorumque consecutiones : vocantur *perceptiones, apprehensiones, conceptiones.*

Ejusdem naturæ sunt ideæ rerum *moralium*, quæ videlicet morales hominum actiones bonas vel malas, earumque principia et regulas repræsentant.

3° Idea est *simplex* quando repræsentat objectum ita unum ut in se spectatum dividi nequeat; tales sunt ideæ affirmationis, negationis, rectitudinis, etc. Idea *complexa* ea est cujus objectum est qualificatum; talis est idea Dei omnipotentis, hominis docti, deambulantis vel sedentis. Idea *composita* ea est cujus objectum ex pluribus partibus

constat : quales sunt ideæ domus, arboris, hominis, etc. Nunquam est composita ratione sui, ut infra ostendemus, sed ratione objecti. Si objectum plura exhibeat objecta ejusdem speciei ut aliquid unum, ejus repræsentatio dicitur idea *collectiva* ; sic idea exercitus : ad ideam compositam evidenter revocatur. Quidam quoque has ideas *notiones* vocant. Quid de illis sentiendum sit in Psychologia aperiemus.

4° Idea *universalis* ea est quæ omnia ejusdem speciei entia repræsentat ; v. g. idea hominis in genere : dicitur etiam *generalis*. Si partem tantum repræsentat, est *particularis*, et duplex aliquando distinguitur : si majorem partem, *communis* dicitur ; si minorem, simpliciter *particularis* : sic idea multorum vel quorumdam hominum. Ad hanc speciem reducitur idea *indefinita*, quando scilicet pars repræsentata non determinatur : v. g. idea Gallorum sagacium. Si vero uni determinato, vel aliquibus individuis determinatis applicetur, v. g. Petro, vel Jacobo et filiis ejus, est idea *singularis*.

5° Ideæ, *ratione modi quo objectum repræsentatur*, dividuntur in ideas adæquatas, et ideas inadæquatas. Ideæ *adæquatæ* illæ sunt quæ omnes alicujus objecti respectus omnesque ejus proprietates repræsentant. Solus Deus tales omnium rerum habet ideas. Ideæ *inadæquatæ* aliquas duntaxat proprietates objecti repræsentant : ejus modi sunt omnes ideæ nostræ ; in minimis enim objectis quædam existit proprietatum et relationum infinitudo quæ vires intelligentiæ nostræ superat.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IDEARUM PROPRIETATIBUS.

Idearum proprietates sunt earum veritas et falsitas, claritas et obscuritas, distinctio et confusio, comprehensio et extensio.

§ I. — De idearum veritate et falsitate.

Celebris olim exstitit controversia circa veritatem et

falsitatem idearum. Docet enim Aristoteles ideas esse aliquando veras, et aliquando falsas; contendit *Descartes* ideas semper esse veras; affirmat *Locke* (*Essai philosophique concernant l'entendement humain*, *t.* IV, *p.* 29) ideas neque veras esse, neque falsas.

Sed e verbis non eodem modo intentis oriri videtur illa disputatio, et in meram *logomachiam* desinere, id est, in disputationem de verbis. Etenim veritatem idearum deducit Aristoteles ex objecto earum occasionali; porro ideæ non semper sunt conformes objecto suo occasionali; sic, ad præsentiam arboris a longe stantis, aliquando nascitur idea turris : merito igitur concludebat ideas modo veras esse, modo falsas.

Descartes, e contra, contendit veritatem idearum ex objecto in mente repræsentato deducendam esse, et idcirco pronuntiat omnes esse veras, quia omnes objecto in mente repræsentato sunt conformes. Objectum enim in mente repræsentatum est ipsamet idea : hinc idea lupi ad præsentiam canis est vera.

Juxta *Locke* nulla est veritas aut falsitas ubi nulla est affirmatio aut negatio. Porro ideæ non affirmant neque negant, sed objecta simpliciter repræsentant : ergo neque veræ sunt, neque falsæ.

Vulgo illæ ideæ dicuntur veræ quæ objectum externum repræsentant ut in se est; et illæ reputantur falsæ quæ idem objectum non exhibent ut in se est. Sed in rei veritate illæ dicendæ sunt veræ quæ objecto percepto sunt conformes : porro omnes ideæ objecto percepto reipsa sunt conformes; v. g. si in præsentia aurichalci, habeatur idea auri, objectum perceptum erit aurum, non vero aurichalcum. Error igitur non erit præcise in idea seu repræsentatione objecti, sed in judicio quo hæc repræsentatio mentis immerito tali applicatur objecto.

§ II. — De claritate et obscuritate idearum.

Idea est *clara* quando vivide suum exhibet objectum, quemadmodum si in pleno sole illud conspiceremus. Illa vero dicitur *obscura* quæ objectum velut in umbra relin-

quit, et imperfecte tantum illud repræsentat; sic obscure nobis exhibentur objecta corporea sub nascentibus tenebris. Unde istius modi obscuritas non præcise ab idea, sed potius a defectu ideæ seu visionis mentis provenit. Nihilominus in usu communi ideæ dicuntur claræ vel obscuræ, prout mens perfectius vel minus perfecte objecta deprehendit.

§ III. — De idearum distinctione et confusione.

Ideæ sunt *distinctæ* quando earum objecta ita per nonnullos characteres exhibentur ut ab aliis facile secernantur, v. g. idea Petri, domus, seminarii, etc. Idea autem est *confusa* quando exhibet objectum ab aliis non sufficienter distinctum, ut, v. g., qui homines eminus videns, dubitat an sint armati nec ne, an amici vel inimici : unde confusio non magis ab idea provenit quam obscuritas, sed ab ignorantia seu a defectu ideæ. Ergo, proprie loquendo, non magis sunt ideæ confusæ, quam ideæ obscuræ. Recte tamen plures hujusmodi ideæ in communi loquendi modo vocantur confusæ, quia objecta non satis distincte repræsentant.

§ IV. — De idearum comprehensione et extensione.

Comprehensio est complexio attributorum quæ naturam alicujus rei constituunt; v. g. comprehensio hominis sunt ea omnia quæ efficiunt ut homo sit homo, potius quam planta vel lapis, videlicet animal tas et rationabilitas, aut intelligentia et organa ei subministrantia.

Extensio vero est collectio individuorum quæ sub eadem idea comprehenduntur; v. g. extensio ideæ hominis sunt ii omnes qui habent naturam humanam, id est omnes homines.

ARTICULUS TERTIUS.

DE FUNCTIONIBUS MENTIS CIRCA IDEAS.

Quemadmodum videre et inspicere, audire et auscultare possumus, sic et sentire ac in sensationes reflectere,

percipere et circa perceptiones agere. Præcipuæ autem functiones mentis circa ideas, sunt attentio, abstractio et comparatio. Operationes istæ præviæ sunt ad eas quibus ultra simplicem perceptionem proceditur, et quas expendemus ubi de judicio et ratiocinio.

§ I. — De attentione.

Attentio est ea mentis operatio qua ideas velut ante oculos suos sistit, ut eas retineat et diligentius inspiciat. Hæc facultas imbecillitatem mentis nostræ denotat : si enim omnia unico intuitu conspiceremus, inutilis, imo et impossibilis esset hujusmodi attentio ; sic Deus, proprie loquendo, non attendit nec reflectit. Sed propter infirmitatem naturæ nostræ, nobis necessaria est attentio ; sine attentione enim ideæ leviter animam perstringerent, statim effugerent, et nullam sui memoriam relinquerent : attentio igitur et continua reflexio principium sunt omnium scientiarum.

Hinc multi juvenes, etiam in scholis publicis studentes, nihil fere discunt, aut quæ didicerunt statim obliviscuntur, quia vim sibi inferre nolentes, ad ideas non attendunt, aut in attentione non perseverant : sic rusticus, qui totam degit vitam inter infinitas animalium multitudines et plantarum varietates, nihil in eis deprehendit, nec innumeris commovetur sapientiæ mysteriis, quæ periti naturæ observatores anhelantes quotidie demirantur : sic infans vel ignarus conspicit, percurrit, legit librum, et nihil in illo percipit. Sic et nos sidera aspicimus, et leges quas sequuntur ne quidem advertimus.

Quicumque ergo docti fieri volunt, attentioni et reflexioni sedulo incumbant, atque ideo frequentiora hominum consortia, mundi strepitus, comessationes, potationes, et præsertim inordinatas carnis voluptates fugiant. Experientia enim constat nihil magis idoneum esse ad excitandam fovendamque mentis attentionem quam silentium, pacem, tranquillitatem, parcum alimentorum usum, sensuum custodiam, et in primis strictam libidinum coercitionem.

§ II. — De idearum abstractione.

Abstractio, seu *præcisio*, est operatio qua mens unam aut plures alicujus objecti proprietates, cæteris relictis, considerat. Dicitur abstractio et præcisio, quia mens, per hanc operationem, quasdam proprietates objecti ab aliis ejusdem objecti proprietatibus abstrahit et quasi præcidit. Si, v. g., malum vel pirum coram oculis meis sistitur, habet figuram, colorem, odorem, saporem, mollitiem vel duritiem, et, si cadat, quemdam excitat sonum; unam ex his qualitatibus, seorsim sumptam, considerare possum. Geometra quærens quot sint jugera in agro, non totum simul metitur, sed separatim longitudinem ejus et latitudinem; deinde unum numerum per alterum multiplicans, totam cognoscit superficiem.

Item, si cognoscere velit quot metra sint vel pedes cubici in trabe, metitur primo longitudinem ejus, deinde latitudinem, postea profunditatem, et deinde per multiplicationes quæsitam obtinet solutionem.

Manifestum est hanc idearum præcisionem non tantum possibilem et facilem esse, sed et absolute necessariam; debilior est enim acies mentis nostræ ut objecta secundum diversos eorum respectus simul introspicere valeamus: necesse est ergo ut præcisionem facientes, ea sub singulis respectibus seorsim perlustremus. Ex notionibus sic acquisitis et postea in mente coadunatis totum efficimus. Si, e contra, totum nobis propositum cognoscere velimus, illud dividimus per partes ut singulas speciali examini subjiciamus. Hæc operatio dicitur *analysis*, id est solutio vel *decompositio* objecti aut illius notionis.

Alia est mentis operatio, scilicet *generalisatio*, quam hic saltem indigitare juvat, propter ejus cum abstractione connexionem. Mens plures res individuas considerans, in illis per abstractionem proprietates quasdam specialiter observat, quas advertendo communes, quasi in unum colligit exprimitque per unam vocem. Hunc vero conceptum generalem extendit ad individua omnia quibus eædem proprietates cum prioribus sunt etiam communes; sic

v. g. efformatur conceptus *arboris* in genere, etc. De his quæ hic solum indicamus, plures fusius tractant philosophi. Quid de *generalisatione* sentiendum sit breviter dicemus in Psychologia, ubi de ideis generalibus.

§ III. — De idearum comparatione.

Comparatio ea est operatio qua mens duas aut plures simul ideas considerat, ut earum convenientiam vel disconvenientiam percipiat. Illæ ideæ sibi convenire dicuntur, quæ res vel qualitates in eodem subjecto simul compatibiles exhibent: unde idea extensionis et idea mobilitatis sibi conveniunt, quia extensio et mobilitas in eodem corpore existere possunt. Illæ vero ideæ sunt discrepantes vel sibi repugnantes, quæ repræsentant velut in eodem subjecto residentes qualitates se invicem excludentes; tales sunt ideæ circuli et quadrati: eadem enim figura non potest esse sub eodem respectu simul rotunda et quadrata.

Tam præstans et necessaria est facultas comparandi, ut ea destituti, ab omnibus scientiis et artibus alieni essemus.

Nota in totum articulum. Quamvis mens humana sit principium indivisibile, ut ex infra dicendis clarius patebit, plures tamen in illa distinguendæ sunt facultates. Plures enim sunt facultates ubi diversæ sunt operationes: atqui diversæ sunt mentis operationes; aliud quippe est intelligere et aliud velle. Hinc, omnes distinguunt intellectum et voluntatem: ad *intellectum* referunt perceptionem, attentionem, abstractionem, comparationem, judicium et ratiocinium; ad *voluntatem* vero, desiderium, deliberationem et electionem. Intellectus versatur circa verum, et voluntas circa bonum. Affectiones et operationes intellectus simul sumptæ vocantur *intelligentia*, respectu quidem subjecti, non vero respectu objecti seu veritatis cognoscendæ. Omnes operationes, tum intellectus, tum voluntatis, nomine generali dicuntur *cogitationes*.

CAPUT SECUNDUM.

DE IDEA PROUT SIGNIS EXTRA MENTEM PROFERTUR.

Signum generatim est illud quod in notitiam alterius nos ducit : duplicem excitat ideam, unam sui ipsius, et alteram rei significatæ.

Signum dividitur in naturale et arbitrarium, in certum et incertum, in commemorativum, demonstrativum et prognosticum, in physicum et logicum. Signum *naturale* est illud quod ex se aliquid exprimit; v. g. respiratio in animali est signum naturale vitæ. Signum *arbitrarium* est illud quod non ex se, sed ex libero statuto rem aliquam designat; talia sunt apud nos diversa militum insignia.

Signum est *certum* quando in notitiam alterius infallibiliter nos ducit : hujus generis est respiratio respectu vitæ animalis. Est vero *incertum* si in notitiam alterius rei probabiliter tantum nos ducat; talis est pulsus arteriæ præcipitatus, qui ordinarie est signum naturale febris, et tamen ab alia causa, v. g., a vivida animi commotione provenire potest.

Signum *commemorativum* rem præteritam, *demonstrativum* rem præsentem, et *prognosticum* rem futuram manifestat.

Signum *physicum* designat rem aliquam materialiter existentem, v. g., fumus respectu ignis; signum *logicum* mentis cogitationes manifestat. De hoc signo hic agitur.

Triplicis autem generis sunt signa quibus cogitationes nostræ exterius manifestari possunt, scilicet, gestus, locutio et scriptura : de his seorsim et breviter nobis dicendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE GESTU.

Nomine *gestus* omnes intelliguntur sensibiles motus situsque corporis, quibus diversæ mentis operationes et affectiones exterius prodeunt. Duplicis sunt generis, videlicet naturales et arbitrarii : utrique autem subdividuntur in simplices et mixtos.

Gestus *naturales* illi sunt qui, natura duce, præsentes mentis affectiones exprimunt, ut sunt lacrymæ, clamores, gemitus, tremores, risus, etc. Iidem sunt apud omnes gentes, et ipsum rationis usum præveniunt : sic infans dolorem sentiens ubique vagit, brachiola movet, manus tendit ad objecta quæ cupit, etc.

Gestus *arbitrarii* ex libero duntaxat hominum statuto significationem suam habent. Hujus generis est lingua surdorum-mutorum a D. *de l'Épée* mirabiliter excogitata, a D. *Sicard*, ejus successore, atque ab aliis plurimis feliciter perfecta. Miseri namque illi homines sensu auditus ac usu loquelæ destituti, discunt legere et scribere, omniumque artium et scientiarum fiunt capaces. Sola gestuum ope colloquuntur, confabulantur; easdem ac nos habent et exprimunt ideas.

Gestus *simplices* sunt quædam actiones externæ ad alias significandas actiones, vel ad exprimendos eventus usurpatæ, et sensum habentes absque verbis : sic pantomimi quædam acta solis gestibus repræsentant; sic Jeremias lumbare suum in foramine petræ abscondit et illum putridum educit, ut ostendat Deum putrescere facturum esse superbiam Judæ (XIII, *4 et seq*); sic idem conterit lagenam, ad ostendendum conterendum esse populum (XIX, 10) Modus iste loquendi frequens erat apud Judæos et nunc in toto Oriente. Patet igitur quam immerito *Voltaire* hujusmodi figuras suggillaverit in Prophetis, ut scite probavit eruditissimus *Warburton*, episcopus anglicanus.

Gestus *mixti* ii sunt qui vocibus et sermonibus adjun-

guntur ut mentis imagines vividius pingantur, atque auditores efficacius moveantur : sic actores in theatris et quilibet veri nominis oratores, tum sacri, tum profani, variis utuntur signis manuum, vultus, oculorum, etc., ut attentionem audientium excitent, eosque commoveant.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VOCE SEU LOCUTIONE.

Vox est sonus articulatus cum intentione aliquid significandi.

1° Dicitur *sonus articulatus*, id est, per syllabas quasi per articulos distinctus : unde essentialiter differt a risu, gemitu, suspiratione, etc.

2° Dicitur *cum intentione aliquid significandi ;* ut distinguatur a vocibus a psittacis, picis aut corvis prolatis, nec non a quibusdam locutionibus per infantem balbutientem, aut per hominem delirantem vel somniantem organice tantum expressis.

Ad hoc signi genus revocatur musica vocalis ; instrumentalis vero ad gestus potius videtur revocanda.

Usus actualis vocum dicitur *locutio ;* collectio vocum et locutionum appellatur *lingua*, a mirabili vocis organo quod sic vocatur. Dicitur etiam *idioma*, quando de modo loquendi uni genti, et præsertim alicui parti unius gentis proprio, agitur.

Innumeræ sunt linguæ nunc existentes apud varios orbis populos, et multæ aliæ, olim usitatæ et celebres, desierunt esse vulgares, et idcirco vocantur mortuæ, ut Hebraica, Chaldaica, Græca, Latina, etc.

Vox ideam vel notionem exprimens, dicitur terminus ; eædem autem esse debent terminorum ac idearum divisiones et regulæ, ut patet.

Cum omnes eodem modo percipiant objecta, quædam sunt loquendi principia omnibus linguis communia ; v. g. nomen, pronomen, verbum, adverbium, præpositiones et conjunctiones : ubique tria sunt tempora in verbo, præsens, præteritum et futurum.

Circa multiplices has sermonis partes multa sunt scitu dignissima pro quibus ad grammaticos libros remittimus.

Duæ tamen hic proponi solent quæstiones philosophicæ, scilicet 1° an omnes voces quibus componuntur linguæ, signa sint arbitraria, et nullam habeant connexionem necessariam cum ideis quas manifestant; 2° an homines usum loquelæ excogitaverint et primæ linguæ fuerint inventores; sed utraque hæc difficultas convenientius solvetur in Metaphysica, ubi de idearum origine agemus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SCRIPTURA.

Gestibus sermonibusve ideæ manifestari non possunt absentibus, nec igitur ad posteros transmitti potuissent nisi aliud exstitisset signum quo diu starent, in mentem pro nutu revocarentur, ad absentes et usque ad extremam posteritatem pervenirent. Signum istud est *scriptura*, quæ recte definitur : Ars ideas per signa subsistensia exprimendi, seu ad oculos loquendi. Alia fit per imagines naturales, per signa symbolica, aut per signa arbitraria quibus annectuntur ideæ, et vocari potest *ideographica :* alia per signa variis modis composita sermonem exprimentia, et dicitur *alphabetica,* vel *phonetica.*

Scriptura *ideographica*, in qua scilicet ideæ immediate per varia signa exprimuntur, fit :

1° Per *imagines naturales*, et hoc genus dicitur *pictura* aut *sculptura*, prout imagines repræsentantur in superficie plana per solas lineas, vel in objecto solido per instrumenta elaborato.

2° Per *signa symbolica :* hujusmodi signis usi sunt Ægyptii in primis temporibus; v. g., ut Deum omnia videntem et audientem significarent, oculos et aures in muris templorum pingebant. Hæc signa vocata sunt *hieroglyphica*, id est figuræ sacræ, a vocibus græcis ἱερός, *sacer*, et γλύφω, *cælo*, quia his præcipue utebantur Ægyptii. quando mysteria et facta ad religionem spectantia exprimere volebant. Sæpe tamen hæc signa in monumentis

inscripta, erant alphabetica et phonetica, ut scite D. *Champollion* nuper probavit, triplex distinguens scripturæ genus in monumentis Ægyptiorum, nempe *hieroglyphicum, hieraticum* et *demoticum*. Quoddam deprehendit alphabetum inter ipsos hieroglyphos.

Nonnullæ hujus generis figuræ sunt in usu etiam apud nos, quando, v. g., virtus Spei per imaginem mulieris in anchora innixæ, Vigilantia per figuram galli, Abundantia per spicas, etc., repræsentantur.

3° Per *signa arbitraria* : hoc scribendi modo utuntur Sinenses ideas et mentis operationes quibusdam characteribus determinatis annectentes. Hinc series litterarum apud ipsos 80,000 excedit; si novam acquirant ideam, illam exprimere non possunt quin novum characterem vel novam formam characteris usitati excogitent. Difficile est igitur tot litteras, minimis punctis sæpe a se discrepantes, agnoscere et secernere. Qui majori præditi sunt sagacitate et perpetuo incumbunt studio, vix modum legendi et artem scribendi discere possunt; sæpe eruditi dimidiam partem litterarum tantum noscunt. Hinc contigit fere nullos progressus scientiarum apud hunc populum, aliunde sensatum, et in pluribus peritum, exstitisse.

Ex singulari tamen illa lingua quædam exoritur utilitas : cum enim ideæ sonis articulatis non sint annexæ, sed characteribus depictis, qui hujusmodi characteres semel sciunt, ideas iis annexas percipiunt, licet pronuntiatio sit diversa. Hinc soni, in his regionibus, frequenter mutantur, idiomata multiplicantur, et eadem tamen ubique est lingua scripta, quæ ab omnibus legere scientibus intelligitur.

Alia scriptura quæ est in usu apud cæteros populos per orbem sparsos, clarior et expeditior est. Habent enim illi populi paucas litteras, quibus ex conventione specialem tribuunt sonum : eas diversis modis componendo, diversos repræsentant sonos, et sonis, non vero characteribus depictis, ideas colligunt. Cum postea, litteras sic varie scriptas videndo, voces agnoscunt, et sonos reddunt, eo ipso ideas sonis annexas exprimunt. Itaque hæc scrip-

tura definiri potest : Ars pingendi sermonem, seu ad oculos loquendi, diversas componendo litteras, et appellatur *alphabetica* vel *phonetica*.

Quidam existimant modum per litteras scribendi immediate a Deo revelatum fuisse Moysi : certum est Pentateuchum ea methodo fuisse scriptum.

Alii docuerunt Cadmum Thebarum in Bœotia conditorem ex Phœnicia oriundum, et tempore Moysis viventem, litterarum atque usus scribendi fuisse inventorem. Unde poeta Gallicus (*de Brébeuf*) :

> C'est de lui que nous vient cet art ingénieux
> De peindre la parole et de parler aux yeux,
> Et par les traits divers de figures tracées,
> Donner de la couleur et du corps aux pensées.

Alii autem doctissimi viri, inter quos *Warburton* et *Renaudot*, celeber academicus Parisiensis, probant Cadmum usum quidem litterarum Græcos docuisse, sed negant illum earum inventorem fuisse; per varia enim monumenta ostendunt scripturam alphabeticam in Phœnicia et in Ægypto longe ante Cadmi tempora exstitisse. Vide *Rollin*, *Histoire ancienne*, t. I, p. 98.

Moyses in Ægypto natus et artibus Ægyptiacis instructus, modum scribendi in hac regione tunc receptum ediscere debuit; hinc patet quam immerito affirmare ausus sit *Voltaire* illum Pentateuchi non esse auctorem, quia ipsius tempore ars scribendi nondum erat inventa. Vide *Encyclopédie*, art. *Écriture; Guénée*, *Lettres de quelques Juifs*, etc. Vide etiam opera D. *Champollion, les Annales de la philosophie chrétienne*, passim.

Nota. Cum scripturæ scopus sit cogitationes nostras manifestare absentibus, optandum esset existere scripturam universalem qua eædem ideæ iisdem signis apud omnes gentes manifestarentur; facilius enim promptiusque acquirerentur scientiæ et artes.

Ideæ enim non sonis, qui perpetuo variantur, sed permanentibus signis adjunctæ, ab omnibus sola inspectione signorum perciperentur, sicut numeri characteribus

Arabicis expressi, eodem modo apud populos diversis linguis utentes intelliguntur. *Descartes*, a patre *Mersenne* hac de re interrogatus, respondit (*Lettres*, t. II, p. 548) hujusmodi linguam esse possibilem. Etenim aliqua existit lingua numerorum saltem in tota Europa communis, non obstante idiomatum varietate, eodem sensu in quibuslibet linguis intelliguntur signa arithmetica et algebrica; cur ergo possibile non esset aliud systema in quo cæteræ mentis operationes omnibus pariter innotescerent?

Attamen *Leibnitz*[1], vir sagacitate notissimus et peritia singularis, per totam vitam universalem hanc artem frustra quæsiit, ut ipse testatur in fragmento manuscripto post mortem ejus reperto.

Laromiguière, recens auctor Gallicus (*Leçons de philosophie*, leçon IX, *t.* V, *p.* 311), observat aliquam reipsa existere linguam naturalem et universalem, eam scilicet qua homines per orbem sparsi necessitates suas manifestant, et ostendunt res sensibiles quibus indigent. Arbitratur hanc signorum et gestuum linguam adeo perfici posse, ut omnes ideæ apud cunctas gentes exprimi possint, sicut surdi-muti, juxta methodum D. *Sicard* loquentes, in diversis idiomatibus audiuntur.

Quidquid sit, verisimile est universalem hanc linguam nunquam de facto exstituram esse, nisi in nonnullis philosophorum capitibus.

Expendemus in metaphysica an homines propriis viribus artem scribendi efformare potuerint.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE JUDICIO.

Mens, ideas comparando, earum convenientiam vel repugnantiam percipit, aut nihil deprehendit : tunc pronuntiat eas sibi convenire aut repugnare, vel nihil pronun-

[1] Lipsiæ, in Germania, anno 1649 natus et anno 1716 decessus.

tiat : si nihil pronuntiet, simpliciter percipit, quantacumque sit objecti perceptionis complexio ; si vero pronuntiet eas sibi convenire aut repugnare, dicitur judicare. *Judicium* igitur prout illud hic consideramus, abstrahendo ab aliis sensibus in quibus hæc vox aliquando sumitur, definiri potest : Operatio mentis de idearum convenientia aut repugnantia pronuntiantis, seu pronuntiantis hanc aut illam qualitatem objecto inesse vel deesse. Hæc notio judicii retinenda est, ut mox dicenda recte intelligantur. Sæpe ab ideis ad externa transimus objecta, et quid in eis sit vel non sit, pronuntiamus. An recte, videbimus infra.

In solo judicio reperitur sedes erroris ; errare enim non possumus percipiendo aut sentiendo, quia nec percipere nec sentire possumus quod nec existit nec possibile est : at frequenter pronuntiamus nos percipere quod non percipimus, vel ultra perceptionem nostram temere judicamus, sicque fallimur, et falsum alios docemus.

Judicium autem considerari potest prout in mente latet vel prout extra mentem per verba exprimitur, et tunc *propositio* vocatur. De illo sub utroque respectu considerato in duplici capite tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

DE JUDICIO PROUT IN MENTE LATET.

In hoc capite nobis dicendum est 1° de natura judicii, 2° de ejus causa efficiente, 3° de ejus divisione. De fontibus errorum quibus judicia nostra obnoxia sunt, alibi disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA JUDICII.

Ad judicandum, duæ saltem requiruntur ideæ in mente, una quæ exhibet substantiam, et altera qualitatem, vel una subjectum et altera attributum : v. g., in his judiciis ;

Deus est justus, Deus non est crudelis, præsupponuntur ideæ Dei et justitiæ, Dei et crudelitatis. Essentia autem judicii consistit in jungendo ideas sibi convenientes, et in disjungendo ideas sibi repugnantes : ergo ex natura sua est affirmans vel negans. Unde ad omne judicium tria requiruntur : subjectum, attributum et actus mentis utrumque jungentis per affirmationem, vel disjungentis per negationem. Ita omnes philosophi, excepto *Dugoumer*, qui contendit omnia judicia ex natura sua esse affirmantia, quia mens ideas disjungendo, affirmat eas sibi non convenire.

Controvertitur inter auctores, 1° an judicium sit actus mentis, et 2° an sit actus simplex vel compositus.

§ I. — An judicium sit actus mentis positivus.

P. Malebranche, e congregatione Oratorii, anno 1638 natus, celeber philosophus, contendit (*Recherche de la vérité*, t. 1, ch. 2), judicium ex parte mentis nihil aliud esse quam assensum voluntatis in percepta relatione convenientiæ aut repugnantiæ idearum quiescentis. *Condillac*, natus anno 1726, præceptor filii ducis Parmensis, docet in Logica sua (1re *partie*, *ch.* 7) et in tractatu de Sensationibus, judicii naturam in perceptione relationis idearum consistere, et nihil aliud esse quam sensationem. Alii vero communius dicunt judicium esse actum mentis positivum; nam, inquiunt, 1° judicium consistit in jungendo vel disjungendo ideas : atqui jungere vel disjungere ideas est agere, non vero quiescere. 2° Mens judicando sæpe falsum pronuntiat : at si judicium nihil aliud esset quam perceptio relationis inter ideas, vel assensus relationi perceptæ, mens judicando falsum non pronuntiaret, siquidem perceptio falsa esse non potest. Ergo, etc.

Sola hæc sententia admittenda nobis videtur.

§ II. — An judicium sit actus simplex.

Quæstio est, an judicium sit actus mentis adeo simplex ut in plures partes dividi non possit, an vero sit compotus et dividi queat.

PROPOSITIO.

Judicium est actus omnino simplex.

Prob. Vel judicium est actus simplex, vel in plures partes dividi potest: atqui posterius admitti nequit; judicium enim consistit in affirmatione aut negatione : porro affirmatio et negatio in plures partes dividi nequeunt; nullo modo quippe assignari potest dimidia, tertia aut quarta pars affirmationis vel negationis, mens totaliter affirmat aut totaliter negat, et inter utrumque non datur medium. Ergo judicium in plures partes dividi non potest, ac proinde est actus omnino simplex.

Objicies 1° Illud non est simplex, quod ex ideis componitur; atqui judicium ex ideis componitur : ergo non est simplex.

R. Nego minorem; nam judicium consistit in affirmatione aut negatione : atqui affirmatio ideas jungit, et negatio ideas disjungit, non vero ex ideis componuntur. Unde judicium circa ideas versatur quidem, sed ex ideis non componitur.

Instabis. Ideæ sunt materia judicii : ergo judicium ex illis componitur.

R. Distinguo antecedens. Ideæ sunt materia circa quam versatur judicium, *concedo;* sunt materia ex qua componitur, *nego antecedens.* Etenim cum judicium sit actus mentis ideas jungentis vel disjungentis, existere non potest sine ideis : sed inde non sequitur illud componi ex ideis : ergo, etc.

Obj. 2°. Propositio quæ est ipsum judicium exterius prolatum, est composita : ergo et judicium.

R. Nego consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est, quod judicium extra mentem proferri non possit quin ideæ circa quas versatur simul exprimantur; et ideo propositio subjectum, attributum et copulam complecti debet; dum e contra judicium consistit in affirmatione vel negatione unionis attributi cum subjecto. Ergo licet propositio sit composita, non sequitur judicium esse compositum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CAUSA EFFICIENTE JUDICII.

Notandum est in mente nostra, quæ alibi demonstratur simplicissima, duplicem ab omnibus distingui facultatem, intellectum scilicet et voluntatem. Intellectus versatur circa verum cognoscendum, et voluntas circa bonum prosequendum.

Quærere solent philosophi an judicium pertineat ad intellectum, an vero ad voluntatem. Gravis autem exstitit controversia in scholis circa hoc punctum.

Verum, cum generalis hæc partitio facultatum animi sit arbitraria, nihil vetat quominus facultas judicandi referatur ad intellectum, ut plurimi volunt, et tunc quædam admittenda est activitas in intellectu, siquidem judicium est actus mentis; vel tribuatur voluntati, ut alii non pauci contendunt; vel specialis excogitetur facultas judicandi, ut quidam affirmant. Omnis igitur disputatio circa hanc quæstionem est inutilis et ideo ab illa abstinemus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DIVISIONE JUDICII.

Judicium spectari potest vel ratione subjecti, id est, ratione facultatis judicantis; vel ratione objecti seu rei de qua pronuntiatur; vel ratione motivi quo mens judicando nititur.

1° *De judicio ratione subjecti spectato.*

Judicium, ratione subjecti, dividitur in necessarium et liberum. Judicium *necessarium* est illud ad quod tam fortiter mens impellitur, ut ab illo ferendo abstinere nequeat : v. g. Existo, Existunt corpora extra me posita, Totum est sua parte majus, etc. Judicium *liberum* est illud a quo mens temperare potest. Quoties manifesta non affulget evidentia, inquit *Malebranche* (l. 1, c. 2),

judicium est liberum : sic liberum est judicium quo pronuntiatur solem moveri circa terram; qualitates corporibus inesse, etc. Hinc non peccamus judicando proximum talem admisisse culpam quæ evidentissime nobis constat; contra vero plus minusve peccavimus, si ultra id quod certum est temere pronuntiemus.

2° *De judicio ratione objecti considerato.*

Judicium sub hoc respectu consideratum dividitur 1° in judicium de rebus in ordine ad nos, et in judicium de rebus in ordine ad se. Judicium *de rebus in ordine ad nos* est illud quo pronuntiamus, non quid res in se sint, sed quid nobis appareant : v. g., Ignis mihi videtur calidus, Sol apparet minor terra et major stellis. Judicium *de rebus in ordine ad se* est illud quo affirmamus quid res in se sint vel non sint; v. g., Tres anguli in omni triangulo duobus angulis rectis æquivalent, Circulus non est quadratus, etc. 2° In judicium verum et in judicium falsum. Judicium est *verum* quando res sunt sicut mens pronuntiat; v. g., Sol major est terra ; est *falsum* quando res non sunt ut mens enuntiat : v. g., Sol circa terram movetur.

3° *De judicio ratione motivi.*

Judicium ratione motivi dividitur in certum et incertum, evidens et non evidens, probabile et improbabile. 1° Judicium est *certum* quando nititur fundamento infallibili, v. g. Existunt corpora; est vero *incertum* si fallibili innitatur fundamento, v. g., Scriptura a Cadmo fuit inventa. 2° Judicium *evidens* est illud quod nititur clara et distincta perceptione convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se : v g., Bis duo dant quatuor; dicitur *non evidens* quando convenientia vel disconvenientia non percipiuntur in se, sed ex alio motivo deducuntur. Unde datur discrimen inter judicium certum et judicium evidens : v. g., evidens est triangulum tribus angulis et tribus lateribus constare, et certum est tres personas esse in Deo. 3° Judicium *probabile* est illud quod gravibus

quidem, sed non infallibilibus nititur motivis; v. g., Probabile est ægrotum quem sanandum esse pronuntiant medici, sanitatem recuperaturum. Judicium est *improbabile* quando nullo fundatur motivo alicujus momenti; sic, improbabile est alterum ægrotum quem medici judicant certo moriturum, sanandum fore. Motivum dicitur probabile, quia approbatione est dignum; et improbabile quando approbari non meretur.

De notionibus, numero et qualitatibus motivorum judicandi hic specialiter disserere solent plerique auctores; nos vero arbitramur graves has quæstiones non prius examini subjiciendas esse, quam de propositione, ratiocinio et argumentatione tractaverimus.

CAPUT SECUNDUM.

DE JUDICIO PROUT PER VERBA EXTRA MENTEM PROFERTUR.

Cum judicium sit affirmatio aut negatio convenientiæ idearum inter se, exterius proferri non potest quin simul exprimantur ideæ jungendæ vel disjungendæ. Judicium autem extra mentem sic prolatum vocatur *propositio*; propositio igitur recte definitur: Oratio judicii interpres.

In propositione, tria distinguenda sunt, videlicet: subjectum, attributum et nexus seu copula.

Subjectum, ita dictum, quia attentioni mentis specialiter subjicitur, vel quia attributum in se recipit, est illud de quo aliquid affirmatur aut negatur: *attributum* est id quod de altero affirmatur vel negatur; *copula* est vinculum quo attributum cum subjecto unitur. Itaque subjectum semper est substantia, vel substantive sumitur; attributum vero est modus aut tanquam modus consideratur; et copula per verbum *sum, es, est*, etc., exprimitur, aut si non exprimatur, verbum istud subauditur; functio hujus verbi est partes propositionis jungere, et nunquam eas

disjungit, nisi particula *non* præcedat. Hinc in propositione ista : *Homo est mortalis; homo* est subjectum, quia mortalitas de illo affirmatur ; *mortalis* est attributum, siquidem de homine pronuntiatur ; et *est* exprimit copulam.

Omnia verba ideam subjecti sufficienter exprimere possunt. Item attributum aut partem attributi sæpe continent : v. g., *Discipuli student* ; verbum *student* exprimit simul attributum et copulam ; sensus enim est : Discipuli sunt studentes.

In lingua gallica, subjectum ordinarie primum obtinet locum in propositione. At in lingua latina constructio sæpe intervertitur, et prius ponitur attributum. Ut igitur unum ab altero secernatur, videndum est utrum de altero dicatur : v. g., *Justus est Dominus ; justus* est attributum, quia de Domino prædicatur.

In quovis judicio attributum est de se latius notione subjecti, quamvis fieri possit ut de facto non magis extendatur ; quia subjectum ad attributum seu prædicatum, ut aiunt, refertur tanquam ad genus Hinc decem Aristotelis *categoriæ*, seu attributorum genera ; quinque erant modi ea applicandi et dicebantur *universalia*. *Kant* quatuor tantum agnoscit *judiciorum formas* seu *categorias*, non vero in sensu Aristotelis intellectas, et ipsas multipliciter divisas. Nihil obscurius et minus utile. Itaque in his non immorabimur.

Subjectum, attributum et copula sæpe duabus vocibus, et aliquoties unica voce exprimuntur ; v. g. *Amo Deum*, *Pluit*, *Licet*, etc. Ut subjectum, attributum et copula reperiantur, sic vertendæ sunt prædictæ propositiones : *Ego sum amans Deum*, *Pluvia est cadens*, *Res est licita*.

Aliquando, e contra, subjectum aut attributum, aut utrumque simul est complexum, si scilicet exprimat rem modificatam, et tunc propositio est complexa, v. g., Deus omnipotens est æternus : Deus est bonus et clemens ; aliquando autem est compositum, si nempe sit multiplex, et tunc propositio est composita, ut infra dicemus.

Notandum voces quibus exprimuntur ideæ jungendæ vel disjungendæ, id est subjectum et attributum, vocari *ter-*

minos, quia ideas determinant, vel quia in extremitatibus propositionis ponuntur.

Quidquid de propositionibus dicendum nobis occurrit, in duobus articulis absolvemus : primus erit de proprietatibus propositionis; secundus, de variis ejus speciebus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONIS.

Duplicis generis sunt proprietates propositionis, nimirum aliæ sunt absolutæ et aliæ relativæ. *Absolutæ* sunt illæ quæ uni propositioni seorsim sumptæ conveniunt : *relativæ* illæ sunt quæ uni propositioni cum alia comparatæ competunt. Agendum est 1° de absolutis, et 2° de relativis.

§ I. — De proprietatibus propositionis absolutis.

Proprietates absolutæ propositionis sunt ipsius quantitas et qualitas, de quibus seorsim disserendum est.

SECTIO PRIMA.

De quantitate propositionis.

Quantitas propositionis est ipsius extensio, quæ est eadem ac extensio subjecti. Quadruplex est propositio ratione quantitatis, scilicet, universalis, particularis, singularis et indefinita.

Propositio *universalis* ea est cujus subjectum secundum totam suam extensionem sumitur, et aliqua universalitatis nota afficitur, v. g. *omnis, nullus :* tales sunt istæ propositiones : *Omne corpus est divisibile ; Nullus spiritus est mortalis.* Non refert igitur quod extensio subjecti sit major vel minor ; dummodo nihil excipiatur, propositio est universalis.

Attamen duplici modo potest esse universalis, nempe metaphysice et moraliter. Est *metaphysice* universalis,

quando illius subjectum accipitur secundum totam extensionem, sine ulla exceptione : v. g., *Omnis circulus est rotundus ; Omnis homo constat ex mente et corpore.* Est vero *moraliter* universalis, quando ipsius subjectum secundum fere totam extensionem sumitur, ita tamen ut aliquam admittat exceptionem : v. g., *Omnis homo est mendax.* Alia est *moraliter* universalis minus stricte, quando scilicet ipsius subjectum secundum majorem partem inferiorum suorum sumitur, ut in istis : *Omnes juvenes sunt inconstantes ; Omnes senes sunt queruli.*

Propositio *particularis* ea est cujus subjectum secundum partem suæ extensionis sumitur, et aliqua particularitatis nota afficitur, v. g., *aliquis, quidam, nonnulli ;* hujusmodi sunt istæ propositiones : *Aliquis homo est doctus ; aliqui, quidam, nonnulli homines sunt nigri.* Non necesse est tamen ut nota particularitatis semper exprimatur ; sæpe eleganter subauditur, ut in hac propositione : *Sunt qui nihil æstimant, nisi fecerint.* Ad hanc reducitur propositio quæ a nonnullis dicitur *communis.*

Propositio dicitur *singularis*, quando ipsius subjectum est quid in genere suo individuum, et per propositionem sufficienter determinatum : v. g., *Cartesius magnus fuit philosophus ; Hic homo non est doctus ; Hoc seminarium est exemplare.*

Propositio vocatur *indefinita*, quando ipsius subjectum est quid commune, et nulla universalitatis, particularitatis aut singularitatis nota determinatum : v. g., *Galli sunt sagaces.*

Quælibet propositio versatur in materia necessaria, vel in materia contingenti. Est *in materia necessaria* quando ipsius attributum necessario convenit vel repugnat subjecto, id est quando idea attributi in idea subjecti includitur, vel ab illa ex natura sua excluditur. Tales sunt istæ : *Omnis homo est rationabilis ; Mens non est corporea.* Est autem *in materia contingenti* quando attributum accidentaliter tantum convenit subjecto, ut in ista : *Homo est albus.*

Item quælibet propositio est in ordine metaphysico, in

ordine physico, vel in ordine morali, prout enuntiat judicium in essentiis rerum, in legibus physicis vel in consuetis hominum moribus fundatum. Datur discrimen inter propositionem in ordine morali et propositionem moraliter universalem : propositio enim in ordine morali potest esse metaphysice universalis ad sensum superius expositum : v. g., *Homo in cunctis operibus suis felicitatem suam quærit.*

His prænotatis, quædam nunc statuendæ sunt propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Omnis propositio ad universalem vel ad particularem necessario revocanda est.

Prob. In quacumque propositione subjectum necessario sumitur secundum totam suam extensionem, vel tantum secundum partem extensionis suæ; non datur medium : at si prius, propositio est universalis; si posterius, est particularis. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Propositio singularis revocanda est ad universalem.

Prob. Illa propositio ad universalem revocanda est, quæ id ipsum habet propter quod propositio dicitur universalis : atqui propositio singularis id ipsum habet propter quod propositio dicitur universalis. Ideo enim propositio vocatur universalis, quia ipsius subjectum secundum totam extensionem suam sumitur : at subjectum propositionis singularis secundum totam extensionem suam sumitur; quando enim, v. g., dicitur Petrum esse doctum, non de aliqua parte Petri hoc affirmatur, sed de tota persona ejus : ergo revera illud subjectum secundum totam extensionem suam sumitur. Ergo, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Propositio indefinita in materia necessaria ad metaphysice universalem revocari debet.

Prob. Propositio est metaphysice universalis, quando idea ejus attributi ita cum idea subjecti conjuncta est ut nulla exceptio admitti queat : at, ubi propositio indefinita est in materia necessaria, idea attributi sic cum idea subjecti conjuncta est, ut nulla exceptio admitti queat, siquidem hoc solum efficit ut propositio dicatur in materia necessaria : v. g., emittantur hæ propositiones : *Homo est rationabilis ; Circulus est rotundus ;* sensus est omnem hominem ratiocinandi facultate donari ; omnes circulos sine ulla exceptione esse rotundos. Ergo, etc.

PROPOSITIO QUARTA.

Propositio indefinita, in materia contingenti, ad moraliter universalem, sed minus stricte sumptam, revocanda est, nisi aliqua specialis circumstantia eam ad sensum particularem determinet.

Prob. Illa propositio ad moraliter universalem minus stricte sumptam revocanda est, cujus subjectum secundum majorem partem inferiorum suorum seu extensionis suæ sumitur : atqui subjectum propositionis indefinitæ in materia contingenti, secundum majorem partem inferiorum suorum sumitur ; quando enim dicimus : *Juvenes sunt inconstantes ; Senes sunt queruli*, etc., sensus est plerosque juvenes esse inconstantes, et plerosque senes esse querulos.

Diximus : *Nisi aliqua specialis circumstantia eam ad sensum particularem determinet.* Fieri enim potest ut ex aliqua circumstantia judicetur subjectum secundum aliquam partem tantum extensionis suæ sumi : v. g., *Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput ejus* (Matth. XXVII, 29) ; certum est aliquos tantum milites hoc fecisse.

SECTIO SECUNDA.

De qualitate propositionis.

Qualitas propositionis est ipsius affirmatio vel negatio, veritas vel falsitas. Dicendum est 1° de affirmatione et negatione, 2° de veritate et falsitate propositionis.

PUNCTUM PRIMUM. — De affirmatione et negatione propositionis.

Cum propositio sit ipsa judicii expressio, debet esse affirmans aut negans, prout judicium affirmat aut negat. Propositio *affirmans* illa est quæ enuntiat attributum convenire subjecto; et propositio *negans* ea est in qua attributum a subjecto removetur.

Nonnulla hic statuenda sunt axiomata, quæ postea videbuntur necessaria. Alia propositionibus affirmantibus propria sunt; alia vero negantibus.

Per *axiomata philosophica* quædam intelliguntur veritates ita omnibus manifestæ ut nulla probatione indigeant, et ad probandas alias veritates adhibeantur. *Principium* latiorem habet sensum quam *axioma*. Sic enim vocatur omnis propositio ex qua proceditur in ratiocinio. Principia et axiomata identificantur quando prioribus additur *prima;* id est, axiomata sunt prima principia.

Axiomata propositionibus affirmantibus propria.

AXIOMA PRIMUM.

Attributum propositionis affirmantis secundum totam comprehensionem suam de subjecto dicitur.

Explicatur. Affirmatio in eo consistit quod pronuntietur attributum cum subjecto convenire: atqui non potest affirmari attributum cum subjecto convenire, quin de illo secundum totam comprehensionem suam dicatur; dici enim non potest attributum revera convenire subjecto, si vel una proprietas ipsi essentialis eidem subjecto tribui nequeat; v. g., dici non potest: *Homo est intelligentia cui*

subministrant organa, si una proprietas ad constituendam intelligentiam essentialis, homini tribui non possit; in ea igitur propositione, *intelligentia* secundum totam comprehensionem suam de homine affirmatur. Ergo, etc.

AXIOMA SECUNDUM.

Attributum propositionis affirmantis sumitur secundum totam extensionem quam habet subjectum in propositione, non autem secundum propriam suam extensionem, vi affirmationis.

Explicatur. Per affirmationem declaratur attributum subjecto convenire : ergo convenit eo ipso omnibus individuis quæ per propositionis subjectum exprimuntur. v. g., *Homo est intelligentia ;* in ea propositione intelligentia de cunctis hominibus affirmatur. In ista autem, *Quidam homines sunt docti*, de quibusdam tantum hominibus affirmatur quod sint docti. Ergo attributum propositionis affirmantis secundum totam extensionem quam habet subjectum in propositione sumitur.

At secundum propriam extensionem suam vi affirmationis non sumitur. Dicitur enim subjecto convenire, non autem soli subjecto ; unde nihil impedit quin de aliis quoque recte dici possit; v. g., in dicta propositione : *Homo est intelligentia* , affirmatur quidem omnes homines esse intelligentes , sed non dicitur omnes intelligentias esse homines. Ergo, etc.

Diximus, *vi affirmationis ;* nam fieri potest ut *vi materiæ* attributum secundum totam extensionem suam de subjecto dicatur, nempe si ipsius extensio non latius pateat quam extensio subjecti. Hoc semper accidit quando est in materia necessaria et reciproca : v. g., *Homo est animal rationale ;* omnis homo est animal rationale , et omne animal rationale est homo.

Utrumque axioma simul ita explicari potest : per affirmationem attributum identificatur subjecto : quidquid ergo ipsi essentiale est convenit subjecto. At non sequitur illud alteri subjecto non convenire : ergo vi affirmationis

secundum totam suam comprehensionem, non vero secundum totam extensionem suam, de subjecto dicitur : v. g., *Homo est intelligens ;* in ea propositione quidquid ad intelligentiam essentiale est, non vero omnis intelligentia, homini tribuitur.

COROLLARIUM.

Cum attributum propositionis affirmantis ad extensionem subjecti vi affirmationis restringatur, sequitur illud semper esse particulare et numquam universale, nisi in materia necessaria et reciproca versetur.

Axiomata quæ spectant propositiones negantes.

AXIOMA PRIMUM.

Attributum propositionis negantis non removetur a subjecto secundum totam comprehensionem suam.

Explicatur. Natura propositionis negantis in eo consistit, ut attributum a subjecto removeatur : atqui ut attributum a subjecto removeri debeat, non necesse est nullam esse proprietatem utrique communem. Si enim subjectum una careat proprietate in attributo existente, eo ipso attributum ei non convenit : ab illo igitur removeri debet per negationem. v. g., in ea propositione : *Corpus non est spiritus ;* ut spiritus a corpore merito removeatur, non necesse est illum non esse substantiam, quia corpus est substantia ; sed sufficit illum esse substantiam a corpore diversam, seu corpus carere proprietate in spiritu existente.

AXIOMA SECUNDUM.

Attributum propositionis negantis secundum totam suam extensionem semper sumitur.

Explicatur. Negatio in eo consistit, ut pronontietur naturam attributi naturæ subjecti non convenire : si autem natura attributi naturæ subjecti non conveniat, nullum individuum ex ipsius inferioribus ei convenire poterit :

ergo attributum propositionis negantis removetur a subjecto secundum totam suam extensionem ; v. g., quando dicitur : *Homo non est lapis*, sensus est nullum lapidem esse hominem, seu ideam lapidis ideæ nullius hominis convenire.

COROLLARIUM.

Ergo attributum propositionis negantis, sive universalis, sive particularis, semper sumitur universaliter, cum removeatur a subjecto secundum totam extensionem suam.

PUNCTUM SECUNDUM. — De veritate et falsitate propositionum.

Notandum est propositionem considerari posse ut grammaticalem et ut logicam.

Propositio dicitur *grammaticalis*, quando sola ipsius verba spectantur, et examinatur an hoc vel illud sit *substantivum*, *adjectivum*, *verbum*, numero singulari vel plurali sumatur, etc.

Propositio vero appellatur *logica*, quando consideratur ut habens sensum determinatum. De sola propositione logica hic agitur.

Sensus propositionis logicæ potest esse 1° proprius vel alienus, 2° compositus vel divisus.

1° Sensus *proprius* seu naturalis, ille est quem voces ex sua significatione ordinaria exprimunt; et duplex est, litteralis scilicet et metaphoricus : *litteralis* quidem, si voces juxta nativam significationem suam sumantur, v. g., *Petrus est vir fortis ; metaphoricus* autem, si voces, vel aliqua vox tantum, in sensu alterius vocis propter aliquam similitudinem usurpetur; v. g., *Petrus est leo invincibilis:* vox *leo* sumitur in sensu metaphorico. Sensus *alienus* ille est qui arbitrario vocibus aliud significantibus annectitur, ut facere solent qui decipere volunt ; vel in quem voces aliud significantes ab ignaris vel malæ fidei interpretibus detorquentur.

2° Aliquando, in una propositione, termini exprimunt duplicem statum vel qualitatem quæ affirmatur vel negatur de subjecto; propositio dicitur sumi *in sensu com-*

posito, si duo termini intelliguntur in *actu* : sumitur vero *in sensu diviso*, si unus terminus intelligitur *in actu*, alter *in potentia* ; v. g., *Cæci possunt videre* : in sensu diviso sic resolveretur : *Qui nunc cæci sunt possunt videre, si visus eis redditur*. In sensu composito : *Qui cæci sunt etiam nunc possunt videre*. In eo casu, propositio in sensu composito sumpta falsa est.

Ea propositio vera est, quæ objectum suum sicuti est enuntiat ; v. g., *Deus est omnipotens*. Illa vero est falsa, quæ rem ut in se est non enuntiat ; v. g., *Deus est crudelis*.

Certum est 2° omnem propositionem logicam necessario esse veram aut falsam ; vel enim rem enuntiat sicut est, vel non : si prius, vera est ; si posterius, est falsa.

Aliqua est difficultas circa propositiones de futuro contingenti, quæ videlicet a libero hominum arbitrio vel a futuris eventibus non necessariis pendent : v. g., *Petrus erit justus ; Petrus ante patrem suum morietur*. Sed convenientius solvetur in Metaphysica, ubi de præscientia divina agetur.

Certum est 2° veritatem in qualibet propositione non esse majorem vel minorem in se : veritas enim propositionis affirmantis in consensione attributi cum subjecto, et veritas propositionis negantis in dissensione attributi cum subjecto consistit : atqui hæc consensio vel dissensio non est major aut minor, sed necessario tota est vel nulla. Ergo, etc.

Aliquo sensu tamen, veritas est major vel minor, quando consensio attributi cum subjecto diversos habet gradus : v. g., *Petrus est prudens*, potest enim esse plus minusve prudens.

Veritas autem propositionis potest esse major vel minor respectu nostri, prout illam clarius vel minus clare deprehendimus : idem dici debet de falsitate.

SCHOLIUM.

Ut veritas aut falsitas alicujus propositionis detegatur, primo genuinus illius sensus assignari debet ; propositio enim vera est aut falsa prout hunc vel illum habet sen-

sum. Imo potest esse simul vera et falsa, si duplicem involvat sensum, et tunc dicitur *æquivoca;* vel falsa in sensu composito et vera in sensu diviso, aut vice versa, ut modo diximus.

§ II. — De proprietatibus propositionum relativis.

Proprietates *relativæ* illæ sunt quæ uni propositioni cum alia comparatæ conveniunt. Duæ numerantur, conversio, scilicet, et oppositio.

SECTIO PRIMA.

De conversione propositionum.

Conversio est mutatio propositionis in aliam propositionem quæ eumdem sensum præ se ferat, ponendo subjectum in locum attributi, et attributum in locum subjecti. Nullum est dubium quin hujusmodi operatio fieri possit. Si enim attributum recte affirmetur aut negetur de subjecto, subjectum affirmari aut negari potest de attributo sub eodem respectu : v. g., si verum est nullum hominem esse angelum, non minus certum est nullum angelum esse hominem.

Non raro contingit propositiones esse æquivocas vel obscurum præbere sensum ; tunc philosophi et mathematici, conversione utentes, reciprocas constituunt propositiones, ut veritatem earum aut falsitatem tutius detegant.

Duplex potissimum distinguitur conversio, simplex videlicet, et accidentalis.

Conversio est *simplex*, quando totum attributum subjecto et totum subjectum attributo substituitur : v. g., *Nullus homo est angelus ; Nullus angelus est homo.*

Conversio autem vocatur *accidentalis*, quando non totum attributum, sed pars ejus tantum in locum subjecti ponitur : v. g., *Homo est animal ; Aliquod animal est homo.*

Quædam traduntur regulæ pro legitima propositionum conversione ; aliæ sunt absolutæ, aliæ speciales.

De regulis absolutis pro conversione propositionum.

REGULA PRIMA.

Servanda est in conversa qualitas propositionis convertendæ.

Prob. Ut accurata sit conversio, nihil affirmari aut negari debet in conversa quod non fuerit affirmatum aut negatum in convertenda ; alioquin non esset substitutio reciproca terminorum, ut patet : ergo si convertenda sit affirmans, conversa non potest esse negans, nec vice versa ; item si convertenda sit vera, vera esse debet conversa, etc. Ergo, etc.

REGULA SECUNDA.

Nullus terminus latius sumi debet in conversa quam in convertenda.

Prob. Utraque propositio debet esse reciproca : at certe reciproca non esset, si terminus latius sumeretur in conversa quam in convertenda : ergo, etc. Hinc propositio, *Omnis Gallus est homo albus*, in hanc alteram, *Omnis homo albus est Gallus* male converteretur.

De specialibus regulis pro accurata propositionum conversione.

REGULA PRIMA.

Propositio universalis negans et propositio particularis affirmans simpliciter converti possunt, ponendo attributum in locum subjecti.

Prob. Nam tunc perfecta est reciprocitas : v. g., *Nullus homo est angelus ; Nullus angelus est homo : Aliquis homo est justus ; Aliquis justus est homo.*

REGULA SECUNDA.

Propositio universalis affirmans converti non potest simpliciter, sed attributum ejus particulariter tantum

poni debet in locum subjecti, nisi in materia necessaria et reciproca.

Prob. Attributum propositionis affirmantis semper est particulare, ex dictis pag. 53 : ergo poni non potest simpliciter in locum subjecti, quia fieret universale : unde hæc propositio, *Omnes sacerdotes sunt homines*, verti non potest simpliciter, quia dici non potest omnes homines esse sacerdotes; sed ita verti debet : *Aliqui vel quidam homines sunt sacerdotes.* Hæc conversio est accidentalis.

In materia vero necessaria et reciproca, propositio universalis affirmans converti potest simpliciter : v. g., *Omnis circulus est figura rotunda ; Omnis figura rotunda est circulus.*

REGULA TERTIA.

Propositio universalis affirmans et propositio universalis negans semper converti possunt accidentaliter, ponendo, scilicet, particulariter attributum in locum subjecti.

Prob. Nulla est difficultas pro propositione universali affirmante : præcedens enim regula statuit illam converti non posse simpliciter, bene vero accidentaliter. Quoad propositionem universalem negantem, cum semper liceat eam in alteram universalem convertere, ex prima regula, a fortiori licet eam convertere in particularem : v. g., si convertendo hanc propositionem, *Nullus homo est angelus*, liceat dicere : *Nullus angelus est homo;* a fortiori verum erit aliquem angelum non esse hominem. Ergo, etc.

REGULA QUARTA.

Propositio particularis negans converti non potest nec simpliciter nec accidentaliter, id est, nec in universalem, nec in particularem.

Prob. Nullus terminus latius sumi debet in conversa quam in convertenda : at, ex hypothesi quod propositio particularis negans converteretur in alteram negantem, sive universalem, sive particularem, aliquis terminus latius sumeretur in conversa quam in convertenda : subjectum enim propositionis convertendæ esset particulare,

ut pote subjectum propositionis particularis ; fieret autem universale in conversa, sive universali, sive particulari, quatenus attributum propositionis negantis. Itaque propositio ista, *Aliqui Europæi non sunt Galli*, converti non potest in hanc alteram : *Aliqui Galli non sunt Europæi ;* nec a fortiori in istam : *Nulli Galli sunt Europæi.*

Observatio necessaria.

In conversione propositionum curandum est ut verum detegatur attributum et in locum subjecti ponatur, alioquin vitiosa esset conversio. Sint, v. g., istæ propositiones : *Petrus amat Joannem, Omnis homo mortuus fuit vivus ; Nullus senex fieri potest juvenis,* etc., in has alias converti non possunt : *Joannes amat Petrum ; Omnis vivus fuit mortuus ; Nullus juvenis fieri potest senex ;* sic ergo verti debent : *Aliquis amans Joannem est Petrus ; Qui fuit vivus est homo mortuus ; Nullus qui potest fieri juvenis est senex ;* talis enim est sensus attributi bene intellecti.

SECTIO SECUNDA.

De oppositione propositionum.

Oppositionis nomine intelligitur duarum propositionum pugna, vi cujus una refellit alteram. Una autem alteram refellere dicitur quando ex veritate unius sequitur falsitas alterius.

Hinc 1° duæ propositiones negantes non possunt esse oppositæ ; una enim non negat quod affirmat altera, nec igitur ex veritate unius sequitur falsitas alterius ; v. g., duæ sequentes minime sunt oppositæ : *Circulus non est quadratus ; Circulus non est triangularis.*

Hinc 2° duæ propositiones affirmantes possunt esse oppositæ ; nam fieri potest ut una refellat alteram, nempe si ambæ affirment de eodem subjecto duo attributa sibi incompatibilia, v. g., *Circulus est rotundus ; Circulus est quadratus :* si enim verum est circulum esse rotundum, sequitur illum non esse quadratum. Itaque veritas unius falsitatem alterius necessario importat : ergo, etc.

Fieri potest ut duæ propositiones negantes ad duas affirmantes sibi contradictorias reducantur : v. g., *Petrus non est mendax ; Petrus non est sincerus ;* hæ propositiones sequentibus contradictoriis, æquivalent : *Petrus est sincerus ; Petrus est mendax.*

Hinc 3° duæ propositiones, quarum una est affirmans et altera negans, possunt esse oppositæ ; nam fieri potest ut quod una affirmat, neget altera de eodem subjecto : v. g., *Petrus est doctus*, *Petrus non est doctus.*

Oppositio ita dicitur ex affirmatione et negatione ejusdem attributi, de eodem subjecto et sub eodem respectu ; nulla enim existeret oppositio, si affirmatio et negatio essent quidem ejusdem attributi, sed de diverso subjecto : v. g., *Petrus est doctus*, *Paulus non est doctus.* Si affirmatio et negatio essent ejusdem attributi et de eodem subjecto, sed sub diverso respectu, nulla iterum esset oppositio, ut in propositionibus istis : *Petrus est doctus in philosophia ; Petrus non est doctus in theologia.*

His prænotatis, quædam dicenda sunt 1° de speciebus, 2° de proprietatibus oppositionis propositionum, 3° de usu oppositionis.

PUNCTUM PRIMUM. — De speciebus oppositionis propositionum.

Quadruplicis generis propositiones sibi oppositas admittebant veteres philosophi, nempe contrarias, contradictorias, subcontrarias et subalternas.

Propositiones *contrariæ* sunt illæ quarum una plus dicit quam necesse est ut altera refellatur : v. g., *Omnis homo est justus ; Nullus homo est justus.*

Contradictoriæ sunt illæ quarum una præcise dicit quod requiritur et sufficit ad alteram refellendam : v. g., *Omnis homo est justus ; Aliquis homo non est justus.*

Subcontrariæ sunt duæ propositiones particulares quarum una affirmat et altera negat : v. g., *Aliquis homo est justus ; Aliquis homo non est justus.*

Subalternæ sunt duæ propositiones diversæ quantitatis, sed ejusdem qualitatis, quæ scilicet ambæ sunt affirmantes aut negantes, sed una generalis et altera particularis :

v. g., *Omnis homo est justus; Aliquis homo est justus : Nullus homo est justus; Aliquis homo non est justus.*

Certum est propositiones subcontrarias et subalternas nullam proprie dictam admittere oppositionem; una enim non refellit alteram, ut evidens est. Restat igitur ut de propositionibus contrariis et contradictoriis agamus.

PUNCTUM SECUNDUM. — De proprietatibus oppositionis propositionum.

Hic petitur an propositiones sibi oppositæ possint esse simul veræ aut simul falsæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Propositiones contradictoriæ nec simul veræ nec simul falsæ esse possunt.

Prob. prima pars. Idem non potest esse simul et non esse : atqui idem esset simul et non esset, si duæ propositiones contradictoriæ essent simul veræ; nam idem esset simul et non esset, si idem attributum eidem subjecto simul conveniret et non conveniret; at si duæ propositiones contradictoriæ essent simul veræ, idem attributum eidem subjecto simul conveniret et non conveniret : conveniret, siquidem propositio illud affirmans esset vera; non conveniret tamen, cum, ex hypothesi, propositio negans esset pariter vera. Ergo idem attributum, etc.

Prob. secunda pars ex eodem axiomate *: Idem non potest esse simul et non esse :* at idem esset simul et non esset, si duæ propositiones contradictoriæ essent simul falsæ; nam idem attributum simul repugnaret et non repugnaret eidem subjecto; repugnaret quidem, cum propositio affirmans esset falsa; non repugnaret tamen, cum propositio negans similiter esset falsa. Ergo, etc.

COROLLARIUM PRIMUM.

Cum duæ propositiones contradictoriæ non possint esse simul veræ nec simul falsæ, ex veritate unius sequitur falsitas alterius, et ex falsitate unius sequitur veritas alterius.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Inter duas propositiones contradictorias nullum existere potest medium, siquidem una præcise dicit quod sufficit ad alteram refellendam : ergo ambæ converti possunt in hanc unicam propositionem disjunctivam quæ necessario erit vera : v. g., *Omnis homo est justus*, *Aliquis homo non est justus*, in hanc unicam propositionem merito convertuntur : *Vel omnis homo est justus, vel aliquis homo non est justus.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Duæ propositiones contrariæ non possunt esse simul veræ, sed possunt esse simul falsæ.

Prob. prima pars. Propositiones contradictoriæ non possunt esse simul veræ, quia una præcise dicit quod sufficit ad alteram refellendam. A fortiori, propositiones contrariæ, siquidem in contrariis una plus dicit quam sufficit ad alteram refellendam. Ergo, etc Unde si duæ propositiones istæ : *Omnis homo est justus ; Aliquis homo non est justus*, non possint esse simul veræ, a fortiori duæ sequentes simul veræ esse nequeunt : *Omnis homo est justus ; Nullus homo est justus.*

Prob. secunda pars. Cum in propositionibus contrariis una plus dicat quam necesse est ad alteram refellendam, datur medium inter utramque, et fieri potest ut in illo medio una vel plures institui queant propositiones ex quarum veritate sequatur falsitas utriusque contrariæ : v. g., inter duas propositiones istas : *Omnis homo est justus ; Nullus homo est justus*, sequentes institui possunt : *Aliquis homo non est justus ; Duo, quatuor, plures, quidam homines non sunt justi.*

COROLLARIUM.

Ergo, ex veritate unius propositionis contrariæ, optime concluditur alteram esse falsam ; at ex falsitate unius inferri non potest alteram esse veram.

PUNCTUM TERTIUM. — De usu oppositionis propositionum.

Oppositio propositionum maximi est momenti in inquirenda veritate, apud philosophos, mathematicos et præsertim apud theologos : quando enim aliqua propositio in controversiam adducitur, sæpe ad contradictoriam ejus recurritur, et tunc ipsius veritas aut falsitas facilius detegitur. Si, v. g., una propositio damnatur ut hæretica, concluditur ejus contradictoriam esse de fide ; aut si una definiatur tanquam de fide, judicatur contradictoriam esse hæreticam. Abs re igitur non erit exponere methodum qua contradictoria uniuscujusque propositionis inveniatur. De simplicibus propositionibus hic duntaxat agemus : ubi vero varias propositionum species trademus, simul indicabimus qua via propositiones complexæ et compositæ legitime contradicantur.

Propositiones autem simplices ad universalem et ad particularem revocantur, ut vidimus.

De propositione universali.

Propositio universalis est vel in ordine metaphysico, vel in ordine physico, vel in ordine morali, juxta notiones superius datas, p. 48.

1° Propositio universalis *in ordine metaphysico* contradicitur per particularem negantem in numero singulari, si sit affirmans, aut per particularem affirmantem, si sit negans : v. g., *Omnis circulus est rotundus ; Aliquis circulus non est rotundus : Nullus est effectus sine causa ; Aliquis est effectus sine causa.*

2° Propositio universalis *in ordine physico* contradicitur etiam per particularem affirmantem aut negantem, prout ipsa est negans vel affirmans, sed addenda sunt hæc verba, *servatis naturæ legibus ;* nam fieri potest ut consuetis naturæ legibus per miraculum derogetur. Hinc duæ propositiones istæ : *Nullus vere mortuus resurgit, Aliquis vere mortuus resurgit*, non sunt oppositæ, nisi in utraque addatur, *servatis naturæ legibus.*

3° Si propositio universalis sit *in ordine morali,* prius

resolvenda est in aliam genuinum ipsius sensum accurate exprimentem, et tunc contradicetur addendo vel tollendo particulam *non*, prout erit affirmans vel negans : v. g., *Omnes juvenes sunt inconstantes ;* sensus est plerosque juvenes esse inconstantes : sic ergo statim resolvenda est : *Plerique juvenes sunt inconstantes ;* et ipsius contradictoria erit : *Plerique juvenes non sunt inconstantes.*

De propositione singulari et particulari.

Propositio singularis recte contradicitur addendo vel tollendo particulam *non*, prout est affirmans aut negans : v. g., *Petrus est doctus ; Petrus non est doctus.*

Propositio particularis affirmans contradicitur per universalem negantem, et particularis negans per universalem affirmantem : v. g., *Aliquis homo est justus : Nullus homo est justus : Aliquis homo non est justus ; Omnis homo est justus.*

Sed hæc regula valet tantum pro propositione numero singulari expressa ; si vero numero plurali exprimatur, quærenda est extensio ipsius subjecti, et id affirmandum vel negandum erit, quod in ea negatur vel affirmatur : v. g., *Quidam alumni in tali schola sunt diligentes ; Unicus alumnus est diligens :* vel, *Non quidam sunt diligentes.*

Si propositio contradicenda sit in ordine physico aut in ordine morali, eadem observanda sunt quæ supra.

De propositione indefinita.

Omnis propositio indefinita ad universalem vel ad particularem necessario revocanda est ; prius igitur attendendum est ad quam revocari debeat, et tunc ipsius contradictoria quæretur juxta methodum pro universali et particulari expositam.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VARIIS PROPOSITIONUM SPECIEBUS.

Propositio spectari potest ratione quantitatis, vel ratione qualitatis, vel ratione formæ, vel ratione materiæ.

1° *Ratione quantitatis*, dividitur in universalem, particularem, singularem et indefinitam.

2° *Ratione qualitatis*, dividitur in affirmantem et negantem, in veram et falsam. De duplici hac propositionum classe jam satis diximus.

3° *Ratione formæ*, propositio dividitur in absolutam et modalem. *Absoluta* ea est in qua attributum simpliciter affirmatur aut negatur de subjecto : v. g., *Materia est divisibilis*. *Modalis* insuper exprimit modum quo attributum convenit vel repugnat subjecto : v. g., *Materia est necessario divisibilis*. Ut veritas aut falsitas hujus propositionis detegatur, ipse modus sedulo considerandus est; fieri enim potest ut propositio vera in se, sit falsa ratione modi ; v. g., propositio ista : *Terra est rotunda*, vera est in se; ista autem : *Terra est necessario rotunda*, falsa est, quia non repugnat terram aliam habere formam. Propositio modalis ejusdem est naturæ ac propositio complexa, de qua mox dicemus.

4° Propositio *ratione materiæ* spectata, id est, ratione terminorum quibus constat, dividitur in simplicem, complexam et compositam. Propositio *simplex* est illa in qua unicum attributum simpliciter affirmatur vel negatur de unico et simplici subjecto. De illa specie sufficienter jam diximus ; nunc igitur agendum est 1° de propositione complexa, 2° de propositione composita.

§ I.—De propositione complexa.

Ea propositio dicitur *complexa* cujus subjectum vel attributum, vel utrumque, est terminus complexus, id est propositionem habens incidentem aut verbum aliquod adjectivum vel propositioni incidenti æquivalens : v. g., *Deus omnipotens creavit mundum periturum*.

In ea propositionum specie, subjectum semper est unicum sicut et attributum, et in eo a propositionibus compositis discernuntur.

Nomen adjectivum attributo vel subjecto annexum æquivalet propositioni cujus subjectum semper est pronomen *qui, quæ, quod*, sive exprimatur, sive non : v. g.,

Deus omnipotens creavit mundum periturum, idem est ac si diceretur : *Deus, qui est omnipotens, creavit mundum qui est periturus*. Hæc propositio : *Deus creavit mundum*, dicitur propositio principalis ; istæ autem propositiones : *Qui est omnipotens*, *Qui est periturus*, vocantur incidentes, quia in propositionem principalem quasi incidunt.

Propositio incidens est explicans vel determinans.

Dicitur *explicans*, quando propositionem principalem nullatenus restringit, sed eam tantummodo explicat; tunc omitti potest, sensu principalis propositionis integro remanente. Est autem *determinans* quando sensum principalis propositionis restringit ac determinat, et tunc omitti non potest quin sensus ejus immutetur : v. g., hæc propositio : *Omnes qui pie vixerint salvabuntur*, vera est, et falsa esset, si omitteretur *qui pie vixerint*.

Sæpe in eodem subjecto vel in eodem attributo plures simul adsunt propositiones incidentes, quarum aliæ sunt explicantes, aliæ determinantes, aliæ veræ, et aliæ falsæ, aliæ totis vocibus expressæ, et aliæ unico verbo constantes, etc. Ubi ergo in discursu philosophico tales occurrunt propositiones, caute procedendum est, ne aliquid falsi cum vero admittatur.

Omnis propositio in qua habetur verbum activum cum substantivo quod regit, est aliquo modo complexa, quod adverti debet sive in analysi, sive in argumentatione.

Circa totam hanc materiam, de propositionibus complexis, utilissime legetur opus exquisitum cui titulus : *l'Art de penser*, vel aliud opus dictum : *la Grammaire des grammaires*, t. II.

Propositio complexa recte contradicitur si propositionis principalis vera assignetur contradictoria, juxta regulas superius expositas; v. g., hæc propositio : *Alexander, rex Macedoniæ, vicit Medos*, recte per hanc alteram contradicitur : *Alexander non vicit Medos ;* propositio incidens potest etiam contradici, v. g., in exemplo allato : *Alexander non fuit rex Macedoniæ*. Attamen si propositio principalis sit vera, et falsam habeat propositionem incidentem, negari non debet simpliciter, sed velut falsum supponens :

v. g., *Napoleo pius religionem catholicam in Gallia restituit;* hæc propositio non accurate negaretur simpliciter, sed tanquam falso supponens Napoleonem fuisse pium.

§ II. — De propositionibus compositis.

Propositio vocatur *composita* quando ipsius subjectum, vel attributum, vel utrumque simul, est multiplex : v. g., *Mens et corpus sunt substantiæ;* hæc enim propositio duabus istis æquivalet : *Mens est substantia ; Corpus est substantia.* Merito igitur appellatur composita.

Propositio composita præcipue dividitur in copulativam, disjunctivam, conditionalem, causalem, relativam et discretivam.

1° Propositio *copulativa* ea est quæ duo aut plura subjecta vel attributa simul nectit per conjunctiones affirmantes, *et, ac, atque*, vel per alias negantes, *nec, neque :* v. g., *Scientia et divitiæ non faciunt hominem beatum,* vel *Nec scientia, nec divitiæ faciunt hominem beatum.* Ad veritatem hujus propositionis, saltem quando est affirmans, requiritur ut singulæ ejus partes sint veræ. Unde falsa est ista : *Virtus et divitiæ necessariæ sunt ad salutem.* Recte idcirco contradicitur negando veritatem unius membri : v. g., *Divitiæ non sunt necessariæ ad salutem.*

2° Propositio *disjunctiva* ea est quæ duas vel plures complectitur incompatibiles, per particulas, *aut, vel, sive*, sibi colligatas : v. g., *Omnis actus hominis deliberatus est bonus vel malus.* Veritas hujus propositionis ab oppositione membrorum pendet, et exigit ut nullum admitti possit medium : hinc prædicta propositio est vera, et ista : *Homo est albus vel niger,* est falsa. Contradicitur autem negando disjunctionem : v. g., *Homo non est albus vel niger :* vel, *Aliquis est homo neque albus neque niger.*

3° Propositio *conditionalis* ea est quæ duabus constat partibus per particulas conditionales, *si, modo,* conjunctis : v. g., *Mens humana est immortalis, si non sit corporea,* Pars quæ continet conditionem vocatur antecedens, et altera consequens. Veritas ejus a sola membrorum connexione pendet, ita ut ambæ partes falsæ veram tamen

efficiant propositionem : v. g., *Si materia cogitat, mens humana potest esse extensa;* contra vero duæ partes veræ dant propositionem falsam, si inter eas non sit connexio : v. g., *Si David fuit rex, fuit justus.* Hæc propositio contradicitur negando legitimam esse membrorum connexionem : v. g., *Si David fuit justus, non quia fuit rex.*

4° Propositio *causalis* ea est quæ duas habet partes his particulis, *quia, quoniam, enim, ideo*, etc., inter se devinctas : v. g., *Deum diligere debemus, quia est amabilis.* Ut hæc propositio sit vera, duo requiruntur, videlicet : 1° ut singulæ partes sint veræ; 2° ut una sit alterius causa. Falsa est igitur propositio ista : *Homo est rationalis, quia est animal.* Contradicitur negando unam esse alterius causam : v. g , *Homo ideo non est rationalis, quia est animal;* aut negando veritatem unius partis : v. g., *Homo non est rationalis*, vel *Homo non est animal.*

5° Propositio *relativa* ea est cujus membra particulis relativis, *talis, qualis, tantum, quantum*, et aliis quamdam relationem exprimentibus colligantur : v. g., *Qualis vita, talis mors.* Ad veritatem hujusce propositionis requiritur ut relatio quæ exprimitur revera existat; falsa est ergo sequens propositio : *Tanta est mens, quantum est corpus.* Contradicitur negando accuratam esse relationem quæ exprimitur : v. g., *Magnitudo mentis non pendet a magnitudine corporis.*

6° Propositio *discretiva* est illa cujus membra sibi junguntur per adversantes particulas *sed, tamen, non autem*, etc. Tales sunt istæ : *Virtus fatigari potest, sed vinci nequit; Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.* Hujusmodi propositio vera esse non potest, quin ambæ partes ejus sint veræ, et aliqua inter eas adsit oppositio vel disparitas. Hinc falsa est ista : *Judas fuit avarus, et tamen proditor.*

Contradicitur refellendo unam partem, vel negando disparitatem seu oppositionem; v. g., præcedens propositio tripliciter contradici potest, dicendo, scilicet : *Judas non fuit avarus*, vel *Judas non fuit proditor*, vel *Avaritia proditioni non est opposita.*

Circa has aliasque propositionum compositarum species, vide opus jam citatum, *l'Art de penser, 2e partie, ch.* 9.

DISSERTATIO TERTIA.

DE RATIOCINIO.

Ratiocinium est actus mentis quo unum judicium ex uno vel ex pluribus aliis deducitur. Actus ille est simplex, sicut judicium. Quemadmodum enim judicium dividi non potest, quamvis necessario plures supponat ideas quas jungit vel disjungit, ita nec ratiocinium, licet unum saltem supponat judicium : vel enim totum est, vel nullum.

Hæc operatio mentis vocatur etiam *discursus*, quia mens a noto ad ignotum transit, et quasi discurrit.

Duplex distinguitur ratiocinium, *immediatum* scilicet et *mediatum*. Ratiocinium est immediatum quando unum judicium, nulla comparatione facta, ex altero statim deducitur, quod sæpissime fit in eis quæ sunt clara respectu nostri; v. g., *Petrus modo exspiravit : ergo non vivit. Andreas est filius Jacobi : ergo est junior. De duobus lineis ex uno puncto ad aliud punctum ductis, una est recta : ergo est brevior*, etc. Ratiocinium mediatum in eo consistit, quod duæ ideæ, quarum convenientia vel repugnantia clare non percipitur, cum alia tertia comparentur, ut postea jungantur vel separentur, prout simul convenire aut repugnare eidem tertiæ deprehenduntur : v. g., quæritur an mens humana sit corporea; ut relatio convenientiæ vel disconvenientiæ inter ideas mentis et corporis deprehendatur, tertia advocatur, nempe idea cogitationis, et dicitur :

Mens humana cogitat :

Atqui substantia cogitans non est corporea ;

Ergo mens humana non est corporea.

Res illustratur exemplo : Duo video objecta, noscere cupio an longitudine sint æqualia vel inæqualia; illa cum eadem mensura comparo : si utrumque tria habeat metra

longitudinis, v. g., certo sunt æqualia : si e contra, unum tria habeat metra, et alterum quatuor, concludendum est ea esse inæqualia.

Ratiocinium immediatum ad formam ratiocinii mediati reduci potest; sed de facto, mens, in priori, ope mediæ propositionis procedere non videtur sicut in posteriori.

Hinc patet ratiocinium esse argumentum imbecillitatis nostræ; si enim omnia unico intuitu perspiceremus, ratiocinio non indigeremus, nec facultate ratiocinandi polleremus : nulla igitur est ratiocinatio nullusque discursus apud Deum. Attamen ars recte ratiocinandi est maximi momenti, siquidem ratiocinium est modus quo scientiæ humanæ, positis primis principiis, acquiruntur.

Ratiocinium attingit tantum veritatem *formalem*, non vero substantialem per se : accuratum est eo ipso quod unum judicium ex aliis recte deducitur. Unde si admittatur principium falsum, ex illo, per rectum ratiocinium, necessario deducenda est conclusio falsa.

In omni ratiocinio tria distinguuntur : antecedens, consequens et consequentia, ut diximus in prolegomenis, cap. 4.

Ratiocinium vocibus expressum, dicitur *argumentatio* et definitur : Oratio ratiocinii interpres, in qua una propositio ex una vel ex aliis deducitur.

Propositio quæ per argumentationem probanda est, vocatur *quæstio* vel *theorema* : postquam vero fuit probata, dicitur *conclusio* vel *consequens*. Propositiones vero ex quibus deducitur, appellantur modo *præmissæ*, ex eo quod præmittantur conclusioni; modo *antecedens*, quia conclusionem antecedunt. Communius vox *antecedens* reservatur ad exprimendam unicam propositionem ex qua deducitur conclusio, in quibusdam ratiocinii formis a syllogismo diversis.

Multæ sunt argumentationis species, quarum nobilior et frequentior est syllogismus, quem nonnulli recentiores suggillare tentaverunt, dicentes, aut conclusionem non contineri in præmissis, et tunc argumentationem non valere, aut contineri, et tunc clare sine argumentatione deprehendi posse, ac proinde vanam esse demonstrationem. Patet

autem ex huc usque dictis, et ex dicendis magis patebit, conclusionem contineri quidem in majore, sed tantum implicite, nec explicitam fieri nisi ope minoris, unde ipsa experientia constat frequens utilitas vel etiam necessitas hujus argumentationis. Inanes sunt ergo objectiones illæ quæ non nisi vocum confusione et æquivocis fundantur. Ad syllogismum cæteræ argumentationes revocari possunt : de illo igitur potissimum agendum est, et dicendum 1° de ejus materia et forma, 2° de ejus regulis, 3° de ejusdem speciebus, 4° de aliis, præter syllogismum, argumentationibus, 5° de diversis sophismatibus. Itaque quinque in ea parte Logicæ erunt capita.

CAPUT PRIMUM.

DE MATERIA ET FORMA SYLLOGISMI.

1° Syllogismus, a verbis græcis σὺν, *cum,* et λόγος, *sermo,* sic dictus, est argumentatio tribus constans propositionibus ita dispositis, ut ex duabus prioribus tertia necessario sequatur : v. g.,

Qui cogitat existit ;
Atqui cogito :
Ergo existo.

Si per analysim resolvatur, reperiuntur primo propositiones, deinde termini ex quibus coalescunt propositiones.

Duplex igitur distinguitur *materia* syllogismi, *remota* scilicet et *proxima.*

Materia syllogismi *remota* sunt tres termini qui in omni syllogismo reperiuntur : nam in omni ratiocinio proprie dicto tres sunt ideæ, ut diximus, videlicet duæ comparandæ et tertia cui comparantur. Ideæ autem vocibus seu terminis exprimuntur : in quolibet igitur syllogismo tres sunt termini distincti. Qui exprimunt ideas comparandas, dicuntur *extrema,* quia in utraque extremitate quæstionis probandæ et postea probatæ collocantur. Terminus autem quo exprimitur idea quæ adhibetur ut mensura, vocatur

medius, quia duo extrema cum illo comparantur, et quasi medium inter ea tenet locum. Ut duo extrema a se invicem distingui possint, vocantur majus extremum et minus extremum; tres igitur termini syllogismi sunt, *majus extremum*, *minus extremum*, et *medius terminus*. Majus extremum est attributum conclusionis, minus extremum est subjectum conclusionis, et medius terminus est ille cui duo extrema comparantur.

Materia *proxima* syllogismi sunt tres propositiones ratiocinium tribus constans judiciis exprimentes, et quibus totus constituitur syllogismus : una dicitur *major*, altera *minor*, et tertia *conclusio*.

Major sic appellatur, quia majus extremum cum medio termino continet; minor ita vocatur, quia minus extremum cum medio termino complectitur; communiter major primam occupat sedem in syllogismo ; aliquoties tamen, minor hunc habet locum. Conclusio sic nominatur, quia ex præmissis deducitur, et tertium locum semper tenet in syllogismo. Duo extrema in ea junguntur vel separantur, prout in præmissis deprehensa sunt cum medio termino convenire aut repugnare. Cum attributum propositionis sæpe latius extendatur quam ejus subjectum, ideo attributum conclusionis vocatum est majus extremum, et ipsius subjectum eadem ratione dicitur minus extremum.

2° *Forma* syllogismi est dispositio ipsius materiæ in ordine apto ad concludendum : duplex est, scilicet, remota et proxima.

Forma *remota* est dispositio terminorum, et forma *proxima* est dispositio propositionum, modo ad concludendum aptiori ; sic dicuntur quia, si fiat analysis ratiocinii, primo habentur propositiones, et deinde termini e quibus ipsæ coalescunt. Sit in exemplum sequens syllogismus :

Qui multa desiderat, non est beatus :
Atqui avarus multa desiderat:
Ergo avarus non est beatus.

Majus extremum est *beatus*, minus extremum est *ava-*

rus, et *qui multa desiderat* est medius terminus : en dispositio terminorum.

Prima hujus syllogismi propositio est major, quia majus extremum cum medio termino continet ; secunda est minor, quia minus extremum cum medio termino habet : tertia est conclusio, duo quippe complectitur extrema. En dispositio propositionum et forma proxima istius syllogismi.

In omni syllogismo tria iterum distinguenda sunt, nempe antecedens, consequens et consequentia, sicut diximus in prolegomenis, agentes de ratiocinio.

CAPUT SECUNDUM.

DE REGULIS SYLLOGISMORUM.

Inter regulas syllogismorum, aliæ a veteribus traditæ sunt, et arte maxima digestæ ; alia vero est recentiorum, quæ, juxta ipsos, locum cæterarum tenere potest. De hac et de illis nunc seorsim agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE REGULIS SYLLOGISMORUM JUXTA VETERES.

Octo numerantur regulæ generales syllogismorum a veteribus excogitatæ, quæ Aristoteli tribuuntur. Sequentibus exornatæ sunt versibus, ut facilius memoria retinerentur :

Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque ;
Latius hunc quam præmissæ conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet ;
Aut semel, aut iterum medius generaliter esto ;
Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur ;
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem ;
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam ;
Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Quatuor priores regulæ spectant terminos, et in ipsa ratiocinii natura fundantur ; quatuor vero posteriores spectant propositiones, et his nituntur principiis, scilicet :

1° Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se :

2° Duo, quorum unum convenit et alterum disconvenit eidem tertio, non sunt eadem inter se :

3° Si, comparatione peracta, duo eidem tertio inveniantur repugnare, eorum æqualitas affirmari aut negari non potest.

In memoriam revocandum est quod supra diximus, pag. 52, attributum propositionis affirmantis semper esse particulare vi affirmationis, et attributum propositionis negantis semper universale ; subjectum vero esse universale vel particulare, juxta quantitatem propositionis quam determinat.

Notandum insuper id de notionibus inferioribus dicendum esse quod de notione superiori dicitur, et id de notionibus inferioribus negandum, quod de notione superiori negatur.

Certum est prædictas Aristotelis regulas non esse maximæ utilitatis in praxi; ad eas enim ratiocinando et argumentando fere numquam attendimus. Quia tamen percelebres semper fuerunt in scholis, et aliunde, cum ita sint veræ ut nullus syllogismus recte concludat, si vel una ex illis non accurate servetur, abs re non erit aliquid de unaquaque paucis verbis dicere.

Regula I. — *Terminus esto triplex*, etc.

Id est, tres tantum debent esse termini in syllogismo.

Demonstratur. Natura syllogismi in eo præcise consistit, quod duo extrema comparentur cum medio termino, ut eorum convenientia vel repugnantia detegatur : porro ad hanc operationem tres tantum esse debent termini. Si enim unum extremum comparetur cum uno termino, et alterum extremum cum altero termino, nihil inde concludi posset. Ergo, etc.

Absurdus est igitur sequens syllogismus :

Omnis homo est spiritus :
Atqui omne corpus est divisibile :
Ergo homo est divisibilis.

Quatuor enim in illo sunt termini, nempe, *Homo*, *spiritus*, *corpus* et *divisibile*.

Regula II. — *Latius hunc quam præmissæ*, etc.

Id est, nullus terminus latius sumi debet in conclusione quam in præmissis.

Demonstratur. Conclusio deducitur ex præmissis; nihil ergo continere debet quod non fuerit in præmissis. Verumtamen aliquid contineret quod non fuisset in præmissis, si aliquis terminus latius sumeretur in ea quam in præmissis. Ergo, etc. Unde male concluderet iste syllogismus :

Omne animal est vivens :
Atqui omne animal est substantia :
Ergo omnis substantia est vivens.

Vox enim *substantia* sumitur tantum particulariter in minore, tanquam attributum propositionis affirmantis, et universaliter in conclusione, ut pote subjectum propositionis universalis.

Regula III. — *Nequaquam medium capiat*, etc.

Id est, medius terminus exprimi non debet in conclusione.

Demonstratur. Conclusio est ipsamet propositio quæ ante probationem dicebatur quæstio probanda, quæ proinde eadem esse debet post probationem : atqui medius terminus in ea propositione non continebatur ante probationem, siquidem ad conficiendam probationem tantum adhibetur : ergo non contineri debet in conclusione, aut saltem omnino superfluus esset ; v. g.,

Virtus est laudabilis :
Atqui diligentia est virtus :
Ergo diligentia est virtus laudabilis.

Vox *virtus* omnino est superflua.

Aliquando etiam obscuritatem in argumentatione hæc repetitio inferre potest, et inde falsam conclusionem inducere, ut in sequenti syllogismo :

Alexander erat rex :

Atqui Alexander erat parvus :
Male concluderetur : Ergo Alexander erat parvus rex :
Vel : Ergo parvus erat rex Alexander.
Recta conclusio esset : Ergo parvus erat rex ;
Vel : Ergo rex quidam erat parvus.

Regula IV. — *Aut semel aut iterum*, etc.

Id est, medius terminus saltem semel universaliter distributive sumi debet in alterutra præmissarum.

Universalitas distributiva ea est qua attributum affirmatur de subjecto juxta totam extensionem suam distributive sumptam.

Demonstratur. Ex prima regula, tres tantum debent esse termini in syllogismo : atqui, nisi medius terminus saltem semel universaliter sumeretur, quatuor essent termini in syllogismo, nempe duo extrema et duplex medius terminus ; duplex enim esset medius terminus si duo diversa significaret in præmissis : atqui duo significaret, si bis particulariter sumeretur, ut in sequenti syllogismo :

Omnis homo est animal :
Atqui omne brutum est animal :
Ergo omnis homo est brutum.

Vox enim *animal*, quæ est medius terminus, unum significat in majore et alterum in minore ; æquivalet igitur duplici termino. Ergo quatuor sunt termini in illo syllogismo, qui idcirco male concludit.

Caute ergo cavendum est ne aliqua sit vox æquivoca quæ in diverso sensu accipiatur ; nam eo ipso duobus æquivalet terminis, sicque facile irrepit error, præsertim ubi plures sibi succedunt propositiones concatenatæ.

Communiter sequens objicitur syllogismus :

Quidam homines sunt albi :
Atqui Galli sunt homines :
Ergo Galli sunt albi.

Unde sic : Iste syllogismus est legitimus : atqui tamen medius terminus, nempe *homines*, bis particulariter sumitur. Ergo, etc.

R. N. ge min. Tres quidem propositiones citatæ seorsim spectatæ sunt veræ, sed non ideo legitimus est syllogismus; nam ille syllogismus non est legitimus, cujus conclusio non deducitur ex præmissis : atqui conclusio hujus syllogismi non deducitur ex præmissis : ex eo quod enim quidam homines sint albi, et Galli sint homines, non sequitur Gallos esse albos; possent enim esse ex quibusdam aliis hominibus qui non sunt albi. Unde alter ille syllogismus priori omnino similis, male concludit :

Quidam homines sunt albi :
Atqui Æthiopes sunt homines :
Ergo Æthiopes sunt albi.

COROLLARIUM.

Ex quatuor prioribus regulis, plures debent esse termini generales in præmissis quam in conclusione; nam ex regula secunda, nullus terminus latius sumi potest in conclusione quam in præmissis : ex regula quarta, medius terminus sumi debet saltem semel universaliter; et ex regula tertia, reperiri non debet in conclusione. Ergo si duo sint termini universales in conclusione, tres esse debent in præmissis : si duo tantum sint generales in præmissis, unicus debet esse in conclusione; et si unicus sit generalis in præmissis, nullus potest esse generalis in conclusione.

REGULA V. — *Utraque si præmissa neget*, etc.

Id est, ex duabus præmissis negantibus nihil concludi potest.

Demonstratur. Ubi duæ præmissæ sunt negantes, pronuntiatur duo extrema cum medio termino non convenire : at ex eo quod duo extrema cum medio termino non conveniant, inferri non potest ea sibi convenire vel repugnare, ut patet. Sic vitiosus est sequens syllogismus :

Homo non est lapis :
Atqui marmor non est homo :
Ergo marmor non est lapis.

Objicitur iste syllogismus :

Qui non studet, non erit doctus :
Atqui Petrus non studet :
Ergo non erit doctus.

Utraque præmissa hujus syllogismi est negans : atqui tamen recte concludit : ergo, etc.

R. Nego majorem : in syllogismo enim non sola verborum contextura examinanda est, sed multo magis quærendus est genuinus propositionum sensus earumque vera forma in casu de quo agitur. Dicta propositio, in se spectata, negans quidem esset : sed posita in syllogismo, pendet ab altera cui colligatur : nam idem debet esse medius terminus in utraque : porro medius terminus in majori est. *qui non studet :* unde minor fit affirmativa, dicens Petrum esse illum *qui non studet*. Ergo, etc.

Regula VI. — *Ambæ affirmantes nequeunt*, etc.

Id est, si utraque præmissa sit affirmans, conclusio debet esse affirmans.

Demonstratur. Quando ambæ præmissæ sunt affirmantes, pronuntiatur duo extrema cum medio termino convenire : si autem duo extrema cum medio termino conveniant, necessario sibi conveniunt, juxta axioma, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se* : ergo in conclusione sibi consociari debent per affirmationem. Ergo, etc.

Regula VII. — *Nil sequitur geminis*, etc.

Id est, nihil legitime concludi potest ex duabus præmissis particularibus.

Demonstratur. Vel enim ambæ præmissæ essent affirmantes, vel ambæ negantes : vel una affirmans et altera negans : at in triplici hypothesi nihil legitime concludi potest.

1° Si ambæ sint affirmantes, nihil legitime concludi potest : nam tunc subjectum et attributum utriusque propositionis essent particularia : medius terminus bis particulariter sumeretur, ac proinde conclusio non posset esse legitima, ex regula quarta, v. g., vitiosus esset iste syllogismus :

Quidam homines sunt nigri :
At quidam homines sunt Galli :
Ergo quidam Galli sunt nigri.

2° Nihil pariter concludi posset, si utraque præmissa esset negans, ut patet ex regula quinta.

3° Nihil similiter concludi posset si una præmissarum esset affirmans et altera negans : tunc enim, ex regula octava mox demonstranda, conclusio deberet esse negans, proindeque ipsius attributum, scilicet majus extremum, universaliter sumeretur : ergo universale esset in majore, ex regula secunda. Aliunde, ex regula quarta, medius terminus saltem semel universaliter sumi debet in una præmissarum : duo igitur reperiri deberent termini universales in præmissis : atqui in duabus præmissis particularibus, quarum una est affirmans et altera negans, unicus est terminus universalis, scilicet, attributum propositionis negantis. Ergo, etc. Hinc legitimus non esset sequens syllogismus :

Quidam homines sunt nigri :
Atqui quidam Galli non sunt nigri :
Ergo non sunt homines.

Regula VIII. — *Pejorem sequitur semper*, etc.

Id est, si una præmissarum sit negans, conclusio debet esse negans; et si una sit particularis, conclusio debet esse particularis.

Demonstratur. 1° Conclusio debet esse negans, si una præmissarum sit negans; nam ubi una præmissarum est affirmans, et altera negans, pronuntiatur unum extremum cum medio termino convenire, et alterum extremum cum eodem medio termino non convenire : ergo ipsa duo extrema separanda sunt per conclusionem negantem.

2° Si una præmissarum sit particularis, conclusio debet esse particularis : nam vel utraque præmissa est affirmans; vel una est affirmans et altera negans, siquidem ex regula quinta, duæ præmissæ non possunt esse negantes. At in utroque casu conclusio debet esse particularis.

1° Si utraque præmissa sit affirmans : nam in ea hypo-

thesi, unicus terminus in præmissis est universalis, nempe subjectum propositionis generalis : ergo, ex corollario regulæ quartæ, nullus potest esse terminus universalis in conclusione, ac proinde conclusio debet esse particularis affirmans. Unde vitiosus esset sequens syllogismus :

Omnes Itali sunt molles :
Atqui Itali sunt homines :
Ergo omnes homines sunt molles.

2° Si una præmissarum sit affirmans et altera negans, conclusio debet esse negans, ex prima parte hujus regulæ; debet quoque esse particularis : nam duo tantum essent termini generales in præmissis, videlicet subjectum propositionis generalis et attributum propositionis negantis : ergo unicus deberet esse generalis in conclusione : attributum autem ejus est generale ; ergo subjectum debet esse particulare, ac consequenter propositio necessario est particularis. Male ergo sequens concludit syllogismus :

Omnis philosophus est superbus :
At quidam juvenes non sunt superbi :
Ergo nullus juvenis est philosophus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REGULA GENERALI PRO OMNIBUS SYLLOGISMIS, JUXTA RECENTIORES.

Natura syllogismi in eo consistit ut conclusio ex præmissis recte inferatur : at conclusio ex præmissis inferri non potest, nisi in eis contineatur et contenta videatur. Unde quidam recentiores hanc universalem pro omnibus syllogismis statuunt regulam, scilicet, *ut una præmissarum conclusionem in se contineat, et altera eam esse contentam manifestet.* Ita auctor Artis cogitandi, *tertia parte. c.* 9 *et* 11.

Certum est hanc regulam totius artis syllogisticæ fundamentum exprimere : nullus enim syllogismus recte concludit, nisi conclusio in præmissis contineatur et contenta videatur ; semper, e contra, legitime concludit quando conclusio accurate continetur in præmissis ; ve-

rissima est igitur hæc regula. Si utraque præmissa sit affirmans, alterutra indiscriminatim spectari potest ut conclusionem continens, vel ut in altera contentam declarans; v. g.,

Omnis virtus est laudabilis :
Atqui justitia est virtus :
Ergo justitia est laudabilis.

Quælibet præmissa continet conclusionem, et altera eam esse contentam declarat. Major enim eam continet, quia justitia in nomine virtutis includitur, ut minor declarat; minor pariter eam complectitur, nempe vocem *justitia*, quæ cum virtute identificata declaratur in majore laudabilis.

Si autem una præmissarum sit negans, conclusionem continere debet, sive sit major, sive sit minor; affirmans declarat eam esse contentam, ut in syllogismo sequenti :

Nullus vitiosus est beatus :
Atqui avarus est vitiosus :
Ergo avarus non est beatus.

Avarus sub nomine vitiosi non beati includitur, ut patet, et minor illud declarat. Ergo, etc.

Ope illius regulæ vitium sequentis syllogismi facile detegitur.

Lex divina præcipit ut sæculari magistratui obediamus :
Atqui episcopi non sunt magistratus sæculares :
Ergo lex divina non præcipit ut obediamus episcopis.

Manifestum est enim conclusionem in præmissis non contineri : major quidem declarat obediendum esse sæculari magistratui, sed non excludit alios in dignitatibus ecclesiasticis constitutos; in minore autem negatur episcopos esse magistratus sæculares; verum nihil pronuntiatur de lege divina respectu ipsorum : inferri ergo non potest legem divinam non præcipere ut illis obediatur.

Eodem modo mens perspicax vitium uniuscujusque argumenti falso concludentis deprehendet. At sæpe rationem cur falso concludat ostendere non poterit, nisi ope regularum quas supra demonstravimus; v. g., si medius terminus bis particulariter sumatur, et quatuor sint ter-

mini in syllogismo : aliunde probari non potest conclusionem non contineri in præmissis nisi ostendendo medium terminum duo diversa significare. Hæc itaque recentiorum regula facilior et communior est in praxi pro iis qui jam exercitati sunt; sed aliæ nihilominus aptiores sunt ad exhibendam rationem cur syllogismus recte non concludat.

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS SYLLOGISMORUM SPECIEBUS.

Syllogismus, quoad species suas spectatus, potest esse simplex, complexus et compositus.

1° Syllogismus *simplex* ille est in quo utrumque extremum integrum comparatur medio termino in præmissis : v. g.,

Virtus est laudabilis :
Atqui diligentia est virtus :
Ergo diligentia est laudabilis.

De hac syllogismorum specie huc usque disseruimus.

2° Syllogismus *complexus* ille est cujus conclusio continet terminos complexos, qui non integre, sed ex parte exprimuntur in præmissis ; v. g.,

Lex divina jubet honorare pastores Ecclesiæ :
Atqui Benedictus est Ecclesiæ pastor :
Ergo lex divina jubet illum honorare.

Ut judicetur an syllogismus complexus recte concludat, reducendus est ad syllogismum simplicem, omittendo propositiones incidentes, quoties omitti possunt; et tunc communibus subjicitur regulis : v. g.,

Pastores Ecclesiæ honorandi sunt :
Atqui Benedictus est Ecclesiæ pastor :
Ergo honorandus est.

Etenim verba ista : *Lex divina jubet*, non sunt propositio principalis, sed propositio incidens, quæ in confirmationem propositionis principalis adducitur. Fieri tamen

posset ut verba, *Lex divina jubet*, principaliora essent, si nempe vis legis divinæ præcipue intenderetur a loquente, et tunc ad eam formam reducendus esset syllogismus :

Lex divina est jubens, etc.

Si autem propositiones incidentes omitti nequeant, quin sensus propositionis principalis immutetur vel adulteretur, curandum est, addendo voces necessarias, ut majus extremum et minus extremum eadem sint in præmissis ac in conclusione, et tunc regulæ consuetæ facile applicantur : v. g.,

Pecunia est vilis materia :
Atqui avari amant pecuniam :
Ergo avari amant vilem materiam.

Ut idem sit majus extremum in præmissis, sic exprimi debet major : *Qui amant pecuniam, amant vilem materiam : atqui*, etc. Ergo, etc.

Caute genuinus exquirendus est sensus præmissarum complexarum, ut conclusio recte deducatur. Vide *Art de penser*, 3e *partie*, *ch.* 9.

3° Syllogismus *compositus* ille est cujus major est propositio conditionalis, disjunctiva vel copulativa negans. Unde triplex distinguitur, videlicet, conditionalis, disjunctivus et copulativus.

Syllogismus *conditionalis* ille est cujus major est propositio conditionalis, id est, duas habens partes per particulam *si* conjunctas; pars quæ conditionem includit, vocatur antecedens; altera pars dicitur consequens : v. g.,

Si Deus est justus, punit peccatores :
Atqui Deus est justus :
Ergo punit peccatores.

Istiusmodi syllogismi duplex est regula : 1° quando conceditur antecedens in minore, consequens affirmari debet in conclusione, ut in exemplo citato ; 2° quando consequens negatur in minore, antecedens negari debet in conclusione : v. g.,

Si petrus sit sapiens, fugiet tabernas :
Atqui non fugit tabernas :
Ergo non est sapiens.

Unde hæc duo nata sunt axiomata : *Verum prius ; ergo et posterius : Falsum consequens ; ergo et antecedens.*

Ratio fundamentalis est quod in propositione conditionali accurata, posterior pars a priori necessario pendeat : posita igitur veritate antecedentis , verum est consequens ; et , admissa falsitate consequentis , falsum esse debet antecedens.

Notandum est autem ex affirmatione consequentis non demonstrari veritatem antecedentis, quia consequens potest ex alia causa procedere , et ideo verum esse quin exinde verum sit antecedens.

Syllogismus *disjunctivus* ille est cujus major est propositio disjunctiva, seu duas aut plures complectens partes incompatibiles per particulas *aut, vel, sive,* sibi colligatas. Triplicem habet regulam, scilicet :

1° Quando una pars affirmatur in minore, altera negari debet in conclusione ; v. g.,

Vel coercendæ sunt cupiditates, vel eis indulgendum est :
Atqui eas coercendas esse jubet recta ratio :
Ergo eis non indulgendum est.

2° Si una pars negetur in minore, altera debet affirmari in conclusione : v. g.,

Vel coercendæ sunt cupiditates, vel eis, etc.
Atqui eis non indulgendum est :
Ergo coercendæ sunt.

Ratio est, quia partes propositionis disjunctivæ vere sunt contradictoriæ : non possunt igitur esse simul veræ, nec simul falsæ. Ergo una admissa, altera rejicienda est, et vice versa.

3° Requiritur ut nullum sit medium inter membra propositionis disjunctivæ, alioquin propositio esset falsa, ac proinde falsa esset conclusio. Hinc peccat iste syllogismus :

Vel obediendum est principibus aliquid contra legem Dei præcipientibus, vel adversus eos rebellandum est :
Atqui eis obedire non licet :
Ergo adversus eos rebellandum est.

Omnis propositio disjunctiva propositioni conditionali æquivalet ; idcirco syllogismus disjunctivus in syllogis-

mum conditionalem semper resolvi potest. Sic aliquando resolvi debet ut ipsius falsitas aut absurditas clarius pateat. Sit, v. g., iste syllogismus :

Vel pluit, vel non pluit :
Atqui pluit :
Ergo non pluit.

Si prima propositio in conditionalem vertatur, hæc erit, satis quidem singularis in forma propter negationem bis repetitam : *Pluit, si non non pluit :* ex propositione autem sic enuntiata patet vitium præcedentis conclusionis. Ita pariter multi refelli possunt alii syllogismi disjunctivi eadem forma expressi.

Aliunde peccant contra primas regulas pro hujusmodi syllogismis traditas ; quando enim una pars affirmatur in minore, altera negari debet in conclusione ; et. vice versa, quando una negatur, altera debet affirmari. Illæ regulæ in dicto syllogismo et in aliis ejusdem generis non observantur, sed ambæ partes primæ propositionis eædem remanent in minore et in conclusione : v. g.,

Vel sol movetur circa terram, vel non movetur :
Atqui non movetur :
Ergo movetur.

Neutra pars majoris vere negatur seu immutatur, sive in minore, sive in conclusione : eadem quippe et in iisdem terminis utraque remanet. Cum enim secunda pars de facto affirmetur in minore, prima negari debet in conclusione.

Syllogismus *copulativus* ille est cujus major est propositio copulativa negans ; v. g.,

Nemo potest servire Deo et mammonæ :
Atqui avarus servit mammonæ :
Ergo non servit Deo.

Vel : Atqui vere christianus servit Deo :
Ergo non servit mammonæ.

Regula hujus syllogismi est ut una pars affirmetur in minore et altera negetur in conclusione, sicut in datis exemplis.

Non valeret autem si una pars negaretur in minore, et altera affirmaretur in conclusione ; v. g.,

Nemo potest servire Deo et mammonæ :
Atqui prodigus non servit mammonæ :
Ergo servit Deo.

Ratio est, quia major enuntiat quidem duo attributa eidem subjecto simul convenire non posse; unde, uno affirmato, alterum negari debet; sed non declarat alterutrum necessario convenire subjecto : ex negatione igitur unius male inferretur alterum convenire.

Alia exempla syllogismorum compositorum afferri possent, cum applicatione speciali propriarum regularum. Cum autem, brevitatis necessariæ causa, non liceat, iterum remittimus ad opus jam citatum, *Art de penser*.

CAPUT QUARTUM.

DE ALIIS, PRÆTER SYLLOGISMUM, ARGUMENTATIONIS SPECIEBUS.

Syllogismus tribus constat propositionibus distinctis, ut patet ex dictis. At hujusmodi argumentandi forma, licet verissimis principiis fundata, est lenta, gravis et in consueto sermone injucunda : parum igitur extra scholas usitatur. Sæpe vero aliæ usurpantur formæ, quæ ad septem revocantur species, scilicet : prosyllogismus, enthymema, epicherema, sorites, dilemma, inductio, et exemplum.

1° *Prosyllogismus* est argumentatio quinque constans propositionibus, duos continentibus syllogismos, ita dispositos ut conclusio prioris sit una præmissarum posterioris; v. g.,

Quod non habet partes, perire non potest dissolutione partium :
Atqui substantia spiritualis non habet partes :
Ergo substantia spiritualis perire non potest dissolutione partium :
Porro mens humana est substantia spiritualis :

Ergo mens humana perire non potest dissolutione partium.

Hæc argumentatio iisdem subjicitur regulis ac syllogismus.

2° *Enthymema*, a vocibus græcis ἐν, *in*, et θυμὸς, *animus*, est syllogismus in mente quidem perfectus, exterius vero truncatus, quia, brevitatis causa, una præmissarum reticetur : v. g.,

Deus est bonus :

Ergo est amandus.

Subauditur hæc propositio : *Qui est bonus, amandus est.* Similiter reticeri potest minor : v. g.

Qui est bonus amandus est :

Ergo Deus est amandus.

Subintelligitur ista propositio : *Atqui Deus est bonus.*

Ad istam argumentationis speciem reducitur syllogismus de quo loquitur auctor Artis cogitandi, 3ª parte, c. 13, cujus conclusio est conditionata : in duplicem enim, et aliquando in unicam convertitur propositionem, ut vividior et lepidior sit sermo. v. g., iste syllogismus :

Vere amicus dat vitam pro amico :

Atqui pauci vitam dant pro amicis :

Ergo pauci sunt vere amici,

sic eleganter reducitur :

Pauci vitam dant pro amicis :

Ergo, si vere amici vitam pro amicis dare debeant, pauci sunt vere amici ;

vel adhuc brevius et elegantius :

Si vere amici vitam pro amicis dare debeant, pauci sunt vere amici.

Sola hæc propositio sequenti æquivalet enthymemati :

Pauci vitam pro amicis dare volunt :

Ergo pauci sunt vere amici.

Cum enthymema in syllogismum semper resolvatur, iisdem subjicitur legibus.

3° *Epicherema*, a verbo græco ἐπιχειρέω, *contendo*, sic vocatum, est syllogismus cujus alterutri vel utrique præmissæ sua statim adjungitur probatio, antequam deduca-

tur conclusio. Immediata propositionis obscuræ probatio aptior est ad persuadendum ; impedit enim ne animus defatigetur et tædio afficiatur. Sic oratio Ciceronis pro Milone hoc epicheremate tota continetur :

Insidiatores occidere licet; id enim naturæ leges, jus gentium et multa exempla comprobant :

Atqui Clodius insidias struxit Miloni, quod ex armorum apparatu militumque copia satis constat :

Ergo licitum fuit Miloni Clodium occidere.

In simplices syllogismos hæc argumentatio reducitur, et iisdem subjacet regulis.

4° *Sorites* a voce græca σωρός, *acervus*, ita dictus, est argumentationis species pluribus constans propositionibus ita inter se colligatis, ut attributum præcedentis fiat subjectum sequentis, donec tandem subjectum primæ cum attributo ultimæ conjungatur : idcirco hæc argumentatio dicitur etiam gradatio ; v. g., si per soritem seu gradationem probare velimus avaros esse miseros, argumentum nostrum sic instituimus :

Avari multa desiderant :
Qui multa desiderant, multis indigent;
Qui multis indigent, non sunt beati ;
Ergo avari non sunt beati.

Ut tale argumentum recte concludat, duo requiruntur, nempe 1° ut omnes propositiones arctissime sibi sint concatenatæ, 2° ut nulla admittatur propositio æquivoca.

Hinc peccat sequens gradatio :

Qui large bibit, bene dormit :
Qui bene dormit, non cogitat malum ;
Qui non cogitat malum, non peccat;
Qui non peccat, salvus erit :
Ergo qui large bibit, salvus erit.

Æquivoca enim est ista propositio : *Qui bene dormit, non peccat;* etenim non peccat dormiendo, sed potuit peccare antequam dormiret, vel postquam expergefactus est.

5° *Dilemma*, a verbis græcis δίς, *bis*, λαμβάνω, *suscipio*, est argumentatio in qua post divisionem totius in suas partes, id de toto concluditur quod de qualibet parte fuit

conclusum. Vulgo dicitur argumentum *cornutum* seu utrinque feriens, quia ex utraque parte adversarium devincit. Sic probari potest nullam impiis sperandam esse felicitatem.

Vel impii moriendo toti pereunt, vel animæ eorum sunt immortales :

Si toti pereunt, nulla speranda est ipsis felicitas ;

Si animæ eorum sunt immortales, terribilis quædam judicii exspectatio ipsos manet :

Ergo nulla spes felicitatis ipsis relinquitur.

Ad rectam hujus argumenti conclusionem, requiritur, 1° ut propositio disjunctiva medium non admittat ; 2° ut conclusio utriusque partis sit necessaria ; ita ut argumentum istud retorqueri non possit adversus eos a quibus adhibetur. Contra has conditiones peccat sequens dilemma cujusdam antiqui philosophi :

In negotiis publicis, vel bene agitur, vel male ;

Si bene, offenduntur homines ;

Si male, offenduntur dii ;

Ergo nemo negotiis publicis curam dare debet.

Contingere enim potest quod aliquis, bene agendo, homines non offendat, vel saltem ille philosophus non eodem modo æstimare debebat hominum vel deorum offensionem, remota etiam idea boni publici adimpletique officii.

6° *Inductio* est argumentatio in qua ex singularibus enumeratis aliquid universale concluditur : v. g.,

Aurum, argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum, etc., liquari possunt :

Ergo omnia metalla liquari possunt.

Postulat illa argumentatio ut accurata fiat omnium partium enumeratio. Hinc vitiosa est sequens inductio :

Galli, Germani, Itali et Angli sunt albi :

Ergo omnes homines sunt albi.

Notandum inductionem, ut argumentationis speciem, non intelligi eodem sensu quo accipitur inductio ubi de methodo analytica, infra.

7° *Exemplum* est argumentationis species in qua ex

uno singulari aliud singulare infertur; quod fieri potest triplici modo, per similitudinem, per oppositionem et per superioritatem, id est, *a pari, a contrario* et *a fortiori;* v. g.,

1° *A pari :* Deus pepercit David pœnitenti :
Ergo mihi parcet.

2° *A contrario :* Intemperantia nocet valetudini :
Ergo sobrietas illi favet.

3° *A fortiori :* Confabulatio Petri per unam horam est fastidiosa :
Ergo per unum diem.

Forma hujus argumenti eadem est ac enthymematis. Exemplis frequenter utuntur oratores ut suos efficacius commoveant auditores.

CAPUT QUINTUM.

DE DIVERSIS SOPHISMATIBUS.

Verbum græcum σοφίζω significat docere sapientiam, a quo σοφιστής, *sapiens*, et σοφισμός, *inventio sapiens :* sophistes igitur et sophisma in initio perhonorifica erant nomina. At plurimi exstiterunt homines qui, dum profiterentur se esse sapientes, nimia ingenii subtilitate abutebantur, veritatem ambagibus obnubilabant, fucum aliis faciebant eosque in errores inducebant. Hinc honorabile nomen eorum in malam partem cœpit usurpari, sicut apud nos per philosophos ii vulgo nunc intelliguntur homines, qui omnem religionem et præsertim revelatam abjiciunt, saltem quoad praxim, aut arbitrantur diversas religiones positivas æquales esse coram Deo.

Sophismata itaque, juxta significationem nunc receptam, nihil aliud sunt quam nonnulla ratiocinii artificia quibus variis modis decipiuntur homines. Dicuntur etiam *paralogismi* a verbis græcis παρὰ, *secus*, et λογισμός, *ratiocinium*, cum ea tamen differentia, quod sophismata ut effectus malæ voluntatis habeantur, et paralogismi, ut

effectus ignorantiæ. Juvat præcipua eorum genera hic summatim indicare, ut ab illis præcavere facilius discant juvenes. Inter sophismata, alia pertinent ad intellectum, et alia ad voluntatem.

De his et illis paucis verbis nobis dicendum est, sed quædam præmittendæ sunt notiones circa errorem.

Error est opinio veritati opposita, et supponit actum mentis, id est judicium falsum : ignorantia vero est simplex scientiæ carentia. Hinc aliquis potest multa ignorare et tamen non errare, si nempe falsum non pronuntiet.

Sedes igitur erroris est judicium, et illius causa est quidquid nos impellit ad falso judicandum. Mens nostra amat veritatem, sicut oculi sani naturali delectantur lumine ; nemo vult errare ; nullus fatetur se errorem defendere, et tamen frequenter erramus, quia ab aliis per captiosa argumenta decipimur, vel ex præcipitatione, præjudicio, passionibus, illusione sensuum, imaginatione, aliave de causa non satis explorata judicantes, nosmetipsos decipimus. Præcipuos errorum fontes indicaturi sumus, sequentia manifestando sophismata.

Seriam ab alumnis postulamus attentionem, quia nihil majoris est utilitatis in tota Logica.

§ I. — De diversis sophismatum speciebus.

Primum est *ignorantia elenchi*, et fit probando id quod non fuit positum in quæstione et quod ab adversariis non negatur, vel supponendo eis principia quæ non admittunt, aut consecutiones a quibus abhorrent. Nihil frequentius est in disputationibus, tum privatis, tum publicis, quam ista fallacia. Oritur ex præcipitatione, præjudiciis, ignorantia, superbia, affectione odii, invidiæ, aversionis erga adversarios, et imprimis ex æquivocationibus et terminis male definitis, quibus frequenter utuntur sophistæ, præsertim tempore nostro ; quasdam enim affectant formas loquendi aut voces inauditas, vel extraordinarias, quibus nullus affixus est sensus determinatus : aliquando per ironiam respondent, omnia derident, et gravissimas etiam veritates in quemdam contemptum adducunt, simplices

decipiunt, et incautos a via veritatis procul faciunt. Sapienter igitur cavere debemus ne quid obscurum tanquam verum admittamus, et ne irrisiones pro solidis rationibus imprudenter suscipiamus.

Cum multo plures sunt ideæ aut modificationes idearum quam termini, sæpe eadem verba plures habent sensus diversos, aut sub una denominatione plurima subintelliguntur objecta. Unde, nisi attente et sine ulla cupiditatum impulsione procedatur, frequenter disputantes idem non habent in mente, et frustra secum decertant. Sic, abhinc quadraginta annis, multi apud nos valde abusi sunt his verbis : *liberté*, *patriotisme*, *gloire*, *honneur*, *tyrannie*, *despotisme*, *lumières*, *ignorance*, *superstition*, aliisque similibus, ut populum commoverent et perniciosos fines a se intentos obtinerent.

Secundum vocatur ab Aristotele *petitio principii*, et fit supponendo ut probatum quod probandum est; v. g., qui sic probaret terram circa solem moveri : *Sol quiescit : ergo terra circa illum movetur*, in talem incideret fallaciam ; quæstio enim est an sol quiescat vel moveatur.

Ad eam reducitur *circulus vitiosus*, qui in eo consistit ut argumentator cum iisdem adversariis disputans duas propositiones per se invicem probare conetur ; v. g., si dicat 1° evidentiam esse infallibilem, quia Deus est summe verax, et 2° Deum esse summe veracem, quia illud est evidens. In idem adhuc laberetur vitium, qui probaret incertum per incertum, et ignotum per ignotum.

Tertium est *non causa pro causa*, et fit assignando ut causam alicujus effectus id quod revera ipsius causa non fuit. Variis modis in sophisma istud labuntur homines incauti; v. g.,

1° Quando, ne videantur ignari, falsas effectuum causas fingunt : errabant et deludebant veteres philosophi asserentes ideo aquam intra antlias et syringen ascendere, *quia natura abhorret a vacuo ;* illæ enim voces nullum habent sensum determinatum, et nunc constat ascensum liquorum intra tubos a pressione aeris externi originem ducere.

2° Cum res alterius rei causa dicatur, quia eam antecedit, sic ratiocinando : *Post hoc ergo propter hoc;* hinc creditum est olim cometarum apparitiones, solis et lunæ defectiones infaustos prænuntiare eventus, v. g., morbos, penuriam, bella, mortem magni alicujus principis, etc., quia nonnulli ejus generis eventus post cometarum apparitiones vel solis eclipses acciderant.

3° Si, ut causæ quorumdam effectuum, ea assignentur quæ cum illis nullam habere possunt connexionem ; v. g., si dicatur sidera in liberas hominum determinationes influere, eversionem salinæ, numerum tredecim personarum eidem mensæ assidentium mortem alicujus e sedentibus, vel aliam calamitatem indicare, etc.

Sciat vir philosophus quod ipsum minus dedeceat suam ingenue fateri ignorantiam, quam in tales incidere absurditates.

Quartum sophisma est *enumeratio imperfecta*, de qua jam aliquid diximus. Locum habet cum ex particularibus aliquid universale concluditur : v. g., quia plures visi sunt sacerdotes avari, ebriosi, vindicativi, etc., inferunt cleri detractores omnes clericos iisdem vitiis esse deditos; quia plures exstiterunt qui sub larva pietatis damnabilia occultabant vitia, affirmant impii totam religionem nihil aliud esse quam hypocrisim, etc.

Quintum est *fallacia per accidens*, fitque quando id alicui rei tribuitur simpliciter quod ei convenit tantum per accidens vel per abusum ; v. g.,

Philosophia multos fecit impios :
Ergo philosophia in se mala est.
Fuerunt tyranni qui potestate sua in perniciem populorum abusi sunt :
Ergo gubernium monarchicum essentialiter est vitiosum.
Reperiuntur fabulæ apud eos qui historiam romanam scripserunt :
Ergo historia romana nullam meretur fidem.
Falsa admissa sunt miracula :
Ergo miraculis nulla fides adhibenda est.

SEXTUM est *transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid* : v. g.,

Quos habuisti pedes nunc habes :
Atqui habuisti pedes parvos :
Ergo nunc habes pedes parvos.

SEPTIMUM est *fallacia compositionis*, et contingit quando fit transitus a sensu distributivo ad sensum collectivum : v. g.,

Unum et duo sunt par et impar :
Atqui unum et duo faciunt tria :
Ergo tria sunt par et impar.

Unum et duo enim faciunt par et impar seorsim sumpta et divisa, non vero coadunata.

OCTAVUM est *transitus a sensu collectivo ad sensum distributivum* ; sic, v. g.,

Apostoli erant duodecim :
Atqui Petrus et Paulus erant Apostoli :
Ergo erant duodecim.

Vox enim *Apostoli* sumitur in majore ut competens duodecim, et in minore ut competens Petro et Paulo : conclusio igitur deberet esse Petrum et Paulum e numero duodecim Apostolorum fuisse.

Notandum dari etiam propositiones falsas in sensu composito et veras in sensu diviso : v. g., *Cæci vident, claudi ambulant* ; et alias veras in sensu composito, et falsas in sensu diviso ; v. g., ista : *Fornicarii regnum Dei non consequentur*. Ut ergo a paralogismo caveatur, ad genuinum propositionis sensum attendendum est.

§ II. — De fontibus sophismatum et errorum.

Ea sophismata ad voluntatem dicuntur pertinere, quæ ex vitiis aliisque fontibus a voluntate pendentibus procedunt.

Quinque præsertim numerantur : scilicet, præcipitatio, præjudicium, passiones, sensus et imaginatio, de quibus pauca seorsim dicturi sumus.

1° *De præcipitatione.*

In eo consistit præcipitatio, ut de re non satis explorata et cognita pronuntiemus.

Nihil frequentius est inter homines, quam vitium istud, non solum in scientiis addiscendis, sed in politica, in moribus, in ipsamet religione; innumeri enim, præsertim in temporibus nostris, superbia tumentes, diuturni examinis impatientes, aliorum dictis aut factis nimis credentes, nonnullis apparentiis decepti, statim temere pronuntiant, fidenter affirmant aut negant, audacter laudant et vituperant, excusant vel condemnant, etc. Hinc tot errores in societate, tot peccata contra charitatem et justitiam, et tot falsa ratiocinia.

Ut fœcunda hæc tot malorum radix penitus destruatur, caute procedendum est : 1° accurate adhibendæ sunt definitiones, quando opus erit ut clare distinguantur ideæ et evidentes acquirantur rerum notiones; 2° sedulo comparandæ sunt ideæ, attente spectanda est earum relatio et connexio; 3° his peractis, si veritas nondum affulgeat, mens non concludat, nec judicet, et, in quacumque hypothesi, non pronuntiet ultra id quod clare percipit, vel motivis fide dignis fulcitum videt; affirmet ut certum quod certum est, ut probabile quod probabile est, et sic de cæteris.

2° *De præjudicio.*

Præjudicium est judicium quod absque prævio examine ferimus. Duplex distinguitur, nempe unum *legitimum*, quando res adeo clara est ut examine non indigeat; et alterum *vitiosum*, si, videlicet, res examine prævio indigeat. Multa sunt præjudicia hujusmodi inter homines quæ nulla ratione fundantur, et in falsa ratiocinia nos inducunt. Nascuntur, 1° ex anilibus fabulis quas matres et nutrices crebrius narrant infantibus : hinc inanes puerorum terrores, vana et superstitiosa credulitas in eis quæ ad religionem et mores pertinent; 2° ex sensuum impressionibus quæ teneræ rationi facile illudunt; v. g., puer

qui, manum ad ignem protendens, sentit dolorem, arbitratur ignem dare dolorem et contra illum irascitur; 3° ab eorum auctoritate quos veneramur, et quorum sententias velut tot veritates cum lacte hausimus. Unde qui optimos habent parentes, communiter sunt boni, et qui ex malis oriuntur parentibus, generaliter sunt mali. Præconcepta hæc judicia nobiscum veluti adolescunt, in mentibus nostris magis ac magis obfirmantur; ea deinde ut evidentes rerum notiones habemus, et difficillime postea ab iisdem nos eximere possumus.

Funditus tamen ruent si opiniones a sensibus, educatione, consuetudine et auctoritate sine examine receptas, ad trutinam rectæ rationis sistamus, bona fide perpendamus, et eas duntaxat admittamus ut certas, quæ inconcussis monumentis reperiuntur fundatæ; cæteras vero tanquam falsas rejiciamus, vel inter eas maneamus suspensi.

Caveamus tamen ne, sub hoc prætextu, judicia vera cum falsis rejiciamus, aut ne ipsam rerum essentiam cognoscere semper velimus; multa sunt enim vera et certissima, quorum intrinsecam constitutionem non novimus.

3° *De passionibus.*

Passiones sunt quædam mentis impressiones illam agitantes et diverse impellentes, v. g., amor, odium, ira, tristitia, voluptas, desiderium, etc. Quemadmodum vitra colorata oculos decipiunt, ita passiones mentem fallunt, et in judicia ac ratiocinia falsa inducunt. Sic, in deliberatione aliqua, vir iratus violentissima approbat media; timidus, e contra, in moderationem semper inclinatur. Qui odio erga aliquem est inflammatus, difficillime ab illo etiam gravibus motivis persuaderi poterit; si vero benevolentia erga alterum præveniatur, facile admittet sine probatione quod ab eo audiet: quidquid dixerit aut fecerit amicus, illum semper volumus excusare; inimicum autem semper damnamus; si facta ipsius reprehendere non valemus, intentionem arguimus.

Igitur, passionibus delusi et abrepti, in gravissimos in-

ducimur errores : sic 1° avarus, felicitatem suam in divitiis constituens, concludit eas totis viribus esse inquirendas ; 2° libidinosus, voluptates corporeas super omnia æstimans, totus est ut illis fruatur ; 3° ambitiosus sibi persuadet nihil esse præstantius in mundo quam præ aliis elevari, et idcirco omnibus modis quærit gloriam, honores, potestatem et dignitates ; 4° cæcus amor judicat optimum quidquid in objecto vesaniæ suæ deprehendit. Infensum odium omnia detorquet in sensum perversum ; superbia in opinionibus suis semper sibi plaudit ; obstinatio nulli vult cedere ; ignavia, laborem formidans, omnia impossibilia esse decernit ; et ita de aliis passionibus ac cupiditatibus quæ, rationem lædentes, in infinitos errores nos inducunt. Hinc doctrinæ perversæ in quibusdam familiis vel institutis, in una regione et non in altera, admittuntur et perseverant.

Unusquisque ergo studiose attendat ne aliqua passione inordinata detineatur, et in eo casu a ferendo judicio prudenter abstineat ; aut, si judicare debeat, perpendat quid olim de re illa senserit, quid adhuc de illa sentiret, si passioni non subjaceret, quid alii de ea sentiant ; affectiones suas diligentissime expendat, non quod sibi gratum, sed magis quod verum est quærere discat, et caveat ne in judicando vel ratiocinando cupiditatum impulsu moveatur.

Circa hanc materiam utilissime legi possunt *la Recherche de la vérité*, lib. 5 ; *l'Art de penser*, c. 19 ; *S'Gravesende*, parte secunda Logicæ.

4° *De sensibus.*

Sensus ideo a Creatore nobis dati sunt ut de corporibus relative ad nos judicaremus, non autem de corporibus prout in se sunt : quod innumeris rationibus et factis demonstrat *Malebranche*, in toto libro primo *de la Recherche de la vérité*. Attamen, relationibus sensuum ultra modum obsequentes, sæpe judicare volumus de corporibus prout in se sunt, et erramus : sic temere et falso judicamus stellas exiguis fasciculis esse similes, solem esse velut discum, baculum, in aquis media parte immersum, esse

fractum, etc.; sic pariter in moralibus pluris æstimamus divitias, honores, palatia, pretiosas vestes aliaque similia sensus nostros vividius afficientia, quam fidem, justitiam, Dei amorem et alias virtutes quæ sub sensibus cadere nequeunt.

Si hujusmodi errores devitare velimus, adversus sensuum illusiones continuo pervigiles simus : semper igitur meminisse nos oportet quod illorum ministerio de natura rerum judicare non debeamus.

5° *De imaginatione.*

Imaginatio est functio mentis sensibilia sibi exhibentis objecta quæ actu sensuum organa non afficiunt : hoc igitur datur discrimen inter sensationem et imaginationem, quod sensatio ad principium extra nos positum referatur, imaginatio vero ad principium nobis intrinsecum.

Nemo nescit quot et quam singulares ex imaginatione nascantur fallaciæ et illusiones; illa enim est fons dementiæ, furoris et opinionum delirantium : v. gr., aliquis imaginatur se esse regem, magum, lupum, bovem, etc. Hac imaginatione vivide affectus, incipit affectare imperium sicut rex, divinare sicut magus, currere per noctem et aliquando mordere sicut lupus, paleas et fœnum manducare sicut bos, etc. Alter sibi repræsentat talem cibum esse amarum vel nocivum, ab illo abhorret; talem hominem suum esse inimicum, illum odio prosequitur, verba ejus et facta male interpretatur; fingit se aliquo morbo corripi, revera dolet, ægrotat et moritur, etc.

Remedium contra hos errores efficacius est attendere undenam oriantur imagines quibus afficimur, an rationi sint consentaneæ vel oppositæ, an sibi aliisque mentis affectionibus tam antecedentibus quam sequentibus cohæreant, an ab aliis hominibus quibuscum vivimus non reprehendantur ut falsæ et delirantes. Legendum est opus jam commendatum *de la Recherche de la vérité,* lib. 2.

SCHOLIUM.

Quamvis mens humana valde sit imperfecta, nunquam tamen falleretur, si in inquirenda veritate prudenter sem-

per ageret; nam intra limites suos se continens, a judicando abstineret aut probabiliter tantum pronuntiaret, donec veritas manifeste ipsi affulgeret. Multa quidem ignoraret aut imperfecte cognosceret, sed proprie non erraret, ut ait Bossuet (*Connaissance de Dieu et de soi-même, ch.* 1, *n.* 16) : *Il demeure pour certain que l'entendement purgé de ses vices et vraiment attentif à son objet, ne se trompera jamais ; parce qu'alors ou il verra clair, et ce qu'il verra sera certain ; ou il ne verra pas clair, et il tiendra pour certain qu'il doit douter jusqu'à ce que la lumière paraisse.*

An autem vitia intellectus purgare et debitam semper præstare attentionem ex propriis viribus valeamus, ita ut omnem vitemus errorem etiam in moralibus, non expendimus ; quæstionem ad theologos remittimus.

Summa vigilantia studeant juvenes a memoratis errorum fontibus sese expedire.

DISSERTATIO QUARTA.

DE METHODO.

Notionem ideæ, naturam judicii et ratiocinii exposuimus, regulas ad recte judicandum et ratiocinandum tradidimus. Verum hæc nondum sufficiunt : requiritur enim insuper ut illæ mentis operationes in quodam ordine ad veritatem scrutandam aliisque manifestandam aptiori disponantur. Hæc dispositio vocatur methodus, a verbis græcis μετά, *per*, et ὁδός, *via*, quia est via directa qua ad propositum finem pervenitur. Methodus igitur est operatio mentis qua cogitationes suas eo disponit ordine qui aptior est ad ignotam veritatem detegendam, vel ad eam cognitam aliis manifestandam.

Cuncta entia sibi sunt concatenata et mirabiliter ordinantur, individua ad speciem, species ad genus, genera ad genus remotum, et sic usque ad primum principium,

ita ut veritas simpliciter et in se sumpta, sit complexio omnium entium relative ad se invicem ordinatorum.

Si acies mentis nostræ infinita esset, nulla indigeremus methodo ; omnia enim unico intuitu conspiceremus ordinata; sed tanta est facultatum nostrarum infirmitas, ut aliquos duntaxat respectus objectorum simul amplecti possimus : sciamus ergo intra limites nobis assignatos sistere, et studeamus aliquem instituere ordinem facultatibus nostris proportionatum. Adeo necessaria est hujusmodi methodus, ut opera aliunde optima, sed sine ordine scripta, nobis displiceant; ut doctiores magistri, sine methodo docentes, discipulos fatigent et nullos progressus ab eis obtineant.

Ars vero ista tanti momenti multo magis studio quam præceptis acquiritur, et plus a rectitudine et attentione mentis nostræ quam a documentis pendet. Hæc tamen sequentia paucis verbis notabimus.

Duplex distinguitur methodus : analytica, scilicet, et synthetica.

Methodus *analytica*, a particula ἀνὰ, *sursum*, et λύσις, *dissolutio*, quæ etiam dicitur methodus *inductionis*, in eo consistit quod a facto particulari ad propositionem generalem, a generali ad generaliorem ascendamus, donec ad generalissima deveniamus principia : v. g., Existo ; non existo a me ipso, nec tamen sum æternus; venio a parentibus, sed parentes similiter non existunt a semetipsis, nec sunt æterni; requiritur ergo causa illorum existentiæ : porro illa causa fuit effectus respectu alterius causæ; sed admitti non possunt effectus et causæ in infinitum : ergo datur causa prima, necessaria, æterna, etc. Differt vero ab ipsa *analysi ;* hæc est enim, uti diximus, resolutio totius in suas partes, quæ speciatim et ab aliis abstrahendo considerantur. Methodus analytica majorem habet extensionem et ab analysi procedit, vel saltem proprietates aut facta particularia nota supponit. Cum autem in ea methodo progrediatur ab observatis quæ sedulo expenduntur, appellatur quoque methodus *observationis.*

Methodus *synthetica*, a σὺν, *cum*, θέσις, *positio*, dicta

etiam methodus *deductionis*, incipiens a principiis generalibus, ad minus generalia et deinde ad particularia descendit. Hæc autem principia generaliora habentur ex variis certitudinis fontibus, aliquando ex ipsamet *inductione* præcedenti.

Methodus igitur analytica a partibus ad totum ascendit, et synthetica a toto ad partes descendit. v. g., supponatur nobis probandum esse mentem humanam esse simplicem, per analysim sic procedemus : Mens humana judicat; judicare non potest, quin ideas comparet; ideas comparare non potest, quin eis tota simul afficiatur : porro subjectum materiale duabus modificationibus, v. g., quadratura et rotunditate, simul totum affici non potest : ergo, etc. Per synthesim autem sic procedendum foret : Subjectum quod pluribus modificationibus oppositis totum simul afficitur, materiale esse non potest : atqui mens humana pluribus, etc., nam ideas seu modificationes suas comparat, circa earum convenientiam aut repugnantiam pronuntiat : ergo, etc.

Duplici methodo supra recensitæ quidam addunt tertiam, nempe methodum *æquationis*, quæ in scientiis mathematicis præcipue nomen obtinet. Procedit saltem ordinarie, ope propositionum mediarum, unde æqualitas, quæ prius inter duo non percipiebatur, fit manifesta; hæc methodus maxime in eo principio nititur : Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Verumtamen, plerumque, etiam in hac methodo, a principiis proceditur et reipsa non differt a methodo *deductionis*, seu synthetica.

Methodus analytica aliquando dicitur methodus *a posteriori*, synthetica vero methodus *a priori*, quia methodus analytica ab effectibus ad causam seu principium, methodus autem synthetica a principio seu causa ad effectus vel consequentias procedit.

Post celebrem *Bacon*, methodi analyticæ inventorem, vel potius strenuum propagatorem et defensorem, recentes philosophi, præsertim *Condillac* ejusque discipuli, summopere commendant analysim, tanquam solam me-

thodum quæ in investiganda veritate admitti debeat, contenduntque synthesim per seipsum nulli demonstrationi inservire posse.

Quidquid sit, certum est nos per analysim ordinarie procedere in praxi, etiam minime cogitantes : quando veritatem inquirimus, objecta resolvimus, in partes dividimus, sub diversis respectibus inspicimus, eaque via accuratas notiones rerum obtinemus. Sic, datis effectibus, ad causas ascendimus; positis quibusdam numeris, ad numerum ignotum pervenimus : v. g., si cognoscere velimus quot sint area (*ares*) in agro, latitudinem et longitudinem mensuramus per metra; deinde, ope multiplicationis, numerum metrorum quadratorum obtinemus; postea, per divisionem, numerum areorum.

Frequenter, tamen, methodum syntheticam seu deductionis sequentes, a generalibus principiis ad consecutiones, a causis ad effectus descendimus : v. g., cognita vi aquæ, venti, ignis, etc., novæ excogitantur artes, vel artes jam notæ perficiuntur, ut ars nautica, ars molitorum, antliæ igniariæ, etc.

Hæc insuper methodus aptior est ad veritatem cognitam aliis manifestandam; eos enim a noto ad ignotum, a principio ad conclusiones per seriem propositionum sibi concatenatarum deducunt periti magistri : v. g., si alicui demonstrare velimus solvenda esse tributa, ostendemus, 1° Deo jubenti obediendum esse, 2° Deum jubere ut principibus obediamus, 3° principes legitimam habere auctoritatem condendi leges, 4° legem solutionem tributorum præcipientem non repugnare, 5° hujusmodi legem in Gallia existere, 6° ipsum hac lege obstringi; unde merito concludemus illum ad solvenda tributa teneri.

E natura veritatis inquirendæ, ex indole sua propria vel audientium, e scopo attingendo et aliis circumstantiis, noscitur quænam sit instituenda methodus.

Cæterum fere nunquam instituitur methodus synthetica quin opus sit analysi, et vice versa.

Traduntur regulæ pro utraque, sed non mediocriter subtiles, et intelligentiæ candidatorum parum accommo-

datæ; ideo, eas prætermittentes, sequentia tantum advertenda putamus, scilicet :

1° Nullæ admittantur nec proponantur voces obscuræ vel ambiguæ : omnia definienda et dividenda sunt, prout opus est.

2° Nihil teneatur ut verum, nisi tam certo constet, ut in dubium nullo modo revocari queat : omnis præcipitatio in judicando devitetur, et caveatur ne aliquid contineatur in conclusione quod non fuerit in præmissis.

2° Dividantur quæstiones tractandæ in tot partes quot expedit ut dilucidius resolvantur.

4° A rebus cognitu facilioribus incipiatur, ut quasi per gradus ad difficiliores ascendamus vel descendamus, prout analyticam vel syntheticam sequimur methodum : caveamus ne res contra naturam sese confuse præcedant in mente.

5° Accurate faciendæ sunt enumerationes, tum in mediis quærendis, tum in difficultatibus percurrendis, ut nihil omittatur, nihilque admittatur nisi certissimum sit. Vide Descartes, *de Methodo : Art de penser*, 4e *part.*, *c.* 2; Malebranche, *de la Recherche de la vérité*, *liv.* 6, *seconde partie ;* S'Gravesende, *Logique*, 3e *part. ;* Locke, *liv.* 4, *c.* 12; Laromiguière, 2e *partie*, *leçons* 1re *et* 2e; Portalis, *de l'Usage et de l'Abus de l'esprit philosophique*, *t.* 1er, *c.* 8. Vide etiam recentia opera de his tractantia, et valde utilia.

DE HYPOTHESI.

In inquisitione veritatis quandoque adhibetur *hypothesis* sive suppositio, ope cujus, dum lex quædam naturæ nondum in se apprehendi potest, facta nota colligantur et explicantur.

Hypothesis hæc habet commoda, quod facta colliget, magis intelligibilia reddat, eorum applicationi inserviat, et viam aperiat novis inventionibus; in scientiis physicis plures sunt, ex confesso omnium, hypotheses valde utiles : sic, v. g., ad explicanda phenomena electricitatis duplex supposita fuit electricitas, una positiva et altera negativa.

Caveatur tamen ne citius, scilicet ante plura facta collecta et serio examinata, fingatur hypothesis; nec ipsa detur ut principium certum; nec timeatur nimis eam ex novis inventionibus emendare; nec tandem, propter affectum peculiarem, etiam peritissimis viris adversantibus, ultra modum servare.

Hypotheses vocantur etiam aliquando *systemata*.

APPENDIX.

DE DEMONSTRATIONE.

Demonstratio est ratiocinium aut ratiociniorum series veritatem alicujus propositionis invicte astruens, in sensu juxta quem statuitur; demonstrari enim potest propositionem esse probabilem, sicut demonstratur esse veram.

Ad hoc requiritur 1° principium certum ex quo procedatur, sive principium istud jam sit demonstratum, sive sit per se notum; 2° ut propositio demonstranda cum principio demonstrationis certe sit connexa: si enim dicta propositio ex principio vero male deduceretur, aut ex principio falso recte inferretur, vitiosa esset demonstratio, ut patet. Propositiones per se notæ, ut *cogito, existo*, etc., demonstrari nequeunt, quia clariora poni non possunt principia ex quibus vi ratiocinii inferantur.

Quælibet scientia particularis est totum logicum et quasi systema, dependens a principio ex quo proceditur, illud neque extensione, neque firmitate excedens, et ab illo specificatum.

Demonstratio dividitur 1° in directam et indirectam: est *directa*, quando per propositiones bene concatenatas connexio alicujus propositionis cum principio certo clare ostenditur; v. g., *Quod non habet partes non est divisibile: atqui mens humana non habet partes; ergo*, etc. Demonstratio est *indirecta*, quando veritas alicujus propositionis concluditur ex contradictione, absurditate aut impossibilitate quæ aliunde sequeretur; v. g., *Admit-*

tenda est causa æterna; quia alioquin dicendum foret aut nihil existere, quod est absurdum; aut entia nunc existentia esse effectus sine causa, quod sibi contradicit, etc.

Dividitur 2° in demonstrationem a priori, in demonstrationem a posteriori, et in demonstrationem a simultaneo.

Demonstratio *a priori* illa est qua descenditur a causa ad effectum, et valere non potest, nisi effectus cum causa certe sit conjunctus; sic mechanici machinas vento, aqua, vapore movendas construere volentes, demonstrant a priori qualiter faciendæ sint ad talem producendum effectum, aut semel factæ, qualem producturæ sint effectum.

Demonstratio *a posteriori* ea est qua causa ex effectu demonstratur; sic ex creaturis demonstratur creator, ex architectura architectus; ex reliquiis antiquissimarum urbium in America nuper repertis, societatem artibus instructam has plagas ante populos recentes occupasse, etc.

Demonstratio *a simultaneo* est illa quæ fit per attributa rei constitutiva : tales sunt operationes quibus manifeste ostenditur summam extremorum, in proportione arithmetica, summæ mediorum æquivalere; productionem extremorum, in proportione geometrica, productioni mediorum esse similem; tres angulos cujuslibet trianguli rectilinii duobus angulis rectis æquales esse. Sic generatim demonstrationes mathematicæ.

Hæc autem, ut patet, accedunt ad supra dicta de diversis methodi speciebus. Si enim demonstratio sit longa, unam ex his sequitur methodum, cujus sumit nomen.

Dividitur 3° in absolutam et relativam : demonstratio absoluta ea est quæ fit sine respectu ad personam, quales sunt demonstrationes supra citatæ. Demonstratio vero relativa est illa qua adversarius ex confessis vel negatis premitur; puta si quis negans alterius vitæ existentiam, contendat bonum nihilominus esse faciendum et malum vitandum, ex negato facile deducitur ad absurda, vel ex affirmato, ad veritatem quam negat. Hoc argumentandi genus dicitur *ad hominem*.

Ut ad quamlibet demonstrationem recte procedatur, se-

dulo perpendenda sunt media quibus utendum est, videlicet principia aut facta quæ admittuntur ut argumenti fundamentum, et caveatur ne aliquid falsum, dubium aut æquivocum pro certo ponatur, vel inductio aut deductio obscura pro manifesta accipiatur.

Ex his notionibus sequitur demonstrationem fieri non posse nisi adhibeantur judicia, ratiocinia, variæque mentis operationes, de quibus jam egimus. Unde infertur demonstrationem non esse accuratam nisi in quantum servantur regulæ a nobis assignatæ.

DISSERTATIO QUINTA.

DE CERTITUDINE.

Usque nunc de arte quærendi et manifestandi veritatem egimus : idcirco præcipuas functiones mentis perlustravimus, scilicet, ideam, judicium, ratiocinium et methodum. At tradendis logicæ præceptis frustra studuissemus, si nulla existeret veritas quæ certo cognosci posset.

Veritas definitur a S. Aug., Soliloq. I, 2, c. 5. *Id quod est;* et *Bossuet* (*Connaiss. de Dieu*, etc., *ch.* 1, *n.* 16), ait : *Le vrai est ce qui est; le faux, ce qui n'est pas.*

Veritas, juxta S. Th. 1ª parte, q. 16, art. 1, est principaliter in intellectu, et secundario in rebus quatenus comparantur ad intellectum ut ad principium cognitionis.

Intellectus ergo est subjectum veritatis, et res cognoscibiles sunt ejus objectum.

Inter res cognoscibiles, aliæ sunt pure intellectuales, ut rerum essentiæ, et in solo intellectu divino æternaliter ac invariabiliter existunt. Aliæ vero physicam habent existentiam contingentem, quæ necessario conformis esse debet similitudini in mente divina existenti ; ratio earum existentiæ a voluntate Dei petenda est.

Quando intellectus humanus formatur, veritates æternas ac immutabiles invenit aut recipit, eas cognoscere incipit, sed eas non facit; aliæ etiam in ipso sunt perceptiones, ut dicemus et jam notavimus; sicut novus oculus lumen existens videt eoque fruitur, illud vero non creat.

Hinc 1° veritas objectiva, quoad rerum essentiam et possibilitatem, est æterna et invariabilis; 2° veritas objectiva, quoad rerum existentiam, est accidentalis et mutabilis, ut patet; 3° veritas subjectiva ex parte Dei est una, æterna, infinita, et absque ulla vicissitudinis obumbratione; 4° veritas subjectiva respectu nostri est valde limitata et multo variabilis, eo sensu, quod cessare, in sua extensione minui, vel, multiplicatis motivis, magis ac magis crescere et obfirmari possit.

Objectum autem philosophiæ sunt omnia entia existentia et possibilia, eorumque proprietates et relationes.

Certitudo est firma mentis adhæsio veritati cognitæ sine errandi periculo. Hæc adhæsio debet esse prudens et sufficienti motivo innixa : adhæsio enim nulla aut infirma ratione fundata, etsi veritas objectiva existeret, nomen certitudinis non obtineret.

Motivum autem potest esse extrinsecum, et tunc certitudo, licet vera, est indirecta. Hujusmodi motivum aliquando dicitur motivum *credibilitatis*.

Impossibilitas dubitandi, quam importat certitudo, debet esse rationabilis, et non tantum ex organis, ut in insanis, vel ex instinctu, ut in infantibus.

Certitudo considerari potest in Deo et in homine. In Deo est sub omni respectu absoluta et invariabilis : Deus enim cuncta cognoscibilia uno intuitu æterno et infallibili videt, sine medio : unde dici non potest philosophus. Talis cognitio in nulla intelligentia creata existere potest, ut evidens est.

Veritas igitur non communicatur homini, nisi modo imperfecto, juxta mensuram valde limitatam, majorem vel minorem, habita ratione uniuscujusque ingenii, studii, auxiliorum externorum, sive divinorum, sive humanorum.

Notandum est certitudinem humanam sub triplici respectu spectari posse, videlicet, ratione objecti, ratione subjecti et ratione motivi.

Objectum certitudinis humanæ sunt res existentes et possibiles, earumque proprietates et relationes, prout eas modo exposuimus : nulla igitur est difficultas sub hoc respectu. Objectum istud *proximum* dici potest, quando veritas iis insignita characteribus est, ut tuto a mente apprehendi et discerni possit.

Advertendum est res contingentes, immutabiles esse quoad essentiam et possibilitatem, variabiles vero quoad existentiam. Attamen factum existentiæ, independenter a cognitione nostra, est vel non est, et neutiquam, juxta nostrum concipiendi modum, variatur.

Præcipue agitur de certitudine humana ratione subjecti et ratione motivi. 1° *Ratione subjecti* est firma mentis adhæsio veritati cognitæ : evidens est illam variari juxta numerum et extensionem veritatum quæ cognoscuntur. Hinc certitudo, sub hoc respectu, non est eadem in omnibus individuis, ut patet, nec in eodem homine cunctis vitæ ejus instantibus: experientia enim constat eumdem hominem novas quotidie agnoscere veritates, alias oblivisci, aliis minus firmiter adhærere, de aliis quibus adhæserat vere dubitare. Quatenus autem omne dubium necessario excludit, eadem est in omnibus.

2° *Ratione motivi*, certitudo humana est etiam major vel minor, quia motiva non eodem modo omnes afficiunt, nec eumdem hominem in diversis circumstantiis : sed ubi sufficiens non adesset motivum ut adhæsio esset rationabilis et firma, jam cessaret certitudo.

Unde quamvis eadem sit, quatenus, uti modo dictum est, excludit omne dubium, variari potest aliquo sensu et major fieri quoad *intensitatem*, si ita loqui liceat.

Nunc dicendum est 1° de certudinis divisione, 2° de illius existentia, et 3° de variis ejus motivis.

CAPUT PRIMUM.

DE CERTITUDINIS DIVISIONE.

1° Ratione objecti, triplex vulgo distinguitur certitudo, nempe, metaphysica, physica et moralis.

Certitudo *metaphysica* ea est quæ fundatur in ipsis rerum essentiis, vel cujus contrarium est omnino impossibile, etiam per miraculum : v. g., *Bis duo dant quatuor; Omnes radii circuli sunt æquales.*

Certitudo *physica* ea est quæ fundatur in consuetis naturæ physicæ legibus, et cujus objectum aliter esse non potest sine miraculo : sic certum est solem cras oriturum esse, lapidem in aere demissum esse casurum; vera esse facta quæ videmus vel audimus, seu quorum testes oculati sumus, etc.

Certitudo *moralis* ea est quæ moribus hominum adeo fundatur, ut ipsius contrarium esse non possit quin humana conditio subvertatur : sic certissime constat olim exstitisse imperium romanum, nunc existere Romam, etc.

In consueto loquendi modo, alia est certitudo moralis quæ nihil aliud est quam verisimilitudo aut magna probabilitas, et cujus oppositum absolute est possibile : sic moraliter certum est hominem non libere mansurum esse in cubiculo flammis addicto, patrem probitate conspicuum filium non esse occisurum aut hæreditate sua privaturum, etc. De hac posteriori certitudine, quæ tamen magni momenti est et praxis quotidianæ, siquidem ea plerumque nititur hominum agendi ratio sive privata, sive relative ad alios, hic præcise non agitur, sed de certitudine proprie dicta.

Hæc divisio ut incompleta a quibusdam arguitur, quia non clare videtur complecti certitudinem e sensu intimo, e memoria, etc., orientem. Eam tamen, ut apud philosophos consuetam, servamus; dicemus infra quomodo om-

nia certitudinis motiva ad hanc triplicem classem revocari queant.

2° Ratione subjecti, certitudo unica est, scilicet firma adhæsio veritati, in ordine metaphysico, physico aut morali, juxta naturam objecti; nec major est certitudo metaphysica, præcise quatenus metaphysica, quam physica aut moralis. Una tamen certitudo aliquando major est altera eo sensu quod plures sint rationes quam necesse est ad prudenter adhærendum, et mens firmius adhæreat.

Eadem veritas potest esse certa physice et moraliter; v. g., facta certa sunt physice respectu testium, et moraliter respectu eorum ad quos sufficientia de illorum existentia pervenerunt testimonia.

Certitudo potest adhuc esse, ratione subjecti, directa vel reflexa. Est *directa*, si mens statim et immediate veritati perceptæ adhæreat, sicut oculus luci meridianæ : est *reflexa*, quando mens rationem sibi reddit cur adhæreat.

3° Ratione motivi, duplex distinguitur certitudo, nempe intuitiva et deductiva. *Intuitiva* est illa quæ sola visione mentis habetur; sic certum est totum esse sua parte majus : *deductiva* autem illa est quæ ope discursus ex certissimis principiis obtinetur; ita certum est tres angulos omnis trianguli *rectilinii* duobus angulis rectis æquivalere.

Operatio mentis qua certitudo ex principiis certis ope discursus obtinetur, vocatur, uti jam diximus, *demonstratio*.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXISTENTIA CERTITUDINIS.

Pyrrho, philosophus græcus, 330 annis circiter ante æram nostram existens, cuncta systemata cognitionum a philosophis huc usque excogitata lacessit, contendens nullum esse demonstratum, nullum veritatis criterium assignari, omni rationi dari rationem oppositam et æqualem.

Veritatis existentiam non negabat, sed dicebat illam inveniri nondum potuisse, et nihil omnino certum esse, præter apparentias quibus vita humana instituitur; sic in universale inducit dubium, cui nomen suum imposuit. Unde ejus discipuli vocati sunt *Pyrrhonii*, vel *Sceptici*, id est, *inquisitores*, a verbo græco σκέπτομαι, *inquiro*, quia plures ex eis semper veritatem inquirebant, et eam non inveniebant, aut se eam invenisse fateri nolebant.

Arcesilas, anno 312 ante Christum natus, secundæ Academiæ seu Novorum Platonicorum fundator[1], universalem amplexus est pyrrhonismum, et tamen multos habuit discipulos, qui dicti sunt Ἀκαταληπτικοί, id est *incomprehensores*. Impugnabat enim Stoicos qui fortiter tuebantur κατάληψιν, *comprehensionem :* ideo solam ἀκατάληψιν, id est *incomprehensionem*, defendi posse affirmavit, sicque possibilitatem inveniendæ veritatis negabat.

Carneades, 200 annis circiter ante Christum natus, eamdem admisit opinionem cum aliqua tamen reformatione: fatebatur enim judicia de rerum apparentiis esse vera, non autem judicia de rebus ut in se sunt.

Sextus Empiricus, medicus, in IIIº æræ nostræ sæculo vivens, historiam philosophorum græcorum in propria eorum lingua scripsit : distinguit *Dogmaticos* ut Aristotelem, Epicurum et Zenonem, qui arbitrabantur se veritatem invenisse; *Academicos*, inter quos Arcesilam et Carneadem nominat, qui contendebant veritatem certo cognosci non posse; et *Scepticos*, veritatem semper inquirentes; quibus assentiendum esse putat.

Montaigne, *Bayle*, aliique recentiores plus minusve insipientes, huic doctrinæ faverunt, quamvis illam in tota generalitate sua nunquam tenuerint. Sicut autem indirecte existentiam certitudinis lædunt, indirecte etiam ex dicendis confutabuntur, magis vero directe ubi de variis certitudinis motivis quæ passim impugnarunt, nos autem infra stabiliemus in articulis distinctis.

[1] Platonici semper dicti sunt Academici, a nomine domus amœnæ in suburbio Athenarum ædificatæ, in qua Plato philosophiam docebat.

Duplex igitur distinguitur pyrrhonismus; unus *subjectivus*, qui est universalis, et alter *objectivus*, qui certitudinem subjectivam non excludit. Pyrrhonismi objectivi defensores dicunt intellectum adeo infirmum esse, ut ea quæ sunt sicuti sunt percipere non possit, aut saltem distinguere non possit an ea recte percipiat, nec ne. Oculus qui omnia videt objecta sub unico colore, errorem ex seipso detegere non potest : sic intellectus, in casu supposito, respectu veritatis. Unde, ut aiunt, non est transitus legitimus a *subjectivo* ad *objectivum*.

Hoc systema olim jam, uti diximus, notum et propugnatum, recenter tamen invaluit, præcipue apud Germanos, novamque verborum formam induit, duce *Kant*, de quo infra.

Cæteri vero philosophi certitudinis existentiam admiserunt, et vocati sunt Dogmatistæ, quia veritates certo cognitæ sunt dogmata quibus ratio assentit.

Ipsorum est, quando cum Scepticis causa agitur, existentiam certitudinis, expositione clara et nitida, tanquam factum inconcussum et universale asserere, ostendere pyrrhonismum contra hanc universalem et invincibilem persuasionem prævalere non posse, demonstrare scepticos, quicumque sint, non nisi vana et contradictoria prætendere, eorumque tandem objectiones diluere; cum quibus, ad hunc finem assequendum, sit sequens

PROPOSITIO.

Existit certitudo proprie dicta, et ideo rejiciendus est pyrrhonismus, sive subjectivus, sive objectivus.

Hæc propositio stricte probari non potest, quia probationes supponunt aliquid jam esse certum. Pro explicatione rei sufficit ostendere dubium de quo agitur prorsus impossibile esse. In hoc nempe consistit, quod mens sit perpetuo fluctuans inter affirmandum et negandum, ob rationes hinc et inde oppositas : atqui perpetua hujusmodi fluctuatio mentis est omnino impossibilis et humanam prorsus subverteret rationem. Plurimæ enim dantur propositiones

circa quas nemo cohibere potest suum assensum ; v. g., istæ : *Existo*, *Aliquid extra me existit*, *Bis duo dant quatuor*, *Totum est sua parte majus*, *Non est effectus sine causa*, *Nihili nullæ sunt proprietates*, et innumeræ aliæ quæ fundamentum naturæ nostræ rationalis constituunt. Sic habet *Fénelon* (*Existence de Dieu*, 1re *partie*, *n°* 52) : *Il est impossible, quelque effort qu'on fasse sur son propre esprit, de parvenir jamais à douter sérieusement de ce que les idées nous représentent avec clarté ; par exemple : si le tout est plus grand qu'une de ses parties*, etc.

Et vero, adeo impossibile est dubium universale, ut Sceptici illud defendere non valeant quin perpetuo sibi contradicant ; vel enim admittunt judicia de rebus in ordine ad nos esse vera, vel non : si prius, jam aliquid est certum, nempe judicium istud : Judicia de rerum apparentiis sunt vera ; si posterius, saltem admittent de omnibus dubitandum esse : porro judicium istud est de rebus ut in se sunt. Ergo, etc. Unde S. Aug., qui ipse fuerat Academicus, sic Academicos et quoscumque dubitantes premebat, de vera Religione, c. 29, n. 73 : *Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit certus est : de vero igitur certus est : omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet. Nec ullum verum nisi veritate verum est.*

Quod si dicant se dubitare an de omnibus dubitandum sit, se dubitare an existant, se dubitare an alii sint homines, an loquantur, an audiantur, an habeant os et linguam, an verba sint quibus ideæ manifestari possint, etc., tunc humanam rationem funditus subvertentes, delirantibus assimilandi sunt et ut tales deserendi, quia nullum superest medium cum illis ratiocinandi. Nullus, quippe, nisi demens fuerit, huc usque deveniet, aut saltem nemini fucum faciet. Quod sic exprimit D. *Frayssinous*, *Conf. de la Vérité* (*t.* 1, *p.* 52) : *Je suppose qu'un sophiste essayât de nous prouver que nous n'existons pas, que rien n'existe hors de nous, que le mouvement est impossible, qu'une maison s'est bâtie toute seule, que l'ingratitude est une vertu ; ce sophiste pourrait bien nous embarrasser par ses subtilités ; mais la*

nature humaine se soulèverait tout entière contre ses vains arguments, et serait retenue dans la vérité par ses notions primitives qui maîtrisent son intelligence et l'enchaînent à ce qui est réel.

Rationes allatæ pyrrhonismum *subjectivum* seu universalem directe impugnant, eo ipso quod existentiam certitudinis demonstrant.

Qui pyrrhonismum *objectivum* defendere aggrediuntur, in pluribus pariter sibi contradicunt : nam 1° probare intendentes infirmum esse intellectum nostrum, eo ipso supponunt aliquid probari posse. Ad arguendum contra certitudinem objectivam ex infirmitate, erroribus et contradictionibus mentis, eo ipso veritatem objectivam *principii causalitatis* evidenter admittunt. 3° Ex eo quod existiment aliquid affirmari posse (de internis vel de externis affirmetur, parvi refert), ex eo supponunt necessario veritatem objectivam *principii* quod dicitur *contradictionis*, sine quo nulla affirmatio fieri potest. 4° De internis merito affirmatur, inquiunt, quia impossibile est non affirmare : at non minus impossibile est non affirmare ubi agitur de multis externis objectis, v. g., de existentia terræ, etc. Ergo non possunt systema suum propugnare quin mox ad ipsum pyrrhonismum subjectivum, inviti forte, sed necessario ducantur, et tunc confutantur omnibus rationibus contra prius systema allatis. Ergo, etc.

Nemo non videt quam absurda et perniciosa sequantur consectaria ex utroque scepticismo, nec hoc argumentum evolvere necesse est.

Hinc certitudinis existentia validis argumentis impugnari non potest. Ad hoc quippe necesse foret ut adversus illam darentur rationes claræ et insuperabiles : at manifestum est non dari tales rationes invincibili persuasioni totius generis humani oppositas. Quæ ergo a Scepticis proponi solent objectiones haberi debent ut meræ cavillationes, imbecillitatem mentis nostræ atque limites ejus ostendentes, sed existentiam certitudinis commovere non valentes. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. De omnibus dubitandum est si nullæ sint propositiones quibus assensum denegare non valeamus : atqui nullæ sunt propositiones quibus, etc.; ergo, etc.

R. Nego min. Ostendimus enim plurimas dari propositiones circa quas assensum nostrum cohibere non possumus, v. g., *Existo, Aliquid extra me existit,* etc.; ergo, etc.

Inst. 1°. Contra quamlibet propositionem validæ proponi possunt objectiones : ergo nulla est propositio cui assensus denegari non possit.

R. Nego ant. Sint enim in exemplum propositiones superius allatæ, *Existo, Aliquid extra me existit,* etc.; certe contra hujusmodi propositiones validæ proponi non possunt objectiones; quidquid enim dicat subtilissimus disputator, nunquam intricatis argumentis suis persuadebit, etiam rustico, bis duo non dare quatuor; totum non esse sua parte majus; solem, lunam, stellas et mundum non existere, aut eorum existentiam non constare; alios homines non esse, etc. Ergo contra propositiones istas validæ proponi non possunt objectiones, sed meræ duntaxat cavillationes, et quædam argutiolæ contemnendæ.

Inst. 2°. Omni rationi datur ratio opposita : ergo contra quamlibet propositionem validæ proponi possunt objectiones.

R. Dist. ant. Omni rationi datur ratio opposita futilis, *concedo antecedens : æqualis, nego antecedens.* Itaque non diffitemur omni rationi aliquam dari posse rationem oppositam futilem; nihil enim est tam clarum et tam manifestum contra quod argutiis certantes aliquid dicere nequeant; sed negamus quod omni rationi detur ratio opposita æqualis vel etiam alicujus momenti; nam, ut diximus, plurimæ dantur propositiones ita lucidæ ut nihil solidum ipsis opponi queat. Porro solæ rationes solidæ validas subministrare possunt objectiones : ergo etiamsi concederetur omni rationi aliquam dari rationem oppositam, non sequeretur quod contra quamlibet propositionem validæ proponi possint objectiones.

Inst. 3°. Forsitan possibile est aliquando inveniri rationes rationibus oppositas et æquales : ergo, etc.

R. Nego ant. Nam 1° hujusmodi rationes inveniri non possunt per discursum, quin sint principia certa ex quibus deducantur : atqui, juxta Scepticos, nulla sunt principia certa. 2° Quædam sunt veritates adeo manifestæ ut certissimum sit inveniri non posse rationem eis oppositam et æqualem; tales sunt propositiones superius citatæ. Etenim veritates ignotæ decursu temporis inveniri possunt; at rationes non existentes, videlicet veritatis evidentis contradictoriæ, nunquam inveniri queunt. Ergo, etc.

Obj. 2°. Dubium quod valide non confutatur, admitti debet : atqui dubium generale Scepticorum valide non confutatur : ergo, etc.

R. Nego min. Clare enim ostendimus dari propositiones circa quas nullum moveri possit dubium ; eo ipso dubium universale evertitur et prorsus impossibile demonstratur : ergo , etc.

Inst. 1°. Dubium Scepticorum valide confutari non potest, quin sit principium argumentationis certum ab ipsis admissum : atqui nullum hujusmodi admittunt principium : ergo, etc.

R. Nego min. Nam 1° plerique saltem admittunt judicia de rerum apparentiis esse vera : atqui judicia de rerum apparentiis vera esse non possunt, quin sint judicia de rebus ut in se sunt vera ; 2° constat, ex dictis, dari propositiones ita fulgentes ut assensus circa illas cohiberi non possit; eas igitur admittere coguntur Sceptici, vel omnem rationem humanam abjiciunt, et tunc indigni sunt ut cum illis disputemus; 3° si nihil omnino admittant, nec agere, nec disputare, nec loqui debent, nec aliquid objicere possunt : ergo nulla opus est confutatione.

Inst. 2°. Illud principium non probatur, sed supponitur : atqui principium suppositum nullius est roboris : ergo, etc.

R. Dist. min. Principium suppositum nullius est roboris, si probatione indigeat, *concedo ;* si probatione non

indigeat, *nego min.* Etenim principium quod probatione indiget supponi non debet, aut, si supponatur, nullius est roboris; id patet. At principium quod probatione non indiget, statim supponi et admitti debet ut certissimum; quia nulla confici possunt argumenta principio isto clariora. Sic qui, per seriem argumentationum, demonstrare intenderet solem hora meridiana lucere, rem simplicissimam obscuraret : ita is qui primas veritates per se lucidas et omnibus communes ope discursus probare vellet : ergo, etc.

Obj. 3°. De omnibus dubitandum est, si mens humana certitudinis non sit capax : atqui mens humana certitudinis non est capax : ergo, etc.

R. Nego min. Nam mens humana certitudinis est capax, si veritati plurimarum propositionum absque errandi periculo adhæreat : atqui mens humana veritati, etc.; nam veritati illarum propositionum absque errandi periculo adhæret, de quibus dubium respectu uniuscujusque hominis est rationabiliter impossibile : atqui plurimæ sunt hujusmodi propositiones, ut jam ostendimus. Ergo, etc.

Inst. 1°. Mens humana errori est obnoxia : ergo non est certitudinis capax.

R. Dist. ant. Mens humana est errori obnoxia in aliquibus, *concedo ;* in omnibus, *nego ant.*, propter rationem in præcedenti responsione allatam. Ex eo quod enim mens in aliquibus sit errori obnoxia, non sequitur illam certitudinis non esse capacem, ut patet. Ergo, etc.

Inst. 2°. Ideo mens errori est obnoxia, quia est finita : atqui est in omnibus finita : ergo est in omnibus errori obnoxia.

R. Dist. maj. Ideo mens humana in aliquibus est errori obnoxia, quia est finita, *concedo ;* ideo est errori obnoxia in omnibus, *nego maj.* Itaque fateor mentem humanam in aliquibus errori obnoxiam esse, id est, a recta rationis via deflectere vel absque motivo sufficienti judicare posse, quia est finita : si enim infinita esset, nunquam errare posset. Sed ex eo quod in omnibus sit finita, non sequitur illam in omnibus errori obnoxiam esse ; nam a

principiis certis procedens, et a regulis accuratæ ratiocinationis supra expositis non recedens, in veritate stabit : si autem nexum conclusionis cum præmissis non percipiat, a concludendo abstinere debet. Ergo, etc.

Inst. 3°. Mens humana, ex dictis, nullius objecti omnes proprietates novit : ergo nunquam constare potest illam non errare.

R. Nego consequens et consequentiam. Istud enim argumentum non minus est ridiculum quam hoc sequens : Nemo omnes divitias omnesque honores possidet : ergo nullus certus est se aliquas divitias vel aliquos honores possidere. Quamvis enim mens nullius objecti omnes proprietates noscat, si vel unam clare percipiat, eam certo cognoscit : ergo, etc.

Inst. 4°. Fieri potest ut inter proprietates objecti incognitas una existat quæ certitudinem proprietatis notæ destruat : ergo, nisi mens omnes unius objecti proprietates noscat, nullam certo cognoscit.

R. Nego ant. Mens enim certissima est de veritate hujus principii per se omnibus noti : *Idem non potest esse simul et non esse ;* at idem esset simul et non esset, si in eodem objecto quædam essent proprietates incognitæ quæ cognitis repugnarent easque destruerent; nam tunc eædem proprietates essent simul in eodem objecto compatibiles et incompatibiles : essent compatibiles quidem, cum in eo existerent; essent tamen incompatibiles, siquidem sese mutuo destruerent : v. g., circulus posset esse simul rotundus et quadratus. Ergo, etc.

Obj. 4°. Forsitan præsens vita merum est somnium et phantasma : ergo de omnibus, etc.

R. Nego ant. Illud enim tanquam certissimum admitti debet, circa quod nullum proprie dictum moveri potest dubium rationale : atqui circa præsentis vitæ realitatem et mundi existentiam nullum proprie dictum moveri potest dubium rationale, ut quisquis rationis compos fateri cogitur. Non magis enim serio dubitare possumus de realitate præsentis vitæ et de differentia inter somnium et vigiliam, quam de existentia nostra : at nullo modo de

existentia nostra dubitare possumus : ergo solummodo delirantes affirmare possunt præsentem vitam forsan merum esse somnium.

Obj. 5°. Forte aliquod genium præpotens nobis perpetuo illudit, nosque invincibiliter decipit : ergo proprie dictam certitudinem non habemus.

R. Nego ant. Quodlibet enim genium, quantumvis supponatur potens et malignum, ea facere non potest quæ sese destruunt : atqui nobis circa omnia perpetuo illudere, nosque invincibiliter decipere non posset, quin multa faceret sibi pugnantia et sese destruentia : v. g., si erramus judicando bis duo dare quatuor, totum esse sua parte majus, circulum esse rotundum, eo ipso verum esset bis duo non dare quatuor, totum sua parte non esse majus, circulum non esse rotundum, etc. At manifestum est hæc repugnare et se mutuo destruere; si enim pars esset toto major, jam non esset pars illius totius, circulus non rotundus non esset circulus.

Præterea, si dicant Sceptici nos circa hæc omnia perpetuo decipi, eo ipso nos existere demonstrant; prius est enim existere quam decipi et errare. Ergo, facta quacumque hypothesi, impossibile est ut a genio præpotente vel a qualibet alia causa circa propriam existentiam nostram decipiamur. Vide *Fénelon*, *Démonstration de l'existence de Dieu*, 2e *partie*, *ch.* 1er, n° 6 : « *J'ai beau vouloir douter de toutes choses*, inquit, *il m'est impossible de pouvoir douter si je suis. Le néant ne saurait douter, et quand même je me tromperais, il s'ensuivrait, par mon erreur même, que je suis quelque chose, puisque le néant ne peut se tromper. Douter et se tromper, c'est penser ; ce moi qui pense, qui doute, qui craint de se tromper, qui n'ose juger de rien, ne saurait faire tout cela s'il n'était rien.* »

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo existit veritas quæ, plus minusve, cognosci potest et in multis revera cognoscitur; existit etiam in mente humana facultas eam apprehendendi, et ipsi firmiter ac

certissime adhærendi; alioquin certitudo proprie dicta non existeret.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Ergo datur principium certitudinis per se notum, omnibus commune et cum veritate essentialiter connexum. 1° Per se notum, alioquin probatione indigeret, et sic in infinitum probandum esset, quod omnem certitudinem destrueret. 2° Omnibus commune : etenim, in omnibus, prout supra diximus, adest certitudo, eademque, quoad principium generale, nobis apparet hæc invincibilis et universalis persuasio. Ideo, principium istud, quod attente expendemus infra, ubi de motivis certitudinis, jam nobis exhibetur ut intelligentiæ humanæ proportionatum, et tale ut nullus ratione utens, a certitudine excludatur; homo enim rationis compos et in nullo certus, concipi non potest. 3° Cum veritate essentialiter connexum; secus plenam certitudinem generare non posset. In omni demonstratione ab illo principio procedendum, vel ad illud ultimo perveniendum est, ut veritas quæsita certo obtineatur.

COROLLARIUM TERTIUM.

Principium istud non fuit excogitatum, sed in prima origine a Deo dari debuit, et perpetuo intellectum est ut natura fundatum : sine illo quippe ratio humana subsistere non potest, nec quidquam operari. Etenim, plurimæ veritates ab omnibus semper et ubique invincibiliter admissæ sunt, ita ut qui eas in dubium revocare vellet, statim ut dementia correptus haberetur. Revera, quod ab omnibus invincibiliter admittitur falsum esse non potest, quin omnis tollatur certitudo et ratio humana destruatur, quia nullum subesset medium erroris detegendi; hoc autem directe explicabimus et probabimus infra.

Illæ autem veritates, per se notæ, omnibus communes, quibus invincibiliter adhæremus, sunt principium, basis et fundamentum totius humanæ scientiæ : idcirco philo-

sophiam recte definiri posse diximus, Scientiam ex primis principiis deductam.

Philosophia igitur non habet pro objecto has inquirere veritates quæ, vitæ humanæ et sociali necessariæ, nunquam fuerunt ignotæ ; sed primis principiis firmiter innixa, sicut arbor suis radicibus et domus suo fundamento, alias veritates minus notas vel omnino ignotas, earumque rationes, respectus et demonstrationes investigat, ordinat et ab adversariorum objectis vindicat. Recte ergo dicitur logicam mentis operationes dirigere, tum in inquisitione, tum in manifestatione veritatis.

COROLLARIUM QUARTUM.

Cum pyrrhonismus universalis sit impossibilis, omnis propositio, omnis sententia vel methodus quæ, accuratæ demonstrationi subjecta, ad intolerabilem hanc absurditatem deduceret, statim rejicienda esset ut falsa. Hinc sane improbandi sunt qui, nonnullis difficultatibus pressi, confessi sunt nullam proprie dictam existere certitudinem in individuo, sed tantum in societate; nam 1° omnes persuasum habent se habere certitudinem : omnes ergo deciperentur, et intelligentia humana funditus rueret. 2° Si nulla existat certitudo proprie dicta in individuo, nec etiam in societate, quia existere non potest nisi in mente eam suscipiente : porro societas ut talis mentem certitudinis capacem non habet, sed ex individuis veritati adhærentibus componitur. 3° Si individuus certitudinem proprie dictam non possideret, ne quidem certo affirmare posset certitudinem in societate residere, vel societatem esse. 4° Conceditur veritatem esse in societate; atqui societas affirmat certitudinem in individuo existere posse. Ergo, etc.

Hæc vero tantum indicamus, in capite sequenti certitudinem ex variis motivis in individuo existere posse et de facto existere demonstraturi.

Non tamen dicimus individuum privilegio infallibilitatis gaudere eo sensu quod nunquam erret, sed eo sensu quod infallibiliter adhæreat sive principiis per se claris,

sive conclusionibus ex principiis certis evidenter deductis, sive veritatibus quæ uno ex motivis certitudinis infra memorandis nituntur. Cum autem ab iis regulis deflectere possit, sic et errare potest.

COROLLARIUM QUINTUM.

Quando una propositio solide stabilitur per demonstrationes materiæ competentes, rejici non debet propter objectiones etiam insolubiles. Illæ enim difficultates, ex limitibus intelligentiæ nostræ nascentes, optime probant in rebus nostro concipiendi modo magis proportionatis multa nos latere, quod quidem semper agnoscere et confiteri debemus; at inde concludi non potest propositiones clare demonstratas vel ab omnibus invincibiliter admissas, propter difficultates, rejiciendas esse, alioquin in absurditatem dubii universalis sine ulla spe ex illo emergendi relaberemur. Unde, quotquot proferantur objectiones ex obscuritate rei demonstratæ, vel ex difficultate illam cum alia re demonstrata conciliandi petitæ, statim rejiciendæ sunt, tanquam ad rem non pertinentes. Frequenter et utilissime principium istud applicari potest in praxi.

CAPUT TERTIUM.

DE MOTIVIS CERTITUDINIS.

Motivum in genere est ratio qua mens impellitur ad judicandum; judicium enim in affirmatione aut negatione consistit : porro aliqua debet esse ratio cur mens potius affirmet quam neget, aut vice versa : hæc autem ratio dicitur motivum, quia mentem movet et ad judicandum determinat.

Si veritatem clara luce intueremur, sicut videmus solem in meridie, motivo ab ea distincto non indigeremus. Motivum igitur est medium quo imbecilles adjuvamur et ad veritati adhærendum determinamur.

Dividitur in certum et incertum, evidens et inevidens,

probabile et improbabile, sicut et judicia iis motivis innixa, ut diximus, pag. 45.

Nunc præcipue nobis dicendum est de motivis certis, quæ possunt esse in ordine metaphysico, physico vel morali, sicut ipsa certitudo de qua supra diximus, pag. 110.

In ordine metaphysico, vel agitur de iis quæ intra nos geruntur, et habemus sensum intimum; vel de essentiis rerum, et datur evidentia. *In ordine physico*, de existentia et qualitate corporum agitur, et tunc relatione sensuum innitimur. *In ordine morali*, vel de doctrinis in moribus hominum fundatis quæstio movetur, et consensionem hominum ac traditiones in primis consulere debemus; vel de factis historicis, et testimonium hominum profertur; vel de præteritis mentis nostræ affectionibus, et memoria exhibetur. In ordine tum physico, tum morali, aliquando judicandum est de objectis similibus aliis objectis nobis cognitis, et datur analogia.

Præsens igitur caput in octo dividemus articulos, quorum primus erit de sensu intimo, secundus de evidentia, tertius de relatione sensuum, quartus de consensione hominum, quintus de eorum testimonio, sextus de memoria, septimus de analogia, et octavus de motivo probabili.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SENSU INTIMO.

Sensus intimus interior est affectio qua mens de præsenti statu suo admonetur : dicitur etiam conscientia seu nostri scientia.

PROPOSITIO.

Sensus intimus est motivum metaphysice certum judicandi.

Explicatur et simul prob. Illud est motivum metaphysice certum judicandi, quod in quacumque hypothesi necessariam habet connexionem cum veritate judiciorum quæ ipso nituntur : atqui sensus intimus, in quacumque hypothesi, necessariam habet connexionem, etc. Vel enim necessariam habet connexionem cum veritate judiciorum quæ ipso nituntur, vel judicia sensu intimo innixa, possun

esse falsa : atqui repugnat judicia sensu intimo innixa, in aliqua hypothesi, esse falsa, siquidem subjectum et attributum in eodem individuo existunt, in eo scilicet qui sensum experitur. Sit in exemplum judicium istud : *Ego cogito :* facta qualibet hypothesi, judicium istud falsum esse non potest; sive enim præcipitatione ducamur, sive præjudiciis abripiamur, sive semper somniemus, sive a genio potente deludamur, impossibile est ut, dum judico me cogitare, revera non cogitem, id est, aliqua affectio in mente mea non existat, quia prius est esse in mente quam sentiri in mente : ad hoc enim principium inconcussum, unicuique notum et ab omnibus admissum, tota reducitur probatio nostra : ergo, etc.

Idem dicendum est de quolibet alio judicio sensu intimo innixo, v. g., *Ego doleo ;* vel enim dolorem sentio, dum judicium istud efformo, vel non : si prius, verum est judicium : si posterius, judicium istud sensu intimo non innititur, ut patet, sed merum est mendacium. Ergo, etc. Unde nullus de veritate sensationum suarum dubitat, nec exigit ut alii probent se reipsa sentire.

Hinc 1° omnia quæ de rerum apparentiis feruntur judicia essentialiter sunt vera ; nam præsentem animæ statum enuntiant et sensu intimo nituntur.

Hinc 2° actualis existentia nostra est respectu nostri prima veritas, per se nota et nulla probatione indigens.

Hinc 3° hæc propositio : Sensus intimus est motivum certum judicandi, est principium certitudinis per se notum, omnibus commune et cum veritate essentialiter connexum ; quod expositione magis quam probatione indiget, et nullis objectionibus alicujus ponderis labefactari potest. Sequentes tamen Scepticorum cavillationes proponuntur ad majorem rei elucidationem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Illud non est motivum infallibile judicandi, quod nos impellit ad judicia falsa ; atqui sensus intimus nos impellit ad judicia falsa : ergo, etc.

R. Nego min. propter rationes superius allatas.

Inst. 1°. Ex duobus judiciis contradictoriis unum sit falsum necesse est : atqui sensus intimus ad duo judicia contradictoria nos aliquando impellit. Ergo, etc.

R. Nego min.; nam judicia sensu intimo innixa enuntiant duntaxat præsentem animæ statum ; atqui judicia quæ duntaxat præsentem animæ statum enuntiant non possunt esse contradictoria, alioquin præsens animæ status esset simul talis et non talis, quod repugnat. Ergo, etc.

Inst. 2°. Hæc duo judicia : *Ego caleo ; Ego non caleo*, sunt contradictoria : atqui sensus intimus ad hæc duo judicia simul nos impellit : ergo, etc.

R. Dist. maj. Hæc duo judicia sunt contradictoria, si proferantur ab eodem homine, eodem tempore et sub eodem respectu, *concedo ;* si proferantur a diversis hominibus aut diverso tempore vel sub diverso respectu, *nego maj.* Itaque fatemur quod duo prædicta judicia sint contradictoria, si proferantur ab eodem homine, eodem tempore et sub eodem respectu ; tunc enim esset affirmatio et negatio ejusdem attributi de eodem subjecto et sub eodem respectu : sed non sunt contradictoria si proferantur a diversis hominibus, ut patet; aut ab eodem homine, sed diverso tempore ; vel ab eodem homine et eodem tempore, sed sub diverso respectu : v. g., caleo sub respectu manus dextræ quam ad ignem admoveo, et non caleo sub respectu sinistræ quam in aquam frigidam immergo; tunc quippe non est affirmatio et negatio ejusdem, de eodem et sub eodem respectu ; porro sensus intimus ad duo prædicta judicia non impellit, nisi sint saltem sub diverso respectu. Ergo, etc.

Sensationes autem caloris et frigoris simul existunt in anima, ut experientia constat, ac proinde in hoc sensationum subjecto sese non excludunt. Qua ratione vere concilientur, ignoramus, quia naturam animæ nostræ non satis cognoscimus. At certum est nullam in ea existere contradictionem, cum diversæ illæ affectiones sese non destruant. Contra vero effectus caloris et frigoris in eadem parte corporis sese destruunt; calor enim partes materiæ dilatat et dividit, dum frigus eas restringit ac com-

primit; sic perpetua docet experientia. Si autem aliter contingeret, dicta judicia non essent contradictoria, nec proinde repugnaret ea simul sensu intimo esse innixa. Ergo, etc.

Obj. 2°. Somniantes, delirantes, furiosi, ægroti *imaginarii*, etc., sæpe judicant se multa videre, audire, facere aut experiri, quæ reipsa non vident, nec audiunt, nec faciunt, nec experiuntur : ergo, etc.

R. Nego conseq. Nam, ex observatis, sensus intimus de præsentibus mentis nostræ affectionibus tantum, non vero de rebus extra nos positis, nec de externis actibus nos admonet : at in exemplis quæ nobis objiciuntur, de rebus extra nos positis, vel de externis actionibus agitur ; si ergo decipiamur, non sensui intimo, sed aliis causis diverse mentem nostram afficientibus tribuendus est error. Id unum testatur sensus intimus, scilicet, nos in iis circumstantiis eodem modo affici ac si reipsa hæc videremus, audiremus, etc. Porro talia judicia sunt vera. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EVIDENTIA.

Vox *evidentia* duplicem habet sensum et exinde non parva sæpe oritur confusio.

Lato sensu, evidentia sumitur pro omni perceptione clara. Ubicumque adest lumen adeo fulgens ut inviti ad assensum illi præbendum rapiamur, adest quoque evidentia.

Hic autem eam in sensu strictiori sumimus, et duplex de illa dari potest definitio, prout subjective vel objective consideratur.

Quatenus subjective, definitur *perceptio clara et distincta convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se.* Dicitur subjectiva, quia in mente tanquam in subjecto recipitur. Facultas autem qua mens veritatem clare et directe, absque motivis extrinsecis, percipit vel percipere potest, est *ratio* proprie dicta, de qua specialiter agemus in Psychologia.

Evidentia *objectiva* est quædam aptitudo in objectis ut

clare et distincte ab omnibus in iisdem circumstantiis constitutis facile et eodem modo percipiantur: talia sunt objecta mathesis.

Insuper, evidentia dividitur 1° in immediatam et mediatam; 2° in intrinsecam et extrinsecam.

1° Evidentia est *immediata* quando convenientia vel discrepantia idearum absque ullo ratiocinio clare percipitur; dicitur etiam cognitio intuitiva: v. g., *Totum est sua parte majus*. Vocatur autem *mediata* quando propositio non per se ipsam, sed ope ratiocinii clare percipitur; v. g., Tres anguli cujuscumque trianguli *rectilinii* duobus angulis rectis æquivalent. Hæc enim propositio, demonstratione facta, tam evidens est quam prima, sed non pro omnibus.

2° Evidentia *intrinseca* est illa quæ ex ipsius rei natura nascitur; talis est evidentia præcedentis propositionis. Evidentia vero *extrinseca* ea est quæ repetitur ab aliquo principio rei extrinseco, vel ex absurdis aliunde secuturis: tales sunt supputationes astronomorum circa nonnullos motus siderum; evidentes enim non sunt respectu aliorum hominum, nisi ex fide quam habent in testimoniis astronomiæ peritorum, vel ex eventibus jam prænuntiatis et accurate peractis. Hoc sensu mysteria religionis christianæ sunt evidentia, vel melius, evidenter credibilia, quia demonstratur ex una parte Deum esse summe veracem, et ex altera parte eum mysteria revelasse.

Quæcumque evidentia subjectiva, sive immediata, sive mediata, sive intrinseca, sive extrinseca, modo certa habeatur, ejusdem est generis quoad vim probandi; semper enim est clara convenientiæ aut repugnantiæ idearum perceptio. Sed mentem nostram eodem modo non afficit; evidentia namque extrinseca majorem vel minorem requirit attentionem, et assensum non rapit, sicut primorum principiorum intuitio. Unde fides in mysteria revelata, licet evidenter credibilia, est libera ac meritoria.

Notandum existentiam rerum extra nos positarum ex hac evidentia, ut aiunt, metaphysica concludi non posse, sed tantum ex evidentia physica; evidentia enim metaphy-

sica versatur tantum circa ideas : atqui ideæ solam rerum essentiam, non vero existentiam realem exhibent, saltem si excipiatur Dei existentia, quæ ex ipsius idea recte concluditur, et propria existentia, quam ipsa cogitatio necessario supponit. Quæstio est igitur an evidentia, prout vulgo intelligitur, sit motivum infallibile de ideis et earum respectibus judicandi.

PROPOSITIO.

Evidentia est motivum metaphysice certum de convenientia aut repugnantia idearum inter se judicandi.

Explicatur. 1° Evidentia, ex dictis, est clara et distincta perceptio convenientiæ aut repugnantiæ idearum inter se : atqui talis perceptio est infallibilis ; est enim infallibilis, aut dicendum est mentem eam habendo errare posse : atqui mens talem perceptionem habendo errare non potest; nam tunc eadem simul esset perceptio et non perceptio : esset quidem, ut supponitur ; non esset tamen, cum mens falleretur. Ergo, etc.

2° Illud tanquam certissimum veritatis motivum admitti debet, de cujus infallibilitate nemo rationabiliter dubitare potest : atqui de infallibilitate evidentiæ proprie dictæ nemo rationabiliter dubitare potest; tam facile enim foret totam naturam nostram mutare, quam nobis persuadere bis duo non dare quatuor, totum non esse sua parte majus, radios circuli non esse æquales, etc. Hinc quando in discussione ad claram convenientiæ aut repugnantiæ idearum perceptionem devenimus, invincibiliter rapimur ad judicandum nos huic perceptioni adhærentes decipi non posse. Ita omnes judicant, et ubi fatentur rem esse evidentem, controversia terminatur. Ergo, etc. Evidentia igitur est motivum metaphysice certum de convenientia aut repugnantia idearum inter se judicandi.

Eo motivo nituntur geometræ, astronomiæ et artis mechanicæ periti, etc., quando de principiis scientiæ suæ disserunt, et supputationes suas faciunt. Ubi vero speculationes suas ad praxim reducunt, objecta physica supponunt.

Eodem motivo sæpe etiam innituntur philosophi de quæstionibus logicis, metaphysicis, nec non quandoque de moralibus disserentes.

Jam autem monuimus evidentiam non esse motivum judicandi de reali rerum contingentium existentia, sed ad aliud recurrendum esse motivum, nempe ad relationem sensuum, hominum testimonium aut divinam revelationem. At, licet ordo metaphysicus et ordo moralis externam non habeant existentiam, sicut substantiæ, nihilo tamen opponuntur et immutabile sunt objectum idearum nostrarum : nam ideæ nostræ essentialiter sunt conformes objectis quæ nobis aliisque hominibus clare exhibent tum in ordine metaphysico, tum in ordine morali; ac proinde hæc objecta prout ab omnibus apprehenduntur in suo genere reipsa existunt, alioquin tota rueret certitudo, et intelligentia humana destrueretur. Unde *Fénelon, Existence de Dieu, 2e partie, chap. I.*, n. 12. « *Je fais une extrême différence entre mes opinions libres et véritables, et mes idées claires que je ne suis pas libre de changer. Quand même elles seraient fausses, il m'est impossible de les redresser, et je suis sans ressource dévoué à l'erreur. Ceux mêmes qui m'accuseront de me tromper, si c'est une tromperie, sont dans la nécessité de se tromper toujours aussi bien que moi. Cette erreur n'est point un accident ; c'est un état fixe où nous sommes nés. C'est leur nature, c'est la mienne.* »

Solvuntur objectiones.

Objicies. Evidentia sæpe, cum abest, judicatur adesse : ergo de præsentia illius certo constare non potest.

R. Dist. ant. Evidentia sæpe, cum abest, judicatur adesse, ante sufficiens examen, *conc. ant.* ; post maturum et sufficiens examen, *nego ant.* Etenim illa propositio merito judicatur evidens circa quam affectio nostra eadem est ac circa propositiones per se notas de qua nullus ratione præditus et in ea materia versatus serio dubitare potest. Atqui, data sufficienti attentione, facile comperiemus utrum affectio nostra sit eadem circa propositionem de qua agi-

tur, ac circa propositiones per se notas, ita ut non magis de illa dubitare possimus quam de propria existentia nostra, vel de veritate istius principii : *Idem non potest esse simul et non esse.* Ergo, etc.

Inst. 1°. Sæpe philosophi, post adhibitam seriam attentionem, sententias sibi contradictorias defendunt, et ex utraque parte judicant se habere evidentiam : atqui tamen evidentia non est in utraque parte, et forte in nulla. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Sæpe philosophi, sine adhibita seria attentione circa rem ipsam, sententias, etc., *conc.;* post adhibitam seriam attentionem circa præsentiam evidentiæ, *nego maj.;* etenim si quid in causa esset cur, post adhibitam seriam attentionem, falso putaretur affulgere evidentiam. dum revera non affulget, maxime quæstionis difficultas : at difficultas quæstionis impedire non potest quin judicetur affulgere evidentiam ubi reipsa affulget, abesse vero, si absit. Difficultas enim quæstionis id unum præstare potest, scilicet, ut facilius aut difficilius habeatur evidentia, prout quæstio magis vel minus est ardua, a paucioribus vel a pluribus fuit examinata et soluta : at si, adhibita seria attentione, res clare et distincte percipiatur, et si complures affirment se ita illam percipere, mens eam experietur affectionem vividam et invincibilem quæ semper comitatur evidentiam; si vero, quacumque adhibita attentione, res clare non intelligatur, aut a multis viris gravibus negetur, mens eadem non experietur affectionem, ac proinde merito judicare non poterit se habere evidentiam : ergo difficultas quæstionis non impedit, etc. Ergo, etc.

Inst. 2°. Ut prudenter asseratur dictos philosophos, evidentiam falso sibi vindicantes, sufficientem attentionem non adhibuisse, determinare oportet gradum examinis necessarium : at ille gradus determinari non potest, siquidem pendet a quæstionis difficultate, ab ingenii acumine vel exilitate, a cognitionibus jam acquisitis, ab usu et exercitio, etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Gradus enim examinis necessarius generatim est ille qui nos ducit ad claram notitiam veritatis

quam inquirimus, ita ut hæc veritas detecta eodem modo nos afficiat ac veritates per se notæ aut demonstratæ, quales sunt propositiones mathematicæ. At hujusmodi gradus examinis et attentionis sufficienter determinatur; unusquisque enim serio attendens, comperire poterit utrum eam affectionem quæ evidentiam semper comitatur, in se sentiat, nec ne, et videre an alii ita eam sentiant: si eam sentiat et audiat alios dicentes se pariter eam sic sentire, gradum attentionis sufficientem adhibuit; secus, judicare debet se ad gradum examinis sufficientem nondum pervenisse, aut difficultatem captum mentis suæ superare. Ergo, etc.

Inst. 3°. Nunquam certo judicabitur sufficientem adhibitam fuisse attentionem, nisi detur signum infallibile quo illud constare valeat: atqui nullum datur hujusmodi signum. Ergo, etc.

R. Nego min. Nam certum est principium istud: Illud admittendum est ut verum, circa quod omne dubium respectu omnium est rationabiliter impossibile, alioquin nihil esset certum: at principium istud est signum infallibile quo merito judicatur sufficientem adhibitam fuisse attentionem. Vel enim ope ratiocinii ad claram hujusmodi perceptionem pervenimus, vel non: si prius, de veritate sic percepta nemo potest dubitare, et judicamus sufficientem adhibitam fuisse attentionem; si posterius, assensum cohibere possumus, et eo ipso pronuntiare debemus sufficientem adhibitam non fuisse attentionem, aut quæstionem captum nostrum superare; a ferendo igitur judicio certo abstinere debemus. Ergo revera datur signum, etc. Ergo, etc.

Inst. 4°. Signum istud esset ipsamet evidentia: atqui evidentia non potest esse sui ipsius signum. Ergo, etc.

R. Nego min. Evidentia enim se habet respectu mentis sicut lux meridiana respectu oculorum: atqui ut lux meridiana oculis nostris innotescat, non requiritur signum ab ea distinctum: ergo a pari nec evidentia requirit signum a se distinctum, sed est sui ipsius signum. Ergo, etc.

Inst. 5°. Sæpe evidentiam a verisimilitudine secer-

nere non possumus : ergo non potest esse sui ipsius signum.

R. Nego ant. 1° Enim evidentiam a verisimilitudine tuto secernere possumus, si intima affectio nostra non sit eadem circa verisimilitudinem ac circa evidentiam : atqui intima affectio nostra non est eadem circa verisimilitudinem ac circa evidentiam ; ubi enim de propositione evidenti agitur, ita vivide afficimur ut ad assensum illi præbendum etiam inviti rapiamur : at si propositio sit tantum verisimilis, vividam hanc affectionem non experimur. Unde multa invincibiliter ignoramus, sed nunquam invincibiliter judicamus ut evidens quod non est tale. Caveamus igitur ne ultra id quod clare percipimus certo judicemus. 2° Propositio evidens talis omnibus in ea materia versatis apparet ; non ita verisimilitudo. Ergo, etc.

Inst. 6°. Verisimilitudo præ se fert speciem veri, ut ex etymologia patet : ergo ab evidentia tuto secerni non potest.

R. Dist. ant. Verisimilitudo præ se fert speciem veri primo intuitu, *conc.;* maturo adhibito examine, et aliis hominibus consultis, si opus est, *nego ant.* Itaque fateor verisimilitudinem primo intuitu speciem veri præ se ferre : at si rem diligentius introspiciamus ,et quid alii sentiant consideremus, hæc mera veritatis apparentia evanescit, et tunc vividam non experimur affectionem quæ cum veritate evidenter percepta semper conjungitur. Ergo, etc.

Inst. 7°. Judicamus aliquam propositionem esse veram, quia apparet vera : atqui apparere potest vera, quamvis falsa sit. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Judicamus, etc., quia vera apparet evidenter, *conc.;* quia apparet vera qualicumque apparitione, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore, nego consequentiam.* Itaque duplicis generis distingui possunt veritatis apparentiæ, evidentes, scilicet, et dolosæ seu umbratiles : porro judicare non debemus aliquam propositionem esse veram, nisi veritas appareat evidenter, ita ut assensum illi denegare non possimus ; quamdiu vividam hanc affectionem non experimur, judicare debemus propositionem

esse ad summum verisimilem, probabilem aut dubiam, prout nobis apparet, non autem veram. Ergo, etc.

Si prudenter sic ageremus, a præcipitatione, cupiditatibus et præjudiciis diligentissime caventes, nunquam evidentiam falso nobis vindicaremus, nec illius umbra vel apparentia deciperemur; ignorantiam nostram cum simplicitate fateremur, quoties perfectam rerum notitiam non haberemus, aut alios sensatos, in scientia de qua agitur peritos, adversantes aut dubitantes videremus.

Notandum est 1° evidentiam in multis casibus patere : quamvis in aliis ab apparentia non ita facile secernatur, non ideo desinit esse inconcussum veritatis motivum, quando reipsa affulget.

Notandum est 2° objecta evidentia eodem modo ab intelligentiis, quibus sunt proportionata, percipienda esse, sicut sol eodem modo ab oculis sanis videtur : unde repugnat aliquem habere evidentiam contra sensum generis humani, aut sanioris partis hominum : communis igitur aliorum hominum sensus ostendere potest quinam ex contendentibus evidentiam merito sibi vindicent, et in controversiis ad hunc judicem sæpe recurrendum esse omnes fatentur, aut fateri coguntur.

Unde in discussionibus nemo propriam allegare potest evidentiam tanquam principium demonstrationis syntheticæ vel tanquam ultimam propositionem demonstrationis analyticæ; adversarium enim negantem rem esse evidentem ex evidentia mea convincere non possum, sed debeo rem elucidare, et pro viribus meis efficere ut evidens ipsi appareat sicut et mihi. Sæpe etiam ego plenam habere non possum certitudinem, nisi advertam rem talem esse ut non mihi solum, sed et aliis rationis usum habentibus et serio attendentibus evidens apparere debeat. Sic omnes, etiam Cartesiani, semper judicaverunt, v. g., auctor libri *l'Art de penser*, 4e *partie*, *ch.* 6 : « *Il faut tenir pour clair ce qui paraît tel à tous ceux qui veulent prendre la peine de considérer les choses avec attention, et qui sont sincères à dire ce qu'ils en pensent intérieurement.* »

Quæritur utrum evidentia possit esse major vel minor?

R. Evidentia potest esse major vel minor extensive, non vero intensive.

1° *Extensive :* evidentia enim major est extensive si ad plures rei proprietates vel respectus sese extendat : atqui certe plures ejusdem objecti proprietates vel respectus attingere possumus : ergo, etc.

2° Major esse non potest *intensive :* ut enim major esset *intensive*, arctius jungi deberet cum veritate in uno casu quam in altero : atqui repugnat evidentiam arctius jungi cum veritate in uno casu quam in altero; nam essentialiter cum veritate conjungitur; in essentialibus autem non datur plus et minus : v. g., bis duo non magis dare possunt quatuor in uno casu quam in altero. Ergo, etc.

Idem dicendum est ac de certitudine quæ extendi potest quoad objecta, vel quoad media quibus acquiritur, non vero quoad suam cum veritate connexionem.

Si ergo plures eadem de re sæpe adhibeantur demonstrationes, id non fit præcise ad augendam connexionem cum veritate jam certo cognita, sed 1° ad firmiorem mentis adhæsionem, sicut objectum clare visum, clarius adhuc videtur si augeatur lumen; 2° ut magis excitetur animus et in arte demonstrandi exerceatur; 3° ut ipsius curiositas impleatur; 4° ut ille cui una demonstratio non arridet, altera convincatur : ita enim disponuntur homines ut eodem modo eamdem non percipiant veritatem ; qui prima fronte eam non vident, assensum illi sub altera facie sic exhibitæ non denegabunt.

SCHOLIUM.

Sequitur, ex dictis, evidentiam esse primam veritatis regulam pro judiciis ipsa innixis ; prima enim regula veritatis est ultima ratio quæ afferri possit ; at evidentia ultima est ratio quæ in judiciis ipsa innixis afferri possit. Necesse est enim ut sit connexio inter propositiones quæ ad demonstrationem inserviunt; sed ubi, per seriem propositionum sibi concatenatarum, ad principium evidens devenitur, aut a principio evidenti ad propositionem demonstrandam perventum est, et adversarius fateri cogitur rem

esse evidentem, tunc nihil addi potest, et demonstratio est completa. Ergo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE RELATIONE SENSUUM.

Mediantibus quinque sensibus nostris, qui *quasi fenestræ sunt animi*, ut ait Cicero, *de Legibus*, l. 1, n. 9, varias experimur sensationes quas ad externa objecta referimus : unde distinguendum est inter sensationes et sensuum seu potius sensationum relationem. Sensatio enim nihil aliud est quam interna mentis affectio quæ in nobis occasione corporum circumstantium excitatur; corpora scilicet sensus nostros, juxta leges physicas unicuique et ipsis corporibus proprias, movent, et inde sequitur sensatio, cujus naturam et modum in Psychologia expendemus. *Relatio* autem *sensuum* est invincibilis illa propensio qua sensationes nostras ad corpora tanquam ad earum causas referimus, et ideo qua de ipsis corporibus judicamus.

Certum est sensus in multos errores multasque illusiones quotidie nos inducere. Quidam philosophi judicarunt eos erroris convictos nullam mereri fidem, concluserunt-que nulla forte existere corpora, sed mera tantum phantasmata et puras imagines : alii vero non ita negarunt corpora existere, sed contenderunt illorum existentiam ratione demonstrari non posse.

1° Academici, si non omnes, saltem plures, absolutam connexionem inter rerum existentiam et earum essentias non deprehendentes, inferebant nihil forte existere, et sola judicia de rerum apparentiis sub hoc respectu admittenda esse ut vera.

2° *Descartes*, rebus sedulo attentis, contendit (*Medit.* 6, *et Princip. parte* 2) existentiam corporum ex summa veritate Dei repetendam esse. Unde contra atheos demonstrari non potest ea existere.

3° *Malebranche*, postquam errores sensuum, in toto libro primo *de la Recherche de la vérité*, ultra modum descripsit, in tomo IV, cap. 6, docet relationem sensuum

per se sufficientem non subministrare demonstrationem de corporum existentia; sed, ut omnimoda hac de re obtineatur certitudo, recurrendum esse ad revelationem.

4° *Berkeley*, episcopus anglicanus in Hibernia, an. 1733, natus, in opere gallice inscripto, *Principes des connaissances humaines*, et in alio dicto, *Dialogue entre Hylas et Philonoüs*, non solum dixit existentiam corporum esse dubiam, sed audacter affirmavit nullum esse corpus, neque proprium, neque alienum, nullam materiam, nullum mundum physicum, sed tantum animæ nostræ modificationes a Deo in nobis impressas, quarum objecta sunt mera phantasmata, quibus perpetuo deludimur. Sic etiam *Hume*, *Traité de la nature humaine*.

5° Emmanuel *Kant*, natus Konisbergæ, anno 1724, quasdam intellectus nostri formas assignans ut fundamentum et originem omnium cognitionum nostrarum, realem corporum existentiam stricte sibi demonstrare non potest, quod infra ostendemus in dissertatione speciali.

Fichte, *Kant* discipulus, et ejus asseclæ, *autotheismum* seu *egoismum* propugnantes, de quibus fusius dicemus in Theodicea, non habent sensationes nisi ut mentis limites, ad quos mens ipsa adducitur et quos experitur in suis evolutionibus.

PROPOSITIO.

Relatione sensuum infallibiliter constat generatim existere corpora.

Prob. Illud infallibiliter certum est quod ipsa natura invicte nobis demonstrat : atqui ipsa natura invicte nobis demonstrat corpora generatim existere ; nam propensio universalis, constans et invincibilis merito reputanda est vox naturæ et omne excludit dubium : atqui propensio qua ferimur ad judicandum corpora generatim existere est universalis, constans et invincibilis.

1° *Est universalis :* illa enim propensio est universalis quam omnes homines, docti et indocti, in quacumque ætate aut regione mundi, eodem modo experiuntur : atqui omnes homines, docti et indocti, in quacumque ætate aut

regione mundi, eamdem experiuntur propensionem ad judicandum existere corpora; ipsimet *immaterialistæ*, qui corporum existentiam negarunt aut affirmarunt demonstrari non posse, eodem modo semper se gesserunt ac si credidissent corpora existere. Ergo 1°, etc.

2° Illa propensio *est constans*: nam hæc propensio est constans quam per totum vitæ curriculum semper experimur: atqui per totum vitæ curriculum eamdem experimur propensionem ad judicandum existere corpora; si enim visiones quandoque per somnia habeamus, expergefacti falsa hæc judicia statim reformamus; in statu autem vigiliæ, dum constat nos rationis esse compotes, eodem modo semper inclinamur ad judicandum existere corpora. Ergo 2°, etc.

3° *Est invincibilis*: illa namque propensio est invincibilis qua nullo conatu nos exuere possumus: atqui nullo conatu prædicta propensione nos exuere possumus. Quis enim sanus sibi persuadere posset non existere solem, neque lunam, neque stellas, neque cœlum, neque terram, etc.? Quis siti, fame, vel alio dolore pressus, serio judicare posset stomachum, ventrem, totum corpus suum, esum, potum, etc., nihil habere realitatis? Quis, repetitis ictibus graviter percussus, obstinate contenderet hæc omnia meras esse imagines sicut geometriæ figuras? Ergo 3°, etc.; aliunde, etc.; insuper, etc. Ergo, etc.

Et vero, si non existerent corpora, nullum daretur discrimen inter corpora per imaginationem nobis repræsentata, et corpora realia, siquidem omnia essent phantasmata: at invincibiliter credimus multum dari discrimen inter corpora per imaginationem nobis repræsentata et corpora realia: v. g., invincibiliter credimus aliud esse solem in medio noctis nobis repræsentare, et aliud illum hora meridiana propriis oculis conspicere; aliud fragorem tonitrui vel tormentorum bellicorum recordari, et aliud illum reipsa audire. Ergo, etc.

Præterea, in hypothesi quod nulla existerent corpora, dicendum foret motum, quietem, nativitatem, vitam, mortem, familias, cognationes, vicinos, amicos,

domos, civitates, regna, distinctionem inter divites et pauperes, principes et subditos, exercitus, arma, bella, victorias, fugas, quascumque artes, universa artificia, cæteraque omnia totidem esse imagines, somnia et phantasmata : porro nullus hæc omnia serio admittere potest. Ergo, etc. Id confitebatur ipse *Hume*, apud *Balmès* citatus. Relatis quibusdam factis vitæ communis addit : « Quand après deux ou trois heures de « récréation, je reviens à ces spéculations, elles me pa- « raissent si froides, si en dehors de la nature, si ridi- « cules, que je n'ai pas le courage de les continuer. Je « me vois absolument et nécessairement forcé de vivre, « de parler et de travailler comme les autres hommes, « dans le train commun de la vie. » (*Traité de la nature humaine*, t. I.)

Tandem, nemo est qui non sentiat totam suam rationalem naturam subverti, si relatio sensuum, debitis conditionibus vestita, ex se et directe ad pariendam certitudinem non sufficiat. Eodem modo rejici posset ipsamet evidentia quæ non admittitur nisi quia mens ab assensu se cohibere non potest, et quia, ea negata, jam tota subvertitur ratio.

Reperitur ergo in relatione sensuum quidquid certitudinem proprie dictam constituit, videlicet firma et prudens mentis adhæsio veritati cognitæ, sine errandi formidine.

Hæc autem certitudo est physica, siquidem ipsis naturæ legibus fundatur.

Fieri tamen potest metaphysica, positis sequentibus conditionibus, scilicet 1° existentia Dei ex argumentis metaphysicis demonstrata, et 2° certitudine relationis memoriæ : si enim memoria non sit infallibilis, nulla institui potest demonstratio metaphysica, cum ad concludendum necesse sit ut principia sub attentione mentis per memoriam infallibiliter retineantur.

His vero positis, merito ex veracitate Dei infertur corpora existere, nam Deus naturam rationalem a se creatam inducere non potest in errorem universalem, constantem et invincibilem. Sed ad Dei veracitatem recurrere minime

necesse est, ut certissime constet corpora generatim existere; patet ex dictis. Imo, periculosum fieri posset hanc viam velut unicam indicare, sive quia argumenta metaphysica existentiam Dei probantia non facile ab omnibus intelliguntur; tunc enim pro multis tolleretur argumentum omnibus obvium, ab ordine physico petitum; sive quia, uno certitudinis motivo sic labefacto, alia similiter periclitantur, cum omnium eadem sit ratio ultima, scilicet impossibilitas vere dubitandi.

Cum de existentia corporum non magis dubitare possimus quam de propria existentia, sequitur relationem sensuum, ea existere testantem, ut principium veritatis per se notum admittendam esse : nihil enim excogitari potest quod vividius nos afficiat et assensum nostrum universalius ac invincibilius obtineat. Ergo diversa philosophorum systemata superius exposita statim rejicienda sunt ut falsa, nec utile est ea singulatim percurrere et speciatim confutare.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sensationes necessariam non habent connexionem cum existentia corporum. Ergo non probant, etc.

R. dist. ant. Sensationes necessariam non habent connexionem cum existentia corporum, seposita invincibili propensione ad judicandum ea existere, *conc.*; existente dicta propensione, *nego ant.* Nam tunc ipsa natura nos falleret, et omnis rueret certitudo. Etenim probavimus universalem, constantem et invincibilem propensionem, qua ferimur ad judicandum existere corpora, *per seipsam* esse fontem certitudinis, neque abnegari posse, quin natura nostra rationalis funditus subvertatur.

Fatemur quidem hanc certitudinem non esse metaphysicam et a principio contradictionis non oriri; sed contendimus non semper ad principium istud recurrendum esse, ut habeatur certitudo : datur enim certitudo physica sicut certitudo metaphysica.

Neque dicatur, cum nonnullis, sensationes nostras a quodam genio potenti nobis illudente forte produci : nam

talis cujuscumque genii operatio prædictæ propensioni omnino repugnaret, et totam naturam nostram rationalem subverteret. Ergo, etc.

Inst. 1°. Sensationes necessario nos omnes impellunt ad judicandum qualitates sensibiles, v. g. colores, frigus, calorem, etc., in corporibus existere : attamen qualitates sensibiles in corporibus revera non existunt. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Sensationes necessario nos impellunt ad judicandum quasdam esse in corporibus partium dispositiones quæ sunt objectum vel occasio sensationum nostrarum, *conc.;* inesse in corporibus aliquid simile affectionibus nostris, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore, nego consequentiam.* Fatemur equidem sensationes nostras invincibiliter nos impellere ad judicandum quasdam esse in corporibus dispositiones quæ sunt objectum vel occasio sensationum nostrarum. Sed, admissa corporum existentia, illud non est falsum; tunc enim certum est variis formis induta esse corpora, alia esse solida et alia fluentia, alia dura et alia mollia, alia magna et alia parva, alia quadrata et alia rotunda, alia rubra et alia alba, alia bene et alia male olentia, alia calida et alia frigida, etc. Quid sint autem qualitates istæ, quomodo a mente attingantur, penitus ignoramus, et explicare frustra conaremur. Sed negamus sensationes nostras invincibiliter nos impellere ad judicandum aliquid inesse corporibus sensationibus nostris simile; a judicio enim illo temperare possumus : imo, nunquam proprie judicamus qualitates sensibiles, prout in mente existunt, corporibus inesse. Quis enim unquam credidit frigiditatem, quam experitur, revera esse in vento, in nive, in aqua, in glacie, etc.? quis credidit calorem, quem sentit, prius fuisse in igne? Quando dicimus glaciem esse frigidam, ignem esse calidum, non intelligimus aliud quam dispositiones idoneas ad sensationes frigiditatis et caloris in anima nostra procreandas. Non expendimus utrum hæc elementa sensationes per seipsa producant, an vero illarum sint tantum causæ occasionales. Ergo reipsa sensationes necessario non impellunt in hoc casu ad judicia falsa. Ergo, etc.

Oject. 2°. Sæpe sensus nos fallunt : ergo nulla fides eis adhibenda est.

R. 1°. *Retorqueo argumentum.* Sæpe erramus : ergo nihil est certum ; sæpe alimenta nobis sunt noxia : Ergo nunquam manducandum est, etc.

R. 2°. *Dist. ant.* Sæpe sensus nos fallunt circa qualitates vel situs corporum, *concedo ;* idque frequenti experientia constat : nos fallunt circa corporum existentiam et in omnibus circumstantiis, ut volunt adversarii, *nego ant.* Etenim 1° non licet a particulari ad generale sic concludere ; 2° tam invincibiliter ferimur ad judicandum existere corpora, ut nullo modo hac propensione nos exuere possimus ; contra vero multiplici ratione errores nostros circa qualitates et situs corporum in specialibus circumstantiis detegere et reformare possumus ; 3° cum propensio qua ferimur ad judicandum existere corpora sit naturalis, ut pote universalis, constans et invincibilis, si in errorem nos induceret, tota rationalis natura nostra subverteretur, ac proinde nihil respetu nostri jam amplius esset certum. Ergo, etc.

Multi hic proponere solent objectionem ex præsentia Christi in Eucharistia petitam : Invincibili propensione, inquiunt, ferimur ad judicandum adesse panem post consecrationem, dum revera non est panis. Sed nemo non videt hanc difficultatem nullius esse ponderis : sola enim revelatione scimus panem non adesse in Eucharistia post consecrationem, et revelatio nos docet ibi esse miraculum : ergo nulla est deceptio, aut si deceptio aliquando contingat, v. g., si hostia consecrata oculis infidelis vel catholici consecrationem ignorantis objiciatur, id per singulare accidens contingit. Insuper datur medium erroris detegendi. Ergo, etc.

Inst. Sensus, ex concessis, sæpe nos fallunt circa qualitates et situs corporum : ergo de corporibus saltem sub hoc respectu certo judicare non possumus.

R. 1°. Etiamsi totum concederetur argumentum, nihil adversus propositionem nostram, quæ est de existentia corporum in genere, sequeretur.

R. 2°. *Nego conseq.;* præsens enim argumentum eodem vitio laborat ac præcedens; a particulari ad generale concludit.

Concessimus quidem sensus circa qualitates corporum sæpe nos fallere, v. g., in visionibus opticis, sive naturalibus, sive artificialibus; verum plures sunt viæ, quas mox referemus, ad hos errores depellendos. Ergo, etc.

Obj. 3°. Frequenter judicamus in somno aut in delirio nos multa videre corpora quæ reipsa non existunt : ergo relatio sensuum nos fallit etiam circa corporum existentiam.

R. Nego conseq.; nam 1° in somno non judicamus ex relatione sensuum, sed ex imaginatione; 2° statum vigiliæ a statu somni certissime distinguimus; statim atque expergefacti sumus, visiones, quæ nobis somniantibus illuserunt, depellimus, dum, e contra, quantumvis serio attendamus, judicium circa corporum existentiam cohibere non possumus; 3° hypothesis perpetui somnii vel deliramenti sensui intimo et evidentiæ directæ manifeste repugnat. Insuper, cum ex dictis, certitudo relationis sensuum ad veracitatem divinam reduci possit, dicendum esset hunc errorem in Deum refundendum esse, quod repugnat. Ergo, etc.

Inst. Somniantes et delirantes necessario judicant existere corpora quæ revera non existunt; ergo similiter Deus permittere potest ut in statu vigiliæ necessario judicemus existere, etc.

R. Nego consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est quod error somniantium et delirantium non ex natura nostra necessario profluit, neque est universalis et constans, sed per accidens evenit. Insuper, non est invincibilis, siquidem post somnum et delirium statim depellitur. Si quis autem perpetuo delirans supponatur, nihil iterum inde sequetur : nam homo perpetuo delirans usum rationis non habet: non mirum ergo si ex testimonio sensuum certo judicare nequeat. Regulas inquirendæ veritatis non statuimus pro delirantibus, sed pro ratione utentibus. Ergo, etc.

SCHOLIUM PRIMUM.

Sensus a Deo nobis concessi non fuerunt ut de qualitatibus absolutis corporum, id est de qualitatibus corporum in se spectatorum judicaremus; sed ut respective ad corpora nos circumstantia prudenter ageremus. At proprietatibus relativis corporum judicandis idonei sunt sensus : nec optandum est ut sint perfectiores. Si enim multo perspicaciores haberemus oculos, corpus nostrum velut formidandum monstrum nobis videretur, alimenta quibus utimur viderentur pilis hirsuta, vermibus scaturientia, et horrorem in nobis excitarent; si auditus esset multo subtilior, jucundi cantus et modulationes musicæ, tam suaviter nos delectantes, nobis apparerent velut magni tonitruum fragores; si sensibilior esset tactus, quidquid nunc magis expolitum judicamus, experiremur asperum, rude, aculeis plenum, nec vestibus nos indui pateremur, nec in lecto jacere possemus, etc. Sapientissime ergo constituti sunt sensus nostri.

SCHOLIUM SECUNDUM.

Quatuor conditiones olim requirebant Peripatetici et adhuc requirunt philosophi, ut testimonium sensuum sit motivum infallibile judicandi, nempe, 1° ut cognitionibus aliunde acquisitis non adversetur; vis enim testimonii sensuum supponit propensionem qua ferimur ad judicandum esse invincibilem : atqui talis non est propensio nostra quando relatio sensuum cognitionibus aliunde acquisitis adversatur : hinc credere non debemus visui nobis testanti solem esse sicut discum, stellas sicut faculas, cœlum sicut magnam cameram, etc. 2° Requiritur ut relatio sensuum sit constans et semper eadem; unde sensationes quas inter somniandum experimur, nullius sunt auctoritatis. Item judicare non debemus turrim eminus visam esse rotundam, baculum aquis media parte immersum esse fractum, etc. 3° Ut sit uniformis, et unus sensus alteri non contradicat : defectu hujus conditionis sæpe fallerentur homines, si ex solo visu vel ex solo olfactu cibos et

potus judicarent. 4° Requiritur ut organa sint sana et organis aliorum hominum conformia; hinc febricitans dulcia judicat amara, ictericus omnia videt flava. Cavendum est igitur ne aliqua ex his conditionibus desit, ut error sensuum devitetur.

COROLLARIUM PRIMUM.

Relatio sensuum, servatis conditionibus requisitis, est motivum infallibile judicandi de existentia corporum in specie; ideo enim est motivum infallibile judicandi de existentia corporum in genere, quia universali, constanti et invincibili propensione ad hoc judicium ferimur : at simili propensione ferimur ad judicandum existere corpora in specie, v. g., corpus nostrum, corpus eorum quibuscum vivimus et colloquimur, etc., et ad ea a se invicem distinguenda, v. g., homines a jumentis, domos a montibus, lapides ab arboribus, terram ab aquis, etc. Sic enim omnes judicare solent : ergo, servatis conditionibus supra memoratis, relatio sensuum est motivum infallibile judicandi de existentia corporum in specie et de relativis eorum qualitatibus.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Inferendum est, ex dictis, relationem sensuum esse motivum infallibile judicandi de eventibus quorum testes oculati sumus. Si enim ex relatione sensuum de existentia et qualitatibus relativis corporum certo judicare possimus, pari ratione infallibiliter judicare possumus de factis et eventibus quorum testes sumus, v. g., de concursu populi quem videmus, de sermone publico quem audimus, de pluvia quam super nos cadentem sentimus, etc.; nam ipsamet propensio, qua ferimur ad judicandum existere corpora, nos etiam impellit ad judicandum de hujusmodi eventibus. Omnes ita secure pronuntiare solent, et quisquis de his factis dubitaret, ut insanus haberetur. Ergo, etc.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CONSENSIONE HOMINUM IN MORALIBUS.

Nomine *moralium* intelligi debent omnes doctrinæ quæ moralem agendi rationem hominum spectant.

Per consensionem hominum non intelligimus unanimitatem, seu universalitatem metaphysicam, sed eam universalitatem quæ vulgo dicitur *moralis*, et complectitur adhæsionem majoris et sanioris partis hominum.

Hujusmodi consensio non est præcise sensus communis, sed ab illo procedit in his quæ per se nota sunt : nam, inquit *Fénelon* (t. I, p. 183) : « *Qu'est-ce que le sens commun ? n'est-ce pas les premières notions que tous les hommes ont également des mêmes choses ? Ce sens commun, qui est toujours et partout le même, qui prévient tout examen, qui rend l'examen même de certaines questions ridicule, qui fait que malgré soi on rit au lieu d'examiner, qui réduit l'homme à ne pouvoir douter, quelque effort qu'il fît pour se mettre dans un vrai doute ; ce sens qui est celui de tout homme ; ce sens qui n'attend que d'être consulté, qui se montre au premier coup-d'œil, et qui découvre aussitôt l'évidence ou l'absurdité de la question, n'est-ce pas ce que j'appelle mes idées claires ?*

Unde sensus communis certitudinem non producit præcise et formaliter quia est apud omnes, sed quia coalescit ex veritatibus quarum evidentia omnibus affulget. Quoniam ideæ claræ unumquemque ex seipsis certum facientes, apud omnes inveniuntur et naturam rationalem intime constituunt, sensus ille dicitur *communis*.

Aliquando sensus communis et consensio hominum eodem sensu accipiuntur; v. g., aliquis veritatem non percipit, sed videt alios unanimiter asserentes se illam percipere ; ex eorum auctoritate eam admittit, quia ex identitate naturæ et ex propria experientia in aliis circumstantiis acquisita, judicat talem apud eos consensionem vera perceptione inniti. Non tamen inde sequitur omnem hominum consensionem in natura esse fundatam : nam fieri potest

ut ex cupiditatibus vel ex præjudiciis ortum habeat. Quædam igitur necessariæ sunt conditiones ut ex natura procedere judicetur, videlicet 1° ut sit constans, quia natura est immutabilis: si ergo consensus hominum circa aliquam propositionem varius fuisset, nihil ex illo concludi posset; 2° ut sit uniformis, quia si idem non esset objectum in omnium mentibus, dici non posset adesse consensum; 3° ut rationi non adversetur, quia si ratio aliquid in eo reprehenderet, ut in sententia de pluralitate deorum, signum esset talem consensionem ex cupiditatibus aut præjudiciis ortum ducere, non vero ex natura; 4° ut objectum hujus consensionis non sit hominibus indifferens, nullius momenti in morali ordine, nec tale ut consensio præjudiciis tribui possit. His positis, sit

PROPOSITIO.

Moralis hominum consensio, prout eam exposuimus, est motivum infallibile judicandi in doctrinis moralibus.

Prob. 1° Vel prædicta hominum consensio est motivum infallibile judicandi, vel aliquis privatus proprium judicium huic consensioni, dictis conditionibus vestitæ, anteferre potest: atqui id admitti non potest, alioquin totus ordo moralis subverteretur, ut patet.

2° Qui opinionem sensui communi oppositam propugnaret, invictis argumentis eam demonstrare deberet: atqui talia argumenta invenire non posset. Unde enim ea deduceret? non ex ratione, quæ certe constanti et uniformi hominum consensui supra exposito adversari non potest, alioquin ipsa natura intellectualis rueret; non ex ordine morali: in moralibus enim præcipua vis probandi ex natura hominum, proindeque ex ipsorum consensione eruitur. Ergo, etc.

3° Repugnat omnes moraliter homines omnium ætatum, sæculorum et regionum simul conspirare ad fucum faciendum; repugnat pariter eos simul percipere ut evidenter veram doctrinam sibi propositam, præsertim ad mores necessariam, quæ reipsa falsa est: tunc enim humana ratio

destrueretur : ergo talis consensio ab ipsa natura humana oritur. In sola quippe natura homines ita sibi consentiunt, ait Cicero (Tuscul., l. 1, n. 30, edit. an. 1634, in-4°) : *Omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est ;* et sola judicia naturæ semper firma sunt : *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat* (de Natura Deorum, lib. 2, n. 5). Quod autem ipsa natura fundatur, admittendum est ut verum, aut de omnibus dubitandum est. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Major et sanior pars hominum diu plurima admisit puncta in moralibus gravissima, quæ tamen falsa erant; v. g., probationes ferri candentis, aquæ ferventis, singularis certaminis. Ergo, etc.

R. 1°. *Nego maj.* Multi namque et præsertim clerici, qui in his ignorantiæ sæculis sanior pars erant societatis, reclamaverunt adversus hujusmodi probationes, et Ecclesia eas damnavit.

R. 2°. *Nego conseq.* In his enim casibus non aderant conditiones requisitæ; tales quippe probationes non erant universales, non fuerunt constantes, ut patet. Ergo, etc.

Inst. Per multa sæcula omnes homines plures admiserunt deos. Ergo, etc.

R. 1°. *Nego ant.* Nam 1° multi semper exstiterunt qui verum Deum agnoscebant, nempe tota gens Hebræa, et alii inter gentes dispersi, ut patet exemplo Job et amicorum ejus; 2° communiter idololatræ, saltem doctiores, plures admittentes deos, unum supremum aliorum dominum agnoscebant, ut dicemus in Metaphysica, ubi de unitate Dei.

R. 2°. *Nego conseq.* Nam 1° ille consensus hominum non erat uniformis, siquidem varii admittebantur dii pro variis regionibus, imperiis et regnis; in sola admittenda divinitate sibi concordes erant populi ; in hoc autem non errabant. 2° Non negamus tamen eos communiter sibi consensisse in admittenda pluralitate deorum : verum ille consensus non fuit constans, ut experientia constat, et aliunde rectæ rationi adversabatur, ut adversarii nostri

fateri coguntur : nullus quippe onus in se suscipere vellet polytheismum defendendi vel etiam ostendendi illum rationi non esse oppositum. Ergo, etc.

Obj. 2°. Omnes homines universaliter, constanter et uniformiter crediderunt solem circa terram moveri : ergo consentio hominum, prout eam exposuimus, non est motivum, etc.

R. Nego conseq. Nam 1° illud quod falso ferebatur judicium non fuit uniforme, neque constans; 2° objectum hujus consensionis inter homines erat sat indifferens, in ordine morali nullius momenti, et ipsa consensio præjudiciis tribui potest, cum sol et stellæ apparcant omnibus circa terram moveri. Realitas motus terræ circa solem non erat objectum captui multitudinis proportionatum. Ergo hæc objectio non attingit thesim qualem statuimus.

Obj. 3°. In sæculis ignorantiæ nonnulli impostores quasdam opiniones falsas tradere potuerunt ut veras; omnes forsitan eas bona fide acceperunt et huc usque servaverunt.

R. Nego ant. Vel enim opiniones quæ sic traditæ et conservatæ supponuntur, in natura fundatæ sunt, vel non : si prius, ergo veræ sunt, et nullum est periculum in illis credendis; si nullo modo in natura sint fundatæ, impossibile est omnes eas veluti veras unanimiter admisisse et huc usque constanter credidisse. Ergo, etc.

Inconcussa igitur manet propositio nostra, scilicet, constantem et uniformem hominum consensionem in aliqua doctrina morali habendam esse ut tutam veritatis regulam : nullus itaque privatam opinionem contra hanc consensionem tuto defendere potest.

ARTICULUS QUINTUS.

DE TESTIMONIO HOMINUM.

Nomine *testimonium hominum* intelligitur eorum consensio in referendis factis.

De factis in conspectu nostro peractis sola relatione sensuum infallibiliter aliquando judicare possumus, ut osten-

dimus. At multa sunt alia facta quæ certo nobis constare non possunt, nisi testimonio hominum, nempe ea quorum non fuimus testes, sive nobis sint coæva, sive præterita. Sæpe ergo necesse est ut hominibus fidem adhibeamus : attamen testimonium eorum ex natura sua non est infallibile : nam *Omnis homo mendax*[1] et decipi aut alios decipere potest. Ilinc duo fugienda sunt extrema, videlicet, nimia credulitas quæ omnia sine discretione admitteret, et pertinax incredulitas quæ nihil ut certum agnoscere vellet. Statuendæ sunt igitur regulæ quibus prudenter judicari possit quandonam fides adhibenda sit testimonio hominum.

Præsentem hunc articulum in tres dividemus paragraphos : in primo nonnullas præmittemus notiones ad elucidandam quæstionem necessarias ; in secundo pyrrhonismum historicum profligabimus ; in tertio quænam sit auctoritas testimonii humani in referendis factis investigabimus.

§ I. — Nonnullæ præmittuntur notiones necessariæ.

Inter eas notiones quæ velut necessariæ præmittendæ sunt, aliæ spectant facta, aliæ testes, aliæ ipsummet testimonium ut sit motivum infallibile judicandi.

I. Facta ab hominibus relata diversæ sunt qualitatis. 1° Alia sunt *coæva*, id est, ætate eorum a quibus narrantur peracta ; et alia *præterita*, quæ scilicet ætatem eorum a quibus referuntur præcesserunt. 2° Alia dicuntur *privata*, quia paucos habuerunt testes ; et alia *publica*, quia coram multitudine fuerunt patrata, aut saltem multos habuerunt testes. 3° Alia sunt *gravissimi momenti*, quæ videlicet aliquid eximii præ se ferunt, et attentionem hominum naturaliter excitant ; et alia *levis momenti*, quæ nihil magni ponderis habent, nec proinde idonea sunt ut attentionem hominum promoveant. 4° Alia præjudiciis favent, et alia eis adversantur : *præjudiciis favent*, cum moribus hominum et pristinis opinionibus consentanea sunt : *præjudiciis* vero *adversantur*, quando receptis opinionibus, cupi-

[1] Psal. cxv, 11.

ditatibus et commodis hominum contraria sunt. 5° Alia sunt *clara et perspicua*, quæ ab omnibus facile intelliguntur, ut magnum inter duos exercitus prælium, obsessio urbis, etc., et alia sunt *obscura*, quæ videlicet tam facile non perspiciuntur, v. g., artificiosa quædam mirabilia. 6° Denique alia sunt *naturalia*, quæ solitis naturæ legibus consentiunt; et alia *supernaturalia*, quæ easdem leges superant.

II. Testes sunt 1° vel oculati vel historici : sunt *oculati* quando propriis oculis conspexerunt facta quæ referunt: dicuntur vero *historici* cum ab aliis didicerunt factum quod testantur.

2° Testes historici sunt coævi vel posteriores factis quæ referunt : sunt *coævi*, quando ea vixerunt ætate qua exstiterunt facta; et *posteriores*, si referant facta ante ætatem suam jam peracta.

III. Ut testimonium hominum sit motivum infallibile judicandi de factorum existentia, plures requiruntur conditiones, scilicet 1° ut factum sit possibile, hoc patet; 2° ut sit gravis momenti, alioquin timendum foret ne testes leviter illud admisissent; 3° ut plurimi sint testes qui nec decipi potuerint, nec decipere voluerint, nec decipere potuissent etiamsi voluissent; 4° ut clare loquantur et bene intelligantur. Defectu hujus conditionis non raro contingit quosdam testes decipere etiam nolentes, vel quia male exprimunt quod exprimere volunt, vel quia ab audientibus male intelliguntur. Judices præsertim summa attentione interrogare debent testes rusticos, barbaris locutionibus sæpe utentes; alioquin in gravissimos errores frequenter inciderent.

§ II. — De pyrrhonismo historico.

In eo consistit pyrrhonismus historicus quod nulla adhibeatur fides testimoniis hominum, ita ut facta historica in quoddam dubium universale revocari debeant. Quamvis insanam hanc opinionem in tota generalitate sua omnino tenere non videatur *Bayle*, illi tamen variis in locis operum suorum multum favet.

PROPOSITIO.

Pyrrhonismus historicus omnino rejiciendus est.

Prob. Procul rejiciendum est dubium quod 1° naturæ et indoli hominum repugnat, 2° rationi adversatur, 3° religionem, societatem et jura privata subvertit : atqui dubium generale de factis historicis his omnibus vitiis laborat.

1° *Naturæ et indoli hominum repugnat.* Dubio enim illo semel admisso, nullum factum cujus testes oculati non fuissemus, haberi posset ut certum : atqui tale dubium naturæ et indoli hominum non minus repugnat quam dubium generale Scepticorum. Quis enim serio in dubium revocare poterit Henricum IV olim exstitisse, et lagenda occisione mortuum esse? quis alicui persuadere posset incertum esse Ludovicum XVI capite fuisse truncatum, diversa gubernia sibi successisse in Gallia, Lutetiam, Londinum, Romam, aliasque famosissimas urbes existere? Ergo, etc.

2° *Adversatur rationi.* Apud omnes enim constat 1° plurimos testes oculatos circa factum sensibus obvium decipi non posse; 2° innumeros homines tempore, loco, moribus, studiis a se invicem sejunctos ad fraudem sibi inutilem simul conspirare nequire; 3° repugnare ingentem hominum multitudinem a falsis testibus circa factum publicum et maximi momenti deceptam fuisse : atqui tamen hæc omnia supponit pyrrhonismus historicus. Ergo 2°, etc.

3° *Religionem, societatem et jura privata subverteret.* 1° Quidem religionem; nam tota religio factis, tum naturalibus, tum supernaturalibus, nititur, in libris continetur, etc.; 2° societatem; nulla quippe est societas absque majestate principum, auctoritate legum et jurisdictione magistratuum; porro ex solo testimonio hominum hæc noscuntur; 3° jura privata; quæcumque enim jura proprietatum, honorum et dignitatum, ex humano testimonio tantum cognosci queunt. Ergo 3°, etc.

Nihil solidum contra tot et tam lucidas rationes objici potest, ut ex infra dicendis magis patebit.

§ III. — De auctoritate testimonii hominum in factis historicis.

Hunc paragraphum in duplicem sectionem dividemus: prima erit de factis naturalibus, et secunda de factis supernaturalibus.

SECTIO PRIMA.

De auctoritate testimonii hominum in factis naturalibus.

Cum facta naturalia possint esse coæva vel præterita, duplex hic tractanda occurrit quæstio, videlicet, an testimonium hominum sit motivum infallibile judicandi, 1° de veritate factorum coævorum, et 2° de veritate factorum præteritorum. Duplici huic quæstioni per sequentes propositiones satisfaciemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Testimonium hominum est motivum infallibile judicandi de veritate factorum coævorum.

Prob. Infallibiliter judicamus aliquod factum esse verum quando constat testes illud referentes non fuisse deceptos, decipere noluisse, et decipere non potuisse etiamsi voluissent: atqui multa sunt facta quorum testes certo decepti non fuerunt, decipere noluerunt et decipere non potuissent etiamsi voluissent.

1° *Quorum testes decepti non fuerunt;* sæpe enim referuntur facta publica, sensibilia, cunctis obvia, coram numeroso testium concursu patrata, v. g., prælia, victoriæ, urbium exstructiones vel destructiones, etc.; atqui supponi non potest tot testes diversos eodem modo circa hujusmodi facta fuisse deceptos; ad hoc enim requireretur ut omnes simul facultatibus et sensibus suis eodem modo fuissent orbati: porro talis suppositio evidenter est contra moralem et physicam hominis naturam: ergo, etc. Ergo 1°, etc.

2° Multa sunt facta *quorum testes decipere nolunt;* impossibile est enim multos homines loco, legibus, studiis, moribus, præjudiciis, cupiditatibus, etc., a se disjunctos, simul consentire, absque ulla spe utilitatis propriæ, in

fraudem faciendam : atqui innumera sunt facta in quibus referendis multi sibi consentiunt testes, loco, legibus, studiis, etc., a se disjuncti, qui nulla spe utilitatis propriæ fuerunt excitati; referunt enim facta sibi inutilia, et sæpe probrosa, odiosa et nociva. Ergo 2°, etc.

3° Plurima sunt facta *quorum testes decipere non possent etiamsi vellent;* nam sæpe agitur de factis publicis et gravis momenti : atqui plurimi testes circa hujusmodi facta decipere non possent etiamsi vellent; nam hujusmodi facta admittere non solent homines, saltem multi, nisi prius ea sedulo expenderint : ex diversis motivis ea examini subjiciunt : porro si fraus existeret, facile detegi posset, cum hæc facta supponantur publica. Ergo 3°, etc.

Ad confirmationem hujus propositionis sint in exemplum quædam facta nobis coæva, v. g., horrenda Ludovici XVI condemnatio, regimen Conventus nationalis, Directorii, Consulum, Imperii, exsilium familiæ regiæ; celebres Gallorum victoriæ in Ægypto, in Italia, in Germania, in Prussia, etc.; memorabiles eorumdem clades in Hispania, in Russia et in ipsamet Gallia; inopinata antiquæ monarchiæ restitutio, nova et non minus inopinata ejus eversio anno 1830, etc. : atqui hæc facta, aliaque similia et innumera, certissima sunt ; non solum enim in Gallia, sed etiam in tota Europa pari modo referuntur, quotidie in dictis et scriptis supponuntur vera, in memoriam revocantur, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Testimonium duntaxat probabile non parit certitudinem; atqui testimonium hominum est duntaxat probabile: ergo, etc.

R. Nego min. Nam illud testimonium non est duntaxat probabile, quod cum veritate certo conjungitur : atqui testimonium hominum multis in circumstantiis cum veritate certo conjungitur, ut ex probatione constat. Ergo, etc.

Inst. 1°. Testimonium uniuscujusque hominis est duntaxat probabile : ergo et testimonium plurimorum hominum.

R. 1°. *Nego ant.* Nam fieri potest ut testimonium unius hominis talibus vestiatur circumstantiis ut omnis possibilitas dubitandi excludatur.

R. 2°. *Nego conseq. et paritatem.* Vis enim probandi in testimonio hominum deducitur ex numero testium, ex eorum cupiditatum conflictu, morum diversitate, commodorum et incommodorum oppositione, et ex similibus aliis circumstantiis : atqui hæc omnia in testimonio plurimorum hominum sæpe inveniuntur, nunquam vero in testimonio unius duntaxat hominis. Ergo nulla est paritas.

Inst. 2°. Illud est duntaxat probabile, quod mera est probabilitatum congeries : atqui testimonium plurimorum mera est, etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Nam testimonium plurimorum hominum, relative ad probationem, non est quid divisibile, sed est totum morale, siquidem vis illius, ut observavimus, ex numero testium, ex cupiditatum conflictu, etc. deducitur : collective igitur semper considerandi sunt testes : ergo testimonium eorum non est mera, etc.

Unde sequitur non nisi ex abusu, a pluribus, inter quos celebris *Laplace*, *theoriam probabilitatum* contra thesim nostram fuisse introductam : in ea quippe *theoria* unaquæque probabilitas spectatur ut quid individuum et independens : vis autem testimoniorum hominum desumitur, ut diximus, ex eorum collatione, tanquam ex toto morali et indivisibili ; in hoc præcise est vitium systematis. Cæterum, ipse *Laplace*, feliciter ad Deum reversus, malam theoriæ suæ applicationem de facto retractavit.

Inst. 3°. Testimonium plurimorum hominum est congeries testimoniorum privatorum : atqui testimonium privatorum est duntaxat probabile, ex concessis : ergo testimonium plurimorum est duntaxat probabilitatum congeries.

R. Nego maj. Nam ubi plurimi testes, tempore, loco, studiis, præjudiciis a se dissidentes, idem factum, præsertim publicum et gravis momenti, eodem modo referunt, prudenter judicatur eos non fuisse deceptos nec decipere velle ; eo magis fide digni sunt quo major est

cupiditatum eorum conflictus. Hæc in testimonio privatorum non inveniuntur ; plurimorum igitur testimonium considerari debet ut totum indivisibile quoad certitudinem quam parit : ergo dici non potest illud esse meram testimoniorum privatorum congeriem.

Inst. 4°. Quod uni individuo convenit, toti individuorum collectioni convenire debet : atqui probabilitas convenit testimonio unius hominis, ergo et testimonio plurimorum.

R. Dist. maj. Quod uni individuo convenit, in iis quæ natura fundantur, omnibus *distributive* sumptis convenit, *conc. ;* in iis quæ a sola collectione pendent, *nego maj.* Itaque ubi agitur de iis quæ natura fundantur, quod uni convenit, omnibus convenire debet ; sic quia homo essentialiter est rationabilis, rationabilitas cunctis hominibus convenit : at ubi agitur de iis quæ a collectione pendent, quæ uni conveniunt non idcirco conveniunt omnibus ; v. g., convenit uni militi seorsim sumpto urbem obsidere non posse, inde vero concludere non licet multos milites id non valere. Illud autem magis adhuc verum est in moralibus, ut attendenti patebit. Ergo, etc.

Inst. 5°. Nullo modo determinari potest quot requirantur testimonia ut cesset probabilitas et habeatur certitudo : ergo testimonium plurimorum hominum semper remanet mera probabilitatum congeries.

R. Nego conseq. Habetur enim certitudo ubi de veritate facti omnibus ratione utentibus impossibile est dubitare : atqui multa sunt facta de quibus nulla ratione dubitare possumus, quamvis determinare non valeamus quot necessaria sint privatorum testimonia ut habeatur certitudo ; v. g., evidenter constat Romam existere, Hispaniam gravissimas nuper subiisse in rebus publicis mutationes, in America plura recenter constituta esse gubernia, licet ignoremus qualis necessarius sit numerus testium ad producendam hanc certitudinem. Ergo, etc.

Hinc patet meras opponi subtilitates solidissimæ fidei quam vel inviti omnes adhibemus multis factis coævis quorum testes oculati non fuimus.

SCHOLIUM PRIMUM.

Sæpe substantia alicujus facti et præcipuæ ejus circumstantiæ ex testimonio hominum constant, non autem aliæ circumstantiæ minus essentiales, nec quædam alia facta particularia ad factum principale pertinentia, quia vel testes non ita sibi consentiunt, vel facilius decipi potuerunt, vel merito timetur ne decipere voluerint : v. g., quando victoriæ alicujus potentissimi regis vel imperatoris ex ipsius jussu publice annuntiantur, certe de illarum substantia non est dubitandi locus ; at in earum descriptione multa sæpe sunt a veritate aliena, dubia aut suspecta, multa consulto omissa aut exaggeranter amplificata. Prudentis ergo viri est testimonium hominum ponderare, certa ab incertis sedulo discernere, et cavere tum a faciliori credulitate, tum a nimia incredulitate.

SCHOLIUM SECUNDUM.

Quamvis testimonium unius hominis seorsim sumpti ex natura sua sit fallibile, et ordinarie plurimi requirantur testes moribus, studiis, cupiditatibus, etc., a se disjuncti ut perfecta obtineatur certitudo, sæpe tamen testimonium unius testis oculati, cujus sagacitatem et probitatem novimus, gravissimæ est auctoritatis respectu nostri, et moralem parit certitudinem ad commercium civile sufficientem ; sola enim hac certitudine innixi fere semper in tota vita nostra agimus. Ad obtinendam autem perfectam certitudinem non semper multi requiruntur testes ; nam, juxta axioma ratione fundatum et in utroque jure receptum, non tam numeranda quam ponderanda sunt testimonia. Non tantummodo itaque de factis publicis et gravis momenti infallibiliter judicamus ex testimonio hominum, sed etiam de innumeris factis privatis et levis momenti, quia ex variis adjunctis similiter percipimus testes non fuisse deceptos et decipere nolle.

PROPOSITIO SECUNDA.

Testimonium hominum aliquando est motivum infallibile judicandi de factis præteritis.

Prob. Testimonium hominum est motivum infallibile judicandi de factis præteritis, si plurimæ sint viæ quibus eorum veritas usque ad nos certo pervenire queat : atqui plurimæ sunt viæ quibus veritas factorum præteritorum usque ad nos certe pervenire potest, scilicet traditio, historia et monumenta.

I° *Traditio.* Aliquando enim contingit ut factum publicum et gravissimi momenti per multas testimoniorum series, non in uno loco, sed ubique receptas et saltem quoad facti substantiam perfecte sibi consentaneas, transmittatur : atqui in illo casu factum istud sola ope traditionis certe transmittitur. Certe enim transmittitur si nullum sit tempus quo fingi potuerit : atqui nullum est tempus quo factum istud fingi potuerit ; fingi enim debuisset in prima generatione, vel in aliqua e sequentibus generationibus : atqui neutrum dici potest : non in prima generatione, nam multi tunc existebant homines qui hujusmodi facti testes esse debuissent, qui proinde contra illud reclamassent : non pariter in una e sequentibus generationibus; undique enim conclamarent homines, juvenes et senes, se nihil tale a patribus audiisse, fidem narrationi denegarent, et efficaciter impedirent ne fraus serperet. Si quis, v. g., serio narrare auderet ingentem Gallorum exercitum Angliam abhinc triginta, sexaginta, centum aut tercentum annis invasisse et insignes victorias in hac insula reportasse, certe hæc fabula fidem publicam obtinere non posset; contra vero etiamsi nullæ existerent historiæ, nulla monumenta, quis nobis persuadere posset Henricum Magnum non exstitisse, regnum suum vi armata non acquisiisse, e secta calviniana in religionem catholicam non transiisse, Anglos sub Henrico VIII a communione romana non recessisse, Imperium romanum non viguisse, Alexandrum non regnasse, etc.? Ergo, etc.

Hinc procul rejiciendum est systema eorum qui dicunt eo plus minui vim traditionis quo magis illa ab origine distat, aut negant eam aliam afferre factis probabilitatem præter eam quæ ipsis est intrinseca. Nemo non videt quam hæc sententia de omnibus factis omnibusque traditionibus generaliter pronuntiata, sit falsa, et quam perniciosæ ex illa oriri debeant consequentiæ. De eo systemate agemus adhuc infra.

Vis ergo traditionis e duplici argumento desumitur, scilicet, primo ex impossibilitate morali quod tot homines diversi indole, patria, scientia, commodis, in narrando facto gravi et publico consentanei, simul omnes decipi potuerint vel decipere voluerint.

Secundo, ex *præscriptione* quæ in moralibus etiam admitti debet, eo sensu quod actualis existentia traditionis vel praxis universalis, cujus ratio dari nequit quin factum ipsum admittatur, a nemine rationabiliter rejici potest. Si enim probatur hanc persuasionem ab errore oriri non posse, quæ sive subito quacumque ætate, sive paulatim et quasi in occulto irrepsisset, merito concluditur præfatum eventum vel factum admittendum esse.

Hoc est *argumentum præscriptionis*, de quo fusius dicemus in Institutionibus theologicis, ubi frequentioris et summæ utilitatis erit.

Notandum est tamen traditionem oralem seorsim sumptam non esse motivum infallibile judicandi, præsertim de factis remotis, nisi sit clara et uniformis; plurimæ sunt enim traditiones vagæ et obscuræ, vel quæ variæ sunt pro diversis provinciis aut familiis; nulla fides tuto adhiberi potest rumoribus istis. Unde sola factorum substantia ex traditione orali seorsim sumpta ordinarie constat, quia in sola substantia sibi concordare solent homines.

II° *Historia*. Omnes enim fatentur historiam fide dignam esse, quando constat illam esse authenticam, veram et integram : atqui constare potest historiam esse, etc.

1° Constare potest historiam esse *authenticam;* illa enim historia est authentica quæ ejus est auctoris cui tribuitur, et eo tempore ad quod refertur fuit scripta : atqui

constare potest historiam ejus esse auctoris, etc.; historia enim illius est auctoris cui tribuitur et temporis ad quod refertur, quando impossibile fuisset illam supponere : atqui multi sunt libri historici qui certe supponi non potuissent. Multi enim eventus publicos et gravissimi momenti describunt tanquam recentes et omnibus notos, referunt facta totam gentem aliasque gentes vicinas spectantia, continent leges divinas ac humanas, solemnitates adhuc existentes, earumque institutionem. Constanti et uniformi traditione perpetuo habiti sunt ut talis auctoris et talis temporis; diversis temporibus et in diversis regionibus ab aliis auctoribus eodem modo citantur. At impossibile est tales libros suppositos fuisse, propter rationes in prima parte expositas. Ergo 1°, etc.

2° Constare potest historiam esse *veram* : hæc enim historia est vera, cujus scriptor non fuit deceptus, decipere noluit et decipere non potuisset etiamsi voluisset : atqui hæc tria certo constare possunt.

1° Constare potest scriptorem non fuisse deceptum : scriptor enim decipi non potest circa facta publica et gravissimi momenti quorum ipse fuit testis oculatus aut saltem coævus, nec circa facta quæ rationibus fide dignissimis nituntur, scilicet traditione constanti, relationibus non suspectis et monumentis inconcussis. Ex ipsa autem lectione alicujus libri facile intelligitur an facta quæ referuntur sint hujus generis. Ergo 1°, etc.

2° Constare potest scriptorem decipere noluisse; merito enim judicatur scriptorem decipere noluisse, quando minutissimas factorum circumstantias narrat, varias epochas assignat, nomina locorum et personarum exprimit, ad monumenta, quæ adhuc existere supponit, lectores remittit, cum aliis scriptoribus sibi aliunde adversis consentit, aliosque ingenuitatis et sinceritatis characteres exhibet. Impostor enim tot non suppeditaret media fraudis suæ detegendæ. Porro nihil facilius est quam cognoscere an historia has habeat dotes. Ergo 2°, etc.

3° Constare potest scriptorem decipere non potuisse etiamsi voluisset; nam historici sæpe narrant facta tan-

quam recentia, publica et gravissimi momenti, quæ dicuntur multos habuisse testes adhuc exstantes, et gentem integram aut plures diversas gentes simul respiciunt : at impossibile est scriptores historicos decipere posse circa hujusmodi facta. Si quis, v. g., accurate describeret et serio narraret quædam facta publica et gravissimi momenti, de quibus nihil audiissemus, numquid permitteremus ea ad posteros sine contradictione transmitti? minime sane. Ergo 3°, etc. ; aliunde, etc. ; ergo, etc.

4° Constare potest historiam esse *integram;* illa enim historia est integra, quæ nullam subiit mutationem quoad factorum substantiam : at constare potest historiam nullam subiisse, etc. ; merito enim judicatur nullam hujusmodi mutationem subiisse, quando eadem facta, quoad substantiam, reperiuntur in cunctis exemplaribus, sive manuscriptis, sive impressis, licet nonnullæ sint variantiæ in circumstantiis minus essentialibus, in punctis, verbis, etc. Atqui facile cognosci potest an eadem facta cunctis in exemplaribus legantur : ergo, etc. Præterea, si liber valde sit notus, si exemplaria ejus multipliciter sint repetita et ubicumque sparsa, impossibilis fuit adulteratio. Porro multi sunt libri historici qui semper fuerunt valde noti et multiplicati. Ergo 3°, etc. ; aliunde, etc. ; ergo, etc.

III° *Monumenta.* Veritas enim factorum præteritorum ex monumentis in memoriam eorum erectis infallibiliter obtineri potest, si cum illis necessario sit conjuncta : atqui veritas factorum præteritorum necessario conjuncta est cum monumentis in eorum memoriam erectis ; nam impossibile est monumenta fuisse erecta in memoriam factorum omnino inauditorum, qualia tamen essent facta fictitia ; quis auderet, v. g., statuam erigere in honorem alicujus celeberrimi ducis qui huc usque penitus fuisset ignotus? Si illam erigeret, nonne in publicum ludibrium deveniret? Quis, e contra, in dubium revocare vellet factum publicum insigni monumento ad nos transmissum? Quis in posterum mirabilem columnam in platea Vendociensi, Parisiis, erectam considerans, dubitare poterit an

realiter exstiterint victoriæ in ea descriptæ? Ergo, etc.; aliunde, etc.; insuper, etc.; ergo, etc.

Si autem unaquæque via superius exposita, seorsim sumpta, plene aliquando sufficiat ut veritas factorum antiquissimorum constet, quanto magis patebit, ubi omnes viæ supradictæ simul concurrent? At frequenter omnes illæ viæ ad testanda facta præterita et etiam antiquissima simul concurrunt. Ergo vera est propositio nostra, scilicet, testimonium hominum aliquando esse motivum infallibile judicandi de factis præteritis, et non nisi vanæ esse possunt difficultates quæ adversus propositionem adeo lucidam congeruntur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Illa certitudo non est perfecta quæ lapsu temporum minuitur : atqui certitudo factorum præteritorum lapsu, etc.; ergo, etc. Ita *Craig*, ex Scotia oriundus, qui imminutionem certitudinis factorum præteritorum mathematice computans, assignat tempus quo certitudo religionis christianæ desitura sit, videlicet versus annum 3153 æræ nostræ.

R. Nego min. Ostendimus enim plurima esse facta ingentia et splendida circa quæ nullus error serpere potest : certitudo igitur non decrescit.

Et vero, eadem est certitudo ubi est idem testimonium moraliter perseverans : at in traditione constanti et uniformi, de qua hic agitur, idem semper est testimonium moraliter perseverans ; nam generationes sine sensu sibi succedunt, et eamdem traditionem non interruptam constituunt, sicut aquæ jugiter decurrentes fluvium faciunt : ergo certitudo non minuitur. Imo potius augetur; nam critici facta sic transmissa sub quolibet respectu scrutantes, perlustrant : si quid falsum in eis esset, illud detegerent et non occultarent. Ergo, etc.

Non negamus tamen facta nunc certa fieri posse dubia vel omnino ignota, si nempe historiæ et monumenta quibus veritas eorum nobis constat perirent, sicut multi libri historici reipsa perierunt; sed inde non sequitur facta

etiam antiquissima ad nos viis supra memoratis transmissa in dubium revocari posse. Non expendimus autem an facta præterita semper futura sint certa, sed an revera evenerint ut hic et nunc narrantur.

Inst. 1°. Testis auritus minus certus est de facti existentia quam testis oculatus : ergo certitudo factorum præteritorum lapsu temporum minuitur.

R. Dist. ant. Testis auritus minus certus est, si factum ab uno aut altero tantum audierit, *transeat ;* si factum a multis testibus audierit, *nego ant.* Itaque si testis auritus factum ab uno aut altero tantum audierit, non diffiteor illum minus esse certum quam testem oculatum ; testis enim oculatus solam illusionem propriam formidare debet, dum testis auritus illusionem propriam et illusionem ac malam fidem illius a quo rem didicit timere potest ; ergo, etc. At si factum a multis audierit, tunc non minus certus est quam testis oculatus ; nam impossibile est, ut diximus, multos homines, loco, tempore, studiis, præjudiciis, opinionibus, etc., a se invicem disjunctos, simul conspirare ad fucum faciendum, absque ulla spe alicujus utilitatis propriæ. Unde non minus certus sum de præterita S. Ludovici existentia, quam si illum propriis oculis conspexissem. Ergo, etc.

Diximus *transeat antec.* in priori sensu ; quia contingere potest, et sæpe contingit, ut ex narratione unius aut alterius testis oculati non minorem habeamus certitudinem de existentia facti, quam si illud vidissemus, quando videlicet agitur de facto circa quod nulla existere potest illusio, et aliunde sanum judicium ac bonam fidem testis perfecte novimus.

Inst. 2°. Eo debilior est certitudo quo debilius afficimur : atqui simplex auditor debilius afficitur quam testis oculatus. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Eo debilior est certitudo quo debilius afficimur, id est, quo debiliorem habemus convictionem, *conc. ;* quo debilior est impressio in mente, *nego maj.* Itaque sedulo distinguenda est convictio mentis ab impressione quæ fit in anima ; certum est enim minorem fieri

impressionem in anima simplicis auditoris, quam in anima testis oculati, quia, evanescente objecto sensibili, sensus per illud excitati paulatim quiescunt. Sic multo minus afficimur legendo vel audiendo historiam prœliorum, quam si testes illis adstaremus et innumeros videremus homines circumquaque jacentes, mutilatos, mortuos et morientes. Convictio autem non sic debilitatur; rationes enim quæ pariunt certitudinem circa factum aliquod non ita evanescunt. Porro de factis præteritis, non ex commotione sensuum, sed ex convictione mentis judicandum est : ergo licet minus afficiatur auditor quam, etc., non ideo minor est certitudo.

Inst. 3°. Certitudo facti, ratione locorum et temporum a nobis dissiti, eodem modo se habet respectu mentis nostræ, ac visio objecti remoti respectu oculorum : atqui eo minor est visio, quo remotius est objectum : ergo a pari, etc.

R. Nego maj. et paritatem. Visio enim oculorum pendet a radiis luminis : atqui radii luminis imminuuntur pro ratione distantiæ objecti, ut experientia constat; necesse est enim ut radii luminis ad pupillam oculi perveniant : porro quo remotius est objectum, eo minor radiorum numerus ad pupillam oculi pervenit, quia radii ab objecto reflexi a se invicem *divergunt*. Verum certitudo factorum præteritorum non sic apprehenditur; pendet enim duntaxat a rationibus quæ convictionem mentis operantur : atqui hujusmodi rationes nullam habent similitudinem cum radiis luminis respectu oculorum nostrorum. Ergo, etc.

Obj. 2°. Plurima sunt facta a gravibus auctoribus scripta quæ tamen meræ sunt fabulæ, v. g. ortus et educatio Remi et Romuli, actio Accii Nævii cotem novacula secantis, quæ ab ipso Tito Livio serio narrantur : ergo, etc.

R. Dist. ant. Plurima sunt facta, etc., et ipsis desunt conditiones requisitæ, *conc.;* et adsunt conditiones requisitæ, *nego ant.* Ut enim veritas factorum præteritorum ex testimonio hominum constet, nonnullæ requiruntur conditiones; videlicet, facta debent esse sensibilia, publica, gravissimi momenti et a multis testibus de mutua conspiratione minime suspectis relata : porro facta quæ nobis objiciuntur

his conditionibus non gaudent, nulli enim proferuntur testes oculati qui viderint Remum et Romulum a lupa lactatos aut cotem ab Accio Nævio novacula secari; hæc facta non referuntur tanquam publica, nec aliunde gravis sunt momenti. Insuper ipse Titus Livius lectores admonet se aliquoties relaturum esse facta quorum veritas ex prisca tantum et communi credulitate constat; sic enim se habet in exordio Historiæ suæ, loquendo de patre Romuli, quem vulgus dicebat esse deum Martem : « *Sed hæc et his similia, utcumque animadversa aut æstimata erant, haud in magno equidem ponam discrimine.* »

Et vero, hæc et alia ejusmodi facta statim cognita sunt ut falsa, quando severiori critices examini subjecta sunt; si ergo alia essent falsa, falsitas eorum similiter deprehenderetur. Attamen multa sunt facta quæ sæpe stricto examini subjecta sunt, et in quibus nullum falsitatis indicium deprehendere potuerunt etiam severiores critici. Ergo, etc.

Eadem responsione solvi possunt objectiones quæ desumuntur ex fabulis paganorum etiam in publicis monumentis consignatis, ex falsis reliquiis aut miraculis sanctorum, ex aliis historiis apocryphis quæ apud diversas gentes et apud christianas etiam passim fuerunt publicatæ, etc. Si enim hæc facta diligenter inspiciantur, deprehenduntur privata, occulta, parvi momenti, testibus destituta, aliis factis authenticis dissentanea, rationi repugnantia, etc., aut aliquo saltem ex his defectibus notata : unde merito concluditur ea rejicienda esse; at inferri non potest alia facta conditionibus a nobis requisitis donata similiter rejici debere : ergo, etc.

Obj. 3°, cum patre *Hardouin*, eruditione et paradoxis famoso : Certum est genus humanum per longum temporis intervallum densissimis ignorantiæ tenebris fuisse involutum : atqui, durante illo temporis intervallo, sagaces quidam impostores cunctos fabricare potuerunt libros quos antiquitati tribuimus : ergo, etc.

R. Nego min. Nam 1° his tenebrarum sæculis, in quibus bonarum artium, litterarum et disciplinarum parieraut notiones, impossibile erat perfectissima genii humani opera

in lucem prodire, incredibile est quosdam scriptores obscuros, ab omni vitæ civilis commercio sejunctos, philosophiæ principia, historiæ, eloquentiæ et poeseos nativos colores tam perfecte servare potuisse; 2° si mirabilia hæc opera excogitassent, illa Homero, Virgilio, Horatio, Tacito aliisque personis fictitiis non tribuissent; id esset contra naturalem hominis indolem; 3° nunquam istiusmodi fraudem coætaneis, nec igitur posteris persuadere potuissent; 4° si veteres libri historici hoc tempore fabricati fuissent, historiæ diversarum gentium et ætatum simul excogitari debuissent, et tam perfecte coadunari, ut apprime sibi consentirent, naturamque imitarentur; 5° temporibus illis plurimi adhuc viri, per varias regiones dispersi, scientiis et artibus operam dabant; omnes igitur in fraudem simul ita conspirare debuissent, ut nullus reclamaret. Nemo non videt quam hæc omnia impossibilia sint et absurda. Ergo, etc.

Inst. Isidorus Mercator suos decepit coævos in octavo sæculo, falsas vulgando epistolas decretales sub nominibus primorum Pontificum Romanorum : ergo a pari impostores omnes historias quas tribuimus antiquitati, excogitare potuerunt.

R. Nego conseq. et paritatem. Plurimæ sunt rationes disparitatis : 1° enim Isidorus Mercator coævos suos decepit falsa veris inserens, v. g., quasdam epistolas supponendo et inter veras scribendo, epochas sæpe mutando, nonnullos textus adjiciendo, alios in extraneum sensum detorquendo; non vero decepit coævos cuncta falsa supponendo; nam in ipsius collectione multa reperiuntur decreta, tum conciliorum, tum summorum Pontificum, quæ ab omnibus habentur ut certa. Imo, si totam collectionem suam excogitasset, et doctrinam omnino novam ac inauditam tanquam publicam et ubique receptam docuisset, neque coævos neque posteros decepisset, quia fraus omnibus patuisset, ut demonstrat *Marchetti* (*Critique de l'histoire ecclésiastique de Fleury*, t. 1er, p. 25). Si autem veteres libri historici supposititi fuissent in sæculis ignorantiæ, multo magis fraus patuisset. 2° Epistolæ decretales ex natura sua non erant publicæ; diu manere

potuerunt occultæ ; paulatim in majorem notitiam devenerunt, sicque homines regulas sanæ critices ignorantes variis erroribus sine sensu imbuere : contra vero, in insana P. *Hardouin* hypothesi, non tantum facta parvi momenti et quasi occulta, sed publica, gravissimi momenti, a se invicem et a multis aliis dependentia, diversas gentes spectantia, etc., supponerentur. 3° Constans et uniformis non reperitur traditio a tempore Isidori usque ad pontifices quibus dictas adscribit epistolas : attamen hæc conditio est essentialis ut certissime constet facta supponi non potuisse. 4° A pluribus jam sæculis fraus Isidori fuit detecta, et quæ falsa sunt a veris in compilatione ejus tuto secernuntur : si ergo veteres historiæ suppositæ fuissent, aliquos suppositionis hujus characteres detegere aut suspicari debuissent critici ; atqui nihil tale deprehendere potuerunt in multis historiis antiquis. Nedum igitur objectio ex facto Isidori deprompta nobis noceat, thesim nostram potius obfirmat.

SCHOLIUM.

Quamvis in propositione nostra hoc solum susceperimus probandum, scilicet, testimonium hominum aliquando esse motivum infallibile de factis præteritis, publicis et gravissimi momenti judicandi, non tamen inde concludendum est cuncta alia facta minus essentialia esse dubia ; fieri enim potest ea tam clare referri et tot exhibere veritatis notas, ut fides illis denegari nequeat ; tunc admitti debent ut certa. Quicumque ergo difficillimam et simul commendandam historiæ scientiam acquirere cupit, a nimia credulitate et ab excessiva incredulitate diligenter abstinens, caute procedat. Diligenter exquirat, 1° an traditio sit constans et uniformis, an sine interruptione usque ad tempus ad quod refertur factum, clare ascendat, an aliis traditionibus, vel factis aut scriptis sit consentanea ; talis est traditio de existentia diluvii ; 2° an scriptores aliqua deceptionis, ignorantiæ, passionis aut malæ fidei indicia non præbeant ; an narratio eorum traditioni, aliis historiis, factis et moribus temporis in quo

facta quæ referunt contingere debuerunt, congruat; 3° an monumenta fuerint erecta tempore quo evenerint facta memorata, an traditionibus et historiis sint conformia, aut saltem non contraria, etc. Ad hæc præcipue attendere solent critici ut de veritate factorum præteritorum judicent, et certa duntaxat admittunt ut certa, cætera vero habent ut dubia vel tantum ut probabilia. Vide *Langlet du Fresnoy, Méthode pour étudier l'histoire*, t. 1er.

SECTIO SECUNDA.

De auctoritate testimonii hominum in factis supernaturalibus.

Facta supernaturalia, prout ea in præsenti sectione consideramus, ea sunt quæ consuetis naturæ legibus derogant, v. g., subita febris, ad jussum hominis, sanatio, extraordinaria solis defectio, mortui resurrectio, etc. Non igitur a factis naturalibus differunt, nisi in causa quæ est supernaturalis, et in modo quo illa causa operatur. Effectus autem in se sumptus, abstrahendo a causa et modo, ad ordinem naturalem reducitur, ut facile intelligetur e factis supra citatis. Hujusmodi factorum possibilitas a nemine sano in dubium revocari potest. In eis quippe nulla reperitur contradictio : non difficilius est in se quod homo a mortuis resurgat, quam e vivis discedat. Ad hoc sufficit quod existat causa habens potestatem tale operandi factum : at negari non potest Deum hujusmodi habere potestatem.

PROPOSITIO.

Ex testimonio hominum veritas factorum supernaturalium constare potest.

Prob. 1°. Veritas factorum supernaturalium ex testimonio hominum constare potest, modo testimonium hominum eamdem vim habeat probandi circa hujusmodi facta ac circa facta naturalia : atqui testimonium hominum eamdem vim circa ea facta, etc., siquidem homines æqualiter judicare possunt de factis supernaturalibus ac de

factis naturalibus; illa quippe facta æque sensibus sunt obvia. Sit in exemplum eclipsis quæ tempore mortis Christi contigit : juxta cunctas astronomiæ leges, illa eclipsis fuit supernaturalis seu miraculosa : atqui tamen æque sensibilis fuit ac eclipses naturales; eclipses enim naturales ab ista non differunt, nisi in eo quod tempore neomenii contingunt, dum illa tempore plenilunii accidit : porro sive eclipses tempore neomenii, sive tempore plenilunii eveniant, æque sunt sensibiles, ut patet. Ergo, etc.

Prob. 2°. Facta supernaturalia infallibiliter noscuntur, si constet testes non fuisse deceptos, noluisse decipere, nec potuisse decipere, etiamsi voluissent: atqui constare potest testes factorum supernaturalium, etc.

1° Constare potest illos non fuisse deceptos; ostendimus enim facta supernaturalia non minus sensibilia esse quam facta naturalia. Ergo, etc.

2° Constare potest illos decipere noluisse; impossibile est enim multos homines studiis, moribus opinionibusque diversis a se disjunctos, in fraudem sibi nocivam simul conspirare : atqui fieri potest multos homines studiis, moribus et opinionibus a se disjunctos, factum supernaturale sibi inutile, imo nocivum simul testari; sic miracula Christi et Apostolorum a multis referuntur testibus, quibus non erant utilia, sed potius nociva. Ergo, etc.

3° Constare potest eos decipere non potuisse, etiamsi voluissent, nempe quando referuntur facta publica, gravissimi momenti, stricto examini sæpe subjecta. Ergo, etc,

Prob. 3°. Ideo adversarii negant testimonium hominum esse motivum infallibile judicandi de veritate factorum supernaturalium, quia ea judicant impossibilia. At, quocumque se vertant, factum supernaturale seu miraculum admittant necesse est, ex hypothesi quod multi homines illud testentur; nam vel factum quod narratur verum est, vel non : si prius, admittitur miraculum; si posterius, iterum admittendum est miraculum; nam multi homines moribus, præjudiciis et cupiditatibus sejuncti ad hujus-

modi fraudem simul conspirare non possunt sine ingenti miraculo. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Factum cujus falsitas magis constat quam veritas nullam meretur fidem : atqui falsitas miraculi magis constat quam ejus veritas : ergo, etc.

R. Nego min. Nam certum est *a priori* miraculum esse possibile, et aliunde testimonium multorum hominum illius existentiam referentium est infallibile, ex probatis. Ergo, etc.

Inst. 1°. Certum est physice miraculum non existere, et moraliter tantum certum est illud existere : ergo, etc.

R. 1°. *Dist. ant.* Certum est physice miraculum non existere, sepositis argumentis contrarium probantibus, *conc.;* positis argumentis contrarium probantibus, *nego ant.* Cum enim miraculum sit derogatio consuetis naturæ legibus, quoties constat illis non fuisse derogatum, eo ipso physice certum est miraculum non existere; at ubi validis argumentis demonstratur iisdem naturæ legibus fuisse derogatum, tunc certitudo physica cessat. Porro testimonio hominum constare potest consuetis naturæ legibus fuisse derogatum; nam hujusmodi derogatio est factum non minus sensibile quam factum naturale. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Supponitur enim certitudinem physicam majorem esse certitudine morali : atqui hoc falsum est; imo repugnat multos homines variis motivis et rationibus a se disjunctos, simul esse deceptos circa factum sensibus obvium, aut mutua conspiratione decipere velle et non repugnat Deum consuetis naturæ legibus derogare : ergo, etc.

Inst. 2°. Ubi duæ sunt certitudines sibi oppositæ et æquales, mens, in æquilibrio posita, neutram partem amplecti potest : at in casu prædicto duæ sunt certitudines oppositæ et æquales, nempe certitudo physica quæ testatur factum non contigisse, et certitudo moralis affirmans illud evenisse : ergo, etc.

R. 1°. *Nego maj.* tanquam falsum supponentem. Nam

sicut veritas nunquam opponitur veritati, sed tota, vel nulla est; ita et certitudo, quæ nihil aliud est quam secura adhæsio veritati cognitæ.

R. 2°. *Nego min.* Nam certitudo physica id unum testatur, nempe eventum qui vocatur miraculum naturaliter non contingere; ubi vero constat, sive physice pro testibus oculatis, sive moraliter pro aliis, eum de facto evenisse, ratio concludit miraculum existere, et tunc nulla est contradictio. Ergo, etc.

Hinc patet quid respondendum sit famosissimo deistæ (*Voltaire, Questions sur l'Encyclopédie*, art. *Histoire*), asserenti possibilius esse totam Lutetiam decipi aut decipere velle, quam mortuum resurgere, quia resurrectio mortui esset contra certitudinem physicam, et deceptio aut mala fides Parisiorum esset tantum contra ordinem moralem : probavimus enim utrumque pariter impossibile esse, sola attenta natura; at certum est Deum consuetis naturæ legibus derogare posse, non vero homines in positivum errorem inducere. Si ergo multi homines de fraude non suspecti simul testentur se vidisse factum consuetis naturæ legibus oppositum, concludendum est miraculum existere. Ergo, etc.

Incredulos sic arguit auctor dissertationis de factorum historicorum certitudine (*Encyclopédie*, art. *Certitude*) : « *Des témoins n'ont ni les mêmes passions, ni les mêmes intérêts; ils ne se connaissent pas; il y en a même beaucoup qui ne se sont jamais vus : donc il ne saurait y avoir entre eux aucune collusion. Le complot d'une aussi grande ville que Paris, formé sans raison, sans intérêts, sans motifs, entre des gens qui ne se connaissent pas, est plus difficile à croire que la résurrection d'un mort. La résurrection d'un mort est contre les lois du monde physique : ce complot est contre les lois du monde moral. Il faut un prodige pour l'un comme pour l'autre, avec cette différence que l'un est beaucoup plus grand que l'autre. Que Dieu ressuscite un mort pour manifester sa bonté et sceller quelque grande vérité, là je reconnais une puissance infinie; mais que Dieu bouleverse l'ordre de la société, qu'il sus-*

pende l'action des causes morales, qu'il force les hommes, par une impression miraculeuse, à violer toutes les règles de leur conduite ordinaire, et cela pour en imposer à un simple particulier ; j'y reconnais à la vérité sa puissance infinie, mais je n'y vois point de sagesse qui la guide dans ses opérations : donc il est plus possible qu'un mort ressuscite, qu'il n'est possible que tout Paris m'en impose sur ce prodige. »

Cæterum animadvertendum est oppositionem studiorum, cupiditatum, etc., magnam vim testimonio hominum addere : sed talis oppositio non necessaria est ut habeatur certitudo ; facta enim talia esse possunt ut de narratione testium, aliunde idem sentientium, nullo modo sit dubitandum.

COROLLARIUM PRIMUM.

Hinc patet quid intelligendum sit per auctoritatem. Auctoritas in genere est motivum judicandi de rebus quas per nosmetipsos non cognoscimus. Duplex distinguitur, una humana et altera divina. Auctoritas humana est testimonium hominum, de quo modo tractavimus. Adhæsio huic testimonio dicitur fides humana, et est certa, probabilis aut falsa, juxta naturam testimonii.

Auctoritas divina est testimonium Dei per facta supernaturalia se manifestantis. Facta autem supernaturalia ex testimonio hominum certo constare possunt; porro ubi constat Deum locutum esse, omnimoda adhibenda est fides testimonio ejus. Hæc est fides divina quæ nunquam falli et quæ, etiam philosophice considerata, vim invictam habet. Ipsa enim ratio impellit ad credendum Deo summe sapienti et veraci, statim ut noscitur certo illum fuisse locutum. Si naturam fidei se in auctoritate Dei resolventi expenderemus, dicendum foret eam esse metaphysice certam, siquidem absolute impossibile est Deum errare vel decipere velle. Hæc tantum indigitamus ut alumni jam videant mirabilem rationis et fidei consensionem, multis etiamnunc adeo male intellectam. Cum autem sit gravissimi momenti, et viam fidei christianæ aperiant, e

ad Theologiam remittimus, ubi de possibilitate et existentia revelationis fusius tractabimus.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Facta in libris Veteris et Novi Testamenti relata omnimoda fide digna sunt : nam si quidam libri in mundo sint authentici, integri et veri, certe libri utriusque Testamenti, ut in Tractatu de Vera Religione fuse demonstratur. Cum autem inter facta in his libris relata, multa sint evidenter supernaturalia, sequitur religionem Mosaicam, et christianam ei substitutam, esse veram ; doctrinam in prædictis libris contentam esse divinam, ipsos libros esse sacros et in summo honore habendos.

Hæc omnia alibi per ordinem probanda dimittimus. Hic vero ea supponentes ut certa, testimonia ex libris tum Veteris, tum Novi Testamenti, data occasione, referemus ad tuendas inconcussasque reddendas propositiones nostras.

Notandum certitudinem ex testimonio hominum orientem esse *moralem*, seu in ordine morali, sed talem ut si testimonium conditionibus requisitis vestitum falleret, tota rationalis hominum natura quassaretur.

ARTICULUS SEXTUS.

DE MEMORIA.

Mens affectiones suas percipit vel quatenus præsentes, et sensum intimum habere dicitur ; vel quatenus præteritas, et tunc memoriam habet, seu recordationem, vel reminiscentiam.

Memoria sub duplici respectu considerari potest, vel prout est facultas affectiones præteritas in mentem revocandi, vel prout est sensus quo mens pronuntiat se has vel illas affectiones olim habuisse. De memoria sub priori respectu considerata tractatur in Metaphysica : de illa vero sub posteriori respectu spectata hic paucis verbis dicendum est. Quæstio igitur est an sensus internus quo judicamus nos tales vel tales affectiones olim habuisse, sit motivum infallibile judicandi.

PROPOSITIO.

Memoria infallibile est motivum judicandi.

Explicatur. 1° Judicia propensione universali, constanti et invincibili innixa, habenda sunt ut infallibilia, alioquin de omnibus dubitandum esset, et ipse Deus nos falleret : atqui propensione universali, constanti et invincibili ferimur ad judicandum nos vel illas mentis affectiones olim habuisse, hoc vel illud fecisse, audiisse, etc., v. g. universaliter, constanter et invincibiliter judicamus nos tales habuisse parentes, tales homines novisse, tales magistros audiisse, tales libros legisse, talibus scientiis studuisse, talia opera fecisse, talia loca visitasse, etc. Ergo, etc.

2° Ideo tenemus sensum intimum, evidentiam, relationem sensuum, infallibilia esse motiva judicandi, quia hæc assensum nostrum invincibiliter rapiunt : atqui memoria non minus invincibiliter assensum nostrum obtinet. Similiter habemus testimonium hominum ut motivum infallibile judicandi : atqui sola memoria testimonium hominum noscere possumus. Ergo, etc.

3° Si memoria ex seipsa non esset fons certitudinis, nulla haberetur certitudo, nisi forte primorum principiorum quorum evidentiam intuitive percipimus : nam ubi instituenda est demonstratio, statim opus est memoriæ adjutorio. Ideo diximus hanc thesim explicari, non probari, quia illam stricte probare non possumus nisi ipsa utendo memoria. Ergo, etc.

Obj. Nihil frequentius est inter homines quam dicere : Malam habeo memoriam, memoria me fallit : ergo memoria haberi non debet ut motivum infallibile judicandi.

R. Nego consequentiam. Sensus enim prædictorum verborum est : Præteritas affectiones meas non facile revoco : at inde concludere non licet memoriam nos fallere aut non esse motivum infallibile judicandi ; aliud enim est non recordari, et aliud vi recordationis in errorem induci. Ergo, etc.

Præterea solam recordationem constantem, uniformem et invincibilem exhibuimus ut motivum infallibile judicandi; si quis ergo cum invincibili hac propensione vagam, fugacem et transitoriam inclinationem confundat, errabit quidem, sed error ex ipsius præcipitatione et temeritate orietur, non vero ex memoria proprie dicta. Ergo, etc.

Notandum est autem ibi, sicut et in aliis judiciorum motivis, impossibile esse limites inter verum et falsum, certum et incertum accurate discernere. Nonnunquam sine ulla errandi formidine judicamus nos habere certitudinem : sed mox alii occurrunt casus in quibus tam vivido sensu veritatis non perfundimur ; ibi tunc assensum nostrum prudenter cohibere debemus, donec rem totam diligentius expenderimus.

Hoc motivum ad ordinem metaphysicum revocandum esse videtur : negari enim non potest quin supponatur, siquidem nihil probare aut pronuntiare possumus sine adjutorio memoriæ, ut notavimus. Attamen hic, cum aliis auctoribus, convenientius de illo tractandum esse judicavimus, quia ipsius infallibilitas ex supra expositis præcipue patet.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE ANALOGIA ET INDUCTIONE.

Analogia, a verbo græco ἀναλογία, *proportio*, *similitudo*, est similitudinum ratio ; in eo consistit quod ex observatis et cognitis ad non observata et incognita transeamus, et alias conclusiones propter similitudinem deducamus : sic, v. g., cum omnes lapides quos vidimus sint graves, et in aere sibi permissi versus terram decidant, concludimus alios lapides, quos non vidimus, similiter esse graves.

PROPOSITIO.

Analogia plurimis in circumstantiis est motivum certum judicandi.

Prob. Quod consuetis naturæ legibus evidenter funda-

tur est physice vel moraliter certum, prout versatur in ordine physico vel in ordine morali; alioquin tota natura esset mera illusio; atqui analogia, plurimis in circumstantiis, consuetis naturæ legibus evidentissime fundatur. Sic in ordine physico, ex constanti et uniformi experientia judicamus solem crastina die tali hora esse oriturum, semen terræ mandatum esse germinaturum, deinde herbam, postea spicas et tandem grana producturum, sitim potu et famem esca sedandam fore. Ex eo principio exacte calculantes, mechanici et artifices accuratas construunt machinas, aqua, vento, vapore movendas, etc. Sic in ordine morali certum est decem milites, quantumvis strenuos et bene armatos, decem millia hominum armatorum debellare non posse; discipulos sub ignaro magistro successus non obtenturos; populos irreligiosos futuros esse perversos, etc. Hinc patet quam frequenter ex sola analogia judicemus et actus nostros etiam incogitantes dirigamus. Si ergo analogia non esset motivum certum judicandi, perpetuis anxietatibus torqueremur. Ergo, etc.

Vis autem hujus motivi certitudinis, desumpta, in ordine physico, ex universalitate et perseverantia legum quibus natura physica regitur; in ordine autem morali, e simili constantia quæ discerni potest in summa varietate indolum et morum sub influxu liberi arbitrii, difficillime tamen satis apprehenditur ut, in casibus determinatis, vera certitudo haberi queat.

Quod analogiam dicimus, scriptores recentiores sæpissime *inductionem* vocant. Inductio autem, qualis ab eis intelligitur, differt ab inductione veterum in eo quod posterior, ab analysi completa procedit nec eam excedit, uti supra exposuimus ubi *de Methodo*; prior vero ab enumeratione etiam incompleta procedit, nempe statim ut ex experientia sufficienti judicatur generalem existere legem e qua facta observata originem ducunt.

Quoniam tamen certitudinem ex sola analogia sæpe obtinere non possumus, sequentia sint scholia.

SCHOLIUM PRIMUM.

Ut omne periculum erroris excludat analogia, non sufficit unam aut plures dari experientias, sed insuper rerum ipsarumque circumstantiarum similitudines certo cognosci debent: hinc, quamvis planta medicinalis in uno aut in altero casu felicem obtinuerit effectum, non ideo certum est illam eumdem habituram effectum in alio casu; ad hoc enim requireretur ut esset ejusdem soli, ejusdem culturæ, ejusdem maturitatis, ejusdem siccitatis, eodem modo præparata et administrata; requireretur insuper ut ægrotus, ratione ætatis, humorum, complexionis, morbi, etc., in simili casu existeret: cum hæc omnia nunquam certo noscantur, usus plantarum medicinalium conjecturali tantum nititur motivo, et sic generaliter medicina. Idem dicendum est de multis aliis judiciis analogia innixis : sic graviter erraret qui, nulla habita ratione regionum, per analogiam judicaret omnes homines ejusdem staturæ vel coloris esse; sic pariter errabat ille rex Indiæ qui, ex analogia judicans aquam essentialiter esse liquidam, mendacii accusabat legatum Angliæ testantem flumina in regione sua ita aliquoties constringi ut elephantes super ea siccis pedibus deambularent.

SCHOLIUM SECUNDUM.

Sæpe igitur non nisi plures vel pauciores gradus probabilitatis suppeditat analogia, et quandoque tam debilis, ut ex illa nihil prudenter inferri possit. Unde, quando *Fontenelle* in eleganti opere dicto *la Pluralité des mondes*, docet omnes planetas suos habere incolas, quia magnam habent similitudinem cum terra nostra, ingeniosis quidem ratiociniis suum fulcit systema, sed illud nec clare nec solide demonstrat.

Duo alii celebres philosophi, *Huyghens*, Batavus, et *Wolf*, Germanus, ulterius progredientes et probabilitate innixi, affirmarunt illos planetarum incolas nobis similes esse. Quinimo eorum staturam *Wolf* sic determinavit: Experientia constat pupillam oculorum dilatari vel con-

trahi prout lumen vividius vel debilius eam afficit; qui ergo longius sunt a sole, latiorem habent pupillam : porro accurata debet esse proportio inter pupillam et oculum, inter oculum et staturam corporis : unde qui planetas a sole remotiores incolunt, altiores esse debent. Deinde, computatione facta, philosophus Germanus concludit habitatores Jovis tredecim pedes altitudinis habere. Nemo autem non videt quam vanum et ineptum sit tale systema.

SCHOLIUM GENERALE.

Cum pateat, ex dictis et probatis, septem superius exposita certitudinis motiva esse prorsus indubia, ubi ratiocinando ad aliquod ex illis pervenitur, in eo sistendum est; demonstratio est completa, et propositio probanda statim admitti debet ut certa. Si tamen ulterior institueretur quæstio et peteretur quæ sit ultima ratio cur illa motiva admittantur ut certa et infallibilia, cur, v. g., sensus intimus, evidentia, relatio sensuum, etc., nos decipere nequeant, semper ultimo loco respondebitur, quia nemo de hoc dubitare potest, et talis est natura intelligentiæ humanæ.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE MOTIVO PROBABILI.

Quamvis certitudo sit indivisibilis, sæpe tamen fit ut propositio in se vera plus minusve perfecte a nobis attingatur, quia plures vel pauciores habemus rationes judicandi illam esse veram, licet omnimodam certitudinem non obtineamus : illæ autem rationes, quæ mentem inter nescientiam et certitudinem constituunt, dicuntur *probabilitates*.

Quia vero hæc series rationum infinitos propemodum admittere potest gradus, innumeræ esse possunt probabilitates diverse nos impellentes ad judicandum veram esse propositionem. Si tot sint probabilitates ad negandum quot ad affirmandum, existit *dubium;* si plures sint ad affirmandum quam ad negandum, adest *verisimilitudo*. Probabilitas igitur recte definitur : Ratio intentius vel re

missius nos impellens ad judicandum veram esse propositionem quæ non demonstratur. In usitato tamen loquendi modo id probabile dicitur quod gravi, sed fallibili, nititur fundamento.

Gradum probabilitatis relative ad unam propositionem accurate determinare sæpe difficillimum est; nam probabilitas sæpe ab infinitis propemodum observationibus pendet, videlicet, a cognitionibus jam acquisitis, a perspicacitate ingenii, a rectitudine judicii, a consuetudine examinandi et reflectendi, a modo quo res consideratur, perpenditur vel apprehenditur, etc. Unde eadem propositio potest esse respectu unius certa, respectu alterius verisimilis, respectu tertii dubia, respectu quarti incerta, etc. Caveamus igitur ne ultra id quod percipimus judicemus, et caute pronuntiemus propositionem esse incertam, dubiam, verisimilem, aut certam, prout eam deprehendemus, aut ab aliis communiter apprehendi videbimus : hæc enim est conditio nostra ut plerasque veritates solummodo probabiliter cognoscere valeamus.

Facta probabilia ab historia non sunt amovenda. Historia multa necessario complectitur facta quæ non sunt omnino certa, sed plus minusve probabilia. Accurati scriptores summopere cavere debent ne dent ut certa quæ sunt tantum probabilia. In communi agendi ratione nostra, continuo utimur notionibus duntaxat probabilibus. Eadem valet ratio pro historia. Sæpe hoc nititur principio ipsamet Ecclesia circa quædam facta de Christo, beata virgine Maria vel Sanctis probabiliter solum relata, et ad fovendam pietatem idonea, etc.

Hæc sedulo attendantur, ut in historia, sicut a nimia credulitate, sic etiam a temeraria critice prudenter caveatur.

De probabilitate in quæstionibus moralibus et relative ad praxim, in tertia parte hujus operis agemus.

Si agatur de nonnullis eventibus, qui inter plures casus possibiles et certe cognitos reperiantur, probabilitas unius e casibus istis mathematice determinari potest : v. g., sex nomina, inter quæ nomen Petri, in eadem capsa continentur; petitur quænam sit probabilitas nomen Petri

prima vice egressurum esse : respondetur illam esse sicut unum ad sex. Cum unaquæque tessera sex habeat facies, jactus respectivi possibiles duarum tesserarum sunt triginta sex. Inter eos numerus 2 et numerus 12 una vice tantum contingere possunt; illorum ergo probabilitas est sicut 1 ad 36. Item de singulis æqualibus numeris in duabus simul tesseris, v. g., 1 et 1, 2 et 2, etc. Cum vero numerus 8 quinque modis contingere possit, illius probabilitas est sicut 5 ad 36. Ex hujusmodi calculis recte cognitis periti lusores ducuntur.

Similiter, ex mille navibus aliquod iter suscipientibus, decem pereunt; periculum ergo pro singulis est sicut 10 ad 1000, seu 1 ad 100. Ex hac supputatione pretium assecurationis æstimatur. Sic pariter in multis contractibus, dictis aleatoriis, v. g , in censu vitalitio, qui ex probabilitate vitæ alicujus hominis determinatur, in assecuratione contra incendium , etc.

Caveatur ne leges probabilitatum ordinis physici transferantur ad ordinem moralem,et idem applicetur calculus.

Qui plura circa diversas probabilitates cognoscere voluerit , consulat opus S. *Gravesende* jam citatum : *Logique, 2e partie, chap.* 17 *et* 18.

CONCLUSIO.

De criterio certitudinis.

Antequam his de fontibus certitudinis disquisitionibus finem imponamus, inquirendum nobis remanet quænam sit ultima certitudinis ratio, quæ apud philosophos nomen *criterii* certitudinis obtinuit.

Verum certitudinis criterium tres necessario, juxta omnes, habere debet conditiones; nempe requiritur, 1° ut nec probari nec etiam negari possit ope alterius rationis, alioquin non esset ultima ratio; 2° ut in mente existat : nam, si extra mentem poneretur, apprehendi non posset nisi per ulteriorem rationem quasi per medium; 3° ut per se clarum sit et omnibus commune, atque cæteri fontes certitudinis ipso finaliter nitantur.

Perceptio clara, sive evidentia, lato sensu sumpta, hos habet characteres. E quocumque enim fonte oriatur certitudo, non nisi per claram perceptionem existit in mente. Non solum evidentia et sensus intimus, quæ necessario et immediate cum veritate connectuntur; sed et testimonium hominum ac quæcumque facta externa nobis per evidentiam innotescunt. Absque enim clara perceptione, veritas objectiva tantum, minime vero subjectiva existere potest.

Exinde patet perceptionem claram, seu evidentiam, lato sensu sumptam, ut verum certitudinis criterium admittendam esse. Manifestum est enim illam 1° probari aut negari non posse ob aliam rationem; 2° in mente haberi; 3° per se claram esse, omnibus communem, et alios certitudinis fontes in ipsa finaliter niti; nam si a nobis quæratur cur, v. g., testimonium hominum certis conditionibus vestitum sit infallibile, respondebimus ultimo, et omnes pariter responderent, quia hoc est evidens. Ergo.

Hinc 1° criterium istud est infallibile; alioquin tota rueret certitudo et humana ratio subverteretur. Homo nihilominus est errori obnoxius, quia sæpe antequam vero innitatur criterio temere pronuntiat. 2° Criterium istud, per se clarissimum, probari non potest, quemadmodum nulla luce opus est ad videndam lucem meridianam. 3° Evidenti conscientiæ testimonio percipitur discrimen inter statum vigiliæ et statum somnii : nisi hoc admitteretur, nulla possibilis esset certitudo.

APPENDIX.

DE METHODO DISPUTANDI.

Neminem fugit quantum scholasticæ exercitationes et animorum veluti collisiones acuendis ingeniis limandoque judicio inserviant; illa enim lacessendi atque respondendi celeritas, dicendi facultatem auget, notiones in nobis quasi sopitas excitat, et mentem non parum juvat ut eas clare et

luculenter exprimat. Sed cavendum est ne, disputationis æstu nimis abrepti, non tam veritatis studio quam victoriæ desiderio impellamur; nihil enim a veritatis luce magis nos abducit quam hæc inordinata contentio, quæ velut tempestas huc atque illuc nos jactat, et intra propositam quæstionem non sistit. Ea igitur inter disputandum servanda est moderatio, ut animus sit semper sui compos, cavillationes fugiat, et extra quæstionem nunquam excurrat aut divagetur.

Disputatio sit simplex, brevis, nitida, ordinata et vivida, ne cœtus adstantium languescat. Inusitatis barbarisque vocibus non utendum, a futilibus et jocosis rationibus prorsus abstinendum est. Honor, gravitas, decentia ex utraque parte convenienter, servata proportione, exhibeantur.

Præter has regulas, quæ omnes disputantes, sive aggressores sive defensores, spectant, aliæ sunt speciales breviter exponendæ.

REGULÆ AGGRESSORIS.

Aggressor seu argumentans benevolentiam præsidis cœtus et auditorum sibi conciliet, det ipsis salutem, et solitam disputationis incipiendæ formulam recte calleat, hisque circiter verbis loquatur :

Si prius jusserit clarissimus philosophiæ professor, vel *hujus Actus moderator; annuerit vigilantissimus gymnasiarcha* aut *seminarii superior* (si primarius domus disputationi adfuerit); *faveritque nobilissima* vel *percelebris adstantium corona*, vel *nobilissimus* aut *clarissimus adstantium cœtus*, *argumentabor*, *doctissime respondens*, *contra unam e thesibus* vel *propositionibus tuis quæ jacet in articulo.... paragrapho.... ubi sic legitur....* (Integra legitur propositio ut se habet; deinde contradictoria ejus assignatur, et sic concluditur): *Ergo saltem ex hac parte moderanda, reformanda, etc., mihi videtur tua thesis.*

Postea conquiescat aggressor, responsionem et rationes defensoris arrectis auribus excipiat, paucis instet, urgeat,

medium non mutet, quantum materia permittit, rationes in promptu habeat quibus priora confirmet argumenta, solidis responsionibus contentus appareat; videat ne famam cavillatoris sine fine garrientis sibi comparet, disputationem nimis non protrahat; eam absolvendo gratuletur respondenti, ipsum honorifice salutet, et tunc sedeat, nihil amplius loquens vel obmurmurans.

Si episcopus aut alia persona in magna dignitate constituta cœtui præesset, ipsius benevolentiam ante omnia peteret argumentans, dicens, v. g.: *Si permiserit*, vel *jusserit*, *illustrissimus* vel *reverendissimus*, etc. (hic qualitas ejus designatur, et cætera ut supra.)

REGULÆ DEFENSORIS.

Defensor seu respondens rationes aggressoris attente audiat, et ubi primum propositio oppugnanda fuit designata, totum repetat argumentum per hanc formulam: *Argumentatur sapientissimus, doctissimus*, etc. (hic omnes honorifici tituli argumentantis recensentur) *contra unam e propositionibus nostris quæ jacet articulo...* (designantur articulus et paragraphus, et ipsa propositio integra legitur); *contra quam sic argumentatur sapientissimus*, etc. (propositio argumentantis integra de verbo ad verbum repetitur, v. g.: *Dubium generale Scepticorum admitti potest; ergo nulla existit certitudo*). Deinde repetit in secunda persona: *Sic argumentaris, sapientissime*, etc. *Dubium generale*, etc. *Respondeo: Nego antecedens* (hic probationes afferat).

Argumenta de verbo ad verbum, quantum fieri potest, semper referenda sunt et bis repetenda; prima vice narrando, et secunda singulas propositiones notando his verbis, *concedo, nego, distinguo, esto, transeat*, prout propositio erit vera, falsa, æquivoca, dubia vel gratuita. Aliquando totum conceditur argumentum, si nempe ad rem non pertineat. Rationem negati afferat defensor, distinctionem evolvat; caveat interim ne adversarius aliud probet quam id quod fuit negatum: tandem responsionem

ea propositione absolvat quæ vere sit contradictoria illius propositionis quæ fuit negata, v. g. : *Ergo dubium universale admitti non potest.*

Si major propositio alicujus syllogismi videatur falsa, antequam negetur, quædam licentia postulanda est ab aggressore, v. g., *pace tua, cum licentia tua, si mihi indulgeas, etc. : Nego majorem.*

Tituli vero honorifici sunt : pro cardinali, *Eminentissimus ac illustrissimus cardinalis ;* pro episcopo et archiepiscopo, *Illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus,* vel *archiepiscopus, episcopus, antistes, præsul noster* vel *Andegavensis, Namnetensis, etc. ;* pro vicario generali, *Reverendus illustrissimi episcopi... vicarius generalis ;* pro canonico, *Honorabilis insignis Ecclesiæ... decanus, præcentor, canonicus, etc. ;* pro doctore, *Sapientissimus magister noster, sacræ facultatis... doctor ;* pro superiore et professore, *Vigilantissimus superior, ornatissimus philosophiæ* vel *theologiæ professor ;* pro cæteris, *Doctissimus, etc.*

Si, incœpto actu publico, superveniat episcopus, aut vir alter singularis dignitatis, qui cœtui præesse debeat, loquens, sive argumentans, sive respondens tacet; omnes surgunt et stant in silentio donec sederit intrans : tunc argumentans resumit argumentum ab initio, vel respondens exponit summatim quæstionem et responsa, dicens : *Recreatus illustrissimi ac reverendissimi episcopi præsentia, argumentum meum iterum conficio,* vel *responsionem meam resumo :* N. *sic argumentatur* (hic repetit argumentum), *ego autem sic respondeo...*

FINIS LOGICÆ.

I. DISSERTATION

SUR LE FONDEMENT DE LA CERTITUDE.

Si un homme disait sérieusement : Je doute qu'il y ait un soleil, des étoiles, un ciel, une terre, d'autres hommes; si j'existe, si je pense, etc., nous ne disputerions pas avec lui, nous le regarderions comme un insensé. Il n'est personne qui ne comprenne que le doute universel est impossible et qui ne le repousse de toute l'énergie de sa nature intellectuelle et morale.

Mais comme il est de fait que souvent nous nous trompons en prenant des illusions pour la vérité, un philosophe digne de ce nom doit chercher avec soin les raisons d'affirmer, de nier ou de douter, et ne jamais prononcer au-delà de ce qu'elles valent. Lorsque nous analysons nos connaissances, nous devons arriver à une raison claire et infaillible, qui n'en demande point d'autre : autrement toute preuve supposant une progression à l'infini, serait impossible. Cette dernière raison est ce qu'on appelle le fondement de la certitude, le principe de nos connaissances, la première vérité sur laquelle repose la certitude de nos jugements.

Tous les philosophes, excepté les sceptiques, admettent un fondement de certitude ; mais ils ne s'accordent pas lorsqu'il s'agit d'en assigner les caractères.

Principales opinions des philosophes sur le fondement de la certitude.

Socrate [1] s'élevant contre les sophistes, qui disputaient sur tout, assigna la conscience pour base de toutes les connaissances philosophiques : il est vrai que sa philosophie n'avait que la morale pour objet.

Platon, disciple de Socrate, distinguait deux objets de l'entendement, les essences des choses et leurs existences sensibles : les premières, seules invariables, constituaient l'objet de la science; les autres, variables de leur nature, faisaient le domaine de l'opinion : ainsi la certitude proprement dite était fondée sur les perceptions claires de notre âme.

Aristote [2], surnommé le prince des philosophes, reconnaissait deux sortes de sciences philosophiques : une contingente, fondée sur l'expérience, et, en dernière analyse, sur les sens; et l'autre

[1] Né à Athènes, d'un sculpteur, 471 avant Jésus-Christ.

[2] Né à Stagyre, 384 avant Jésus-Christ, chef des péripatéticiens, ainsi appelés parce qu'il leur donnait ses leçons en se promenant.

nécessaire, appuyée sur des axiômes essentiellement vrais, particulièrement sur celui-ci : *Idem non potest simul esse et non esse.*

Zénon, fondateur du Portique, plaçait le fondement de la certitude dans la perception claire et invincible des objets : il opposait ainsi aux sceptiques, qu'il combattait spécialement, les notions communes ou admises par tout le monde.

Les diverses sectes de philosophes qui se succédèrent en Grèce, à Alexandrie, à Rome et dans le christianisme, s'attachèrent à Platon, à Aristote, aux stoïciens, ou aux sceptiques, avec certaines modifications qui les caractérisaient. Aristote prévalut dans les écoles chrétiennes et y obtint une autorité suprême.

Au commencement du XVII^e^ siècle parut un homme dont le génie supérieur fit une révolution complète dans les sciences humaines. René Descartes, gentilhomme de Touraine, né en 1596, fit d'excellentes études chez les jésuites de la Flèche, et se montra peu satisfait de la philosophie qu'on lui enseigna. Il alla à Paris, où, après des écarts de jeunesse dont il revint promptement, il se mit à travailler avec ardeur sur la philosophie, et sans beaucoup d'ordre, passant d'un système à l'autre, les examinant, les comparant, voulant les connaître tous avec les raisons pour et contre. Ses idées s'embrouillèrent, et il vit que ses efforts n'aboutissaient qu'à le convaincre de son ignorance. Découragé, il quitta ses livres, se mit à voyager, prit du service en Hollande, puis en Bavière, afin de mieux voir les hommes et d'apprendre à les connaître.

Dans le désœuvrement des garnisons il s'appliqua de nouveau à l'étude et aux méditations les plus profondes. Ne voyant aucun système de philosophie qui pût le satisfaire, il en conçut un qui, assis sur des bases nouvelles, devait remplacer tous les autres. Il fit vœu d'aller en pèlerinage à Notre-Dame-de-Lorette, si la sainte Vierge l'assistait dans cette entreprise et lui obtenait le succès qu'il souhaitait. Pour avoir plus de temps à lui, il quitta le service militaire en 1624, voyagea en Silésie, en Pologne, en Allemagne, en Italie et en France, se fixa en Hollande, et se livra tout entier aux réflexions métaphysiques.

Voulant se rendre compte de ses connaissances et n'en admettre aucune sans savoir sur quoi elle reposait, il regarda ce qu'il avait appris jusque là comme non avenu. Supposant que tout était incertain, il chercha une première vérité incontestable qui pût lui servir de point de départ pour reconnaître les autres et les démontrer au besoin. Il s'arrêta au fait de sa pensée et dit : De quelque manière que je m'y prenne, je suis forcé de convenir que je pense ; si je doutais de ma pensée, je penserais par là même, puisque le doute est une pensée : or il n'est pas possible de penser sans exister. De là son fameux enthymème : *Je pense ; donc j'existe.* Ainsi, dans l'ordre logique, le fait de notre pensée, selon lui, est la première de toutes les vérités, et la perception claire de la convenance ou de la disconvenance des idées entre elles le premier fondement de certitude.

Il alla plus loin : examinant sa perception elle-même pour découvrir ce qui en faisait la clarté et la force irrésistible, il vit

cette clarté découler de ce principe, *que la même chose serait et ne serait pas tout à la fois*, si celui qui pense pouvait ne pas exister. Alors il posa le principe de contradiction comme base de toute certitude, et partit de là pour établir toutes les vérités.

Dans ses divers ouvrages, il n'admet pas d'autre raison de certitude : il veut qu'on ramène à celle-là tous les motifs de jugement exposés par nous, et qu'il développe lui-même, mais en les représentant comme impuissants à donner la certitude réelle, s'ils ne sont pas rattachés au principe sur lequel il fait reposer toute sa théorie.

Il rejette donc, théoriquement du moins, la certitude appelée *ex recto sensu*, que nous avons dit pouvoir ressortir immédiatement de la relation des sens, du témoignage des hommes, etc. Par exemple, le sentiment irrésistible qui nous porte à admettre l'existence des corps ne suffirait pas par lui-même pour nous en rendre certains : il nous faut recourir à la véracité de Dieu, auteur de notre nature intelligente. Dieu ne peut nous induire dans une erreur universelle, constante et invincible, ou sa véracité serait détruite : or, si le penchant irrésistible qui nous porte à admettre l'existence des corps n'était fondé que sur des fantômes, Dieu, qui en est l'auteur, nous induirait dans une erreur universelle, constante et invincible ; il y aurait donc contradiction.

Plusieurs disciples de ce grand philosophe n'ont pas admis sa méthode d'une manière aussi exclusive : à côté de la certitude fondée par le principe de la contradiction, ils ont admis la certitude *ex recto sensu*, exposée et défendue par nous.

Il est à remarquer qu'il y a une grande différence entre le doute méthodique et le scepticisme proprement dit. Descartes, en recherchant les bases de ses convictions, ne rejeta jamais les croyances religieuses, ni les vérités sur lesquelles étaient fondés ses rapports avec la société.

Locke et Condillac, faisant venir toutes nos connaissances par les sens, admettent, en dernière analyse, le témoignage des sens, perçu par l'intellect, comme la raison fondamentale sur laquelle repose la certitude. Ils procèdent par la méthode analytique, et admettent, comme Descartes, l'évidence entendue dans le sens général de perception ; l'âme reçoit d'abord des sensations, éprouve des sentiments, les élabore par un travail intellectuel, et arrive à des idées généralisées, dont elle fait ses propres idées, et qu'elle perçoit évidemment. Ainsi les idéalistes partent des idées absolues, et les sensualistes du témoignage des sens : mais les uns comme les autres reviennent bon gré, mal gré, en dernier lieu, à l'évidence ou perception individuelle comme à la raison de la certitude.

L'auteur de l'*Essai sur l'indifférence en matière de religion* foudroyait les doctrines de Locke et de Condillac touchant l'origine de nos connaissances, s'en prenait ensuite à la méthode de Descartes et la dénonçait au monde entier comme subversive de la religion et de l'ordre social, conduisant à l'athéisme et au doute universel. Il rejetait les motifs ordinaires de nos jugements comme insuffisants et induisant souvent en erreur ; il soutenait qu'il n'y a

qu'une seule règle infaillible que nous puissions suivre avec assurance, l'autorité du genre humain ou la plus grande autorité.

Comme ce système a fait beaucoup de bruit pendant plusieurs années, et laissé après lui des traces, il convient de l'exposer un peu en détail.

Exposé du système de M. de Lamennais sur la certitude.

Selon M. de Lamennais, l'homme individuel n'est capable d'aucune certitude par lui-même : *Quand nous venons,* dit-il, t. II, p. 2, 4e édit , *à porter la main sur l'édifice de nos connaissances, à en sonder curieusement la base, nous ne trouvons que des abimes, et le doute ténébreux sort des fondements de l'édifice ébranlé. L'homme ne peut, par ses seules forces, s'assurer pleinement d'aucune vérité, parce qu'il ne peut, par ses seules forces, se donner ni se conserver l'être...*

Nul moyen d'éviter ce écueil, dès qu'on cherche en soi la certitude, et c'est ce qu'il faut montrer à l'homme pour humilier sa confiance superbe ; il faut le pousser jusqu'au néant, pour l'épouvanter de lui-même ; il faut lui faire voir qu'il ne saurait se prouver sa propre existence comme il veut qu'on lui prouve celle de Dieu ; il faut désespérer ses croyances les plus invincibles, et placer sa raison aux abois dans l'alternative de vivre de foi ou d'expirer dans le vide.

Pour appuyer cette assertion, il parcourt nos moyens de connaître qu'il réduit à trois : les sens, le sentiment et le raisonnement, parce que, selon lui, toutes les écoles de philosophie se réduisent à trois systèmes généraux qui sont *le matérialisme, dont Locke est le père; l'idéalisme, enseigné d'abord par Berkeley, et plus dangereusement ensuite par Kant ; et le dogmatisme moderne ou le cartésianisme, qui règne depuis environ deux siècles dans l'école* (t. II, p. 5 et 6). Il cherche à démontrer qu'on ne peut obtenir la certitude ni par les sens, ni par le sentiment, ni par le raisonnement.

1° Point par les sens : *car chacun d'eux pris à part nous abuse par de vaines illusions ; ils se convainquent à toute heure mutuellement d'imposture.* Comment se fier à des témoins qui se sont tant de fois contredits? Et quand ils auraient toujours été d'accord, serions-nous sûrs pour cela qu'ils ne nous trompent point? Quel rapport y a-t-il entre leur témoignage et la vérité? S'ils étaient faits autrement qu'ils ne le sont, ou si nous en avions un sixième, verrions-nous les choses comme nous les voyons? *Qu'est-ce que sentir? Qui le sait? Suis-je même certain que je sens ? Quelle autre preuve en ai-je que ma sensation même?... Le oui et le non a ses vraisemblances, et qui démontrerait que la vie entière n'est pas un rêve, une chimère indéfinissable, ferait plus que n'ont pu faire tous les philosophes jusqu'à ce jour* (p. 8).

2° Le sentiment, et sous ce nom l'auteur comprend l'évidence, il le dit en propres termes, n'est pas une preuve plus certaine de vérité que les sensations; car la même idée affecte différemment les hommes, et souvent le même homme en différents temps ; il

n'y a rien de si évident pour nous aujourd'hui que nous puissions nous promettre de ne pas trouver demain obscur ou erroné. D'ailleurs, qu'est-ce que le sentiment? Quelles en sont les causes? sont-elles en nous ou hors de nous, muables ou immuables, aveugles ou intelligentes? Autant de questions inexplicables, et de la solution desquelles néanmoins dépend la certitude des premiers principes. *Ainsi nous ne sommes pas plus assurés de nos sentiments que de nos sensations, et notre être tout entier nous échappe, sans que nous puissions le retenir. Nous avons beau dire: Je sens; nous avons beau dire : Je suis ; nous n'en demeurons pas moins dans l'impuissance éternelle de nous démontrer que nous sentons et que nous sommes, tant le néant nous presse de toutes parts* (p. 15).

3° Le raisonnement ne nous conduit pas plus sûrement à la vérité que les deux autres moyens : il n'y a aucune proposition qui ne puisse être aussi bien combattue que défendue ; les opinions varient selon les temps, les lieux et les esprits, et toutes invoquent le raisonnement à leur secours : tantôt on nie le principe ; d'autres fois, admettant le principe, on en tire des conséquences opposées. On ne peut donc rien démontrer par cette voie. *Quand donc Descartes, essayant de sortir de son doute méthodique, établit cette proposition : Je pense, donc je suis, il franchit un abîme immense et pose au milieu des airs la première pierre de l'édifice qu'il entreprend d'élever; car, à la rigueur, nous ne pouvons pas dire : Je pense; nous ne pouvons pas dire : Je suis ; nous ne pouvons pas dire* donc, *ou affirmer par voie de conséquence* (t. II, p. 22).

Il n'excepte pas même de cette proscription générale les sciences physiques ou mathématiques qu'on appelle exactes. *Ce nom même d'exactes,* dit-il, *n'est qu'un de ces vains titres dont l'homme se plaît à parer sa faiblesse* (p. 33 et 34).

Après avoir ainsi renversé de fond en comble l'édifice de nos connaissances philosophiques, il conclut qu'il faut chercher un autre *critérium* de la vérité, dont l'autorité infaillible termine en dernier ressort toutes les contestations ; car, dit-il (*Défense*, chap. 10 et 11), s'il n'existe pas un juge de cette nature, il faut douter de tout : cependant le doute universel répugne tellement à notre nature, qu'il est impossible. Ce juge ne peut être dans l'homme individuel ; autrement chaque homme serait infaillible en jugeant, ce qui est tous les jours démenti par l'expérience. Il est donc dans la société ou dans la manière de voir commune à tous : c'est ce que l'auteur appelle l'*autorité du genre humain*, l'*autorité générale* ou le *sens commun*.

Cela posé, dit-il (*Défense,* page 145), *nous prouvons l'existence de Dieu par le consentement unanime des peuples.* Appuyés sur ce fondement inébranlable et sur la règle infaillible du sens commun, nous arrivons à la connaissance certaine de notre existence, et des autres vérités si généralement admises qu'on ne peut les rejeter sans être regardé comme un fou; car le caractère d'un fou, c'est de ne pas penser comme les autres, de ne pas avoir le sens commun.

Il est donc certain que notre intelligence vit nécessairement de la foi ; c'est-à-dire que nous ne connaissons les premières vérités que par la foi, que Dieu les a révélées immédiatement au premier homme, et le genre humain nous le transmet avec une entière certitude.

Il ne s'ensuit pas que les sens, le sentiment et le raisonnement nous trompent toujours ; ils sont nos moyens de connaître, faillibles en eux-mêmes, pris séparément ou collectivement ; mais appuyés sur le sens commun, ils nous donnent la certitude. Ils sont en quelque sorte comme des tribunaux de première instance ; leurs jugements ne sont pas à dédaigner, mais le sens commun est un juge suprême qui seul juge en dernier ressort.

Observations sur les disputes des philosophes touchant le fondement de la certitude.

Il se trouve des jeunes gens qui, voyant les plus grands génies ne pouvoir s'accorder sur la base même de nos connaissances, sont portés au découragement et tentés de conclure qu'il n'y a rien de certain. Il est essentiel de leur montrer combien cette conclusion serait mal fondée, en leur faisant comprendre en quoi consiste la difficulté qui partage les savants.

D'abord, tout le monde convient que le doute universel ne peut être admis, et que nous connaissons certainement une multitude de choses ; personne ne nie non plus qu'il n'y ait des vérités premières qu'on ne démontre pas ; on les admet comme des points incontestables, et on part de là pour démontrer les autres. Nous sommes donc certains ; mais quelle est la raison constitutive de notre certitude ? Voilà où commence la division et sur quoi l'on bâtit des systèmes. Il peut être utile de les étudier pour les connaître. Mais est-il nécessaire qu'un élève de philosophie s'attache à l'un d'eux et tranche une question tant débattue ? Il y a des vérités qui portent la conviction dans son esprit, entraînent son assentiment, aussi bien que l'assentiment des autres hommes, et lui rendent le doute impossible ; qu'il parte de là, et appuie sans crainte ses connaissances sur cette base ; il sera d'accord avec tout le monde : les uns diront que sa certitude repose sur cet accord ; d'autres soutiendront que cet accord est le résultat de la lumière naturelle qui est en nous, et nous fait tous juger de la même manière en ce qui tient à notre nature : il les laissera se disputer, et demeurera tranquille sur le fait de sa certitude.

On peut rendre cette vérité plus sensible par des comparaisons. Supposons des architectes occupés à jeter les fondements d'un édifice qu'ils veulent élever ; ils reconnaissent le solide et posent les premières pierres avec sécurité : voilà des philosophes qui demandent pourquoi ce fondement est solide, qui en recherchent la raison et ne peuvent s'accorder ; faudra-t-il, pour continuer de bâtir prudemment, entrer dans cette discussion et soutenir une des opinions émises ? ne rirait-on pas de celui qui croirait avoir lieu de s'inquiéter d'une telle controverse ?

Que de simples paysans entendent des disciples de Berkeley argumenter contre l'existence des corps, ou des sceptiques soutenir que tout est douteux, en seront-ils ébranlés? Ils regarderont ces discours comme des rêveries, et, s'en tenant à leur bon sens, ils n'en demeureront pas moins fermes dans leurs convictions naturelles dont ils ne cherchent point à se rendre compte par le raisonnement. Pour assigner la méthode qu'une logique rigoureuse doit suivre dans l'ordre de nos connaissances, quatre systèmes principalement ont été inventés, selon que l'on prend pour base de la certitude l'idéalisme, les sensations, le raisonnement ou l'autorité générale.

L'idéalisme pur ne pouvant se concilier avec la foi invincible que nous avons à l'existence des corps, doit être rejeté : nous démontrerons dans la Métaphysique que toutes nos idées ne viennent pas des sens; par conséquent le système de Locke et de Condillac est faux. Nous allons faire quelques courtes réflexions sur les deux autres systèmes, celui de Descartes et celui de M. de Lamennais.

Réflexions sur le système de Descartes.

Quand on parle du système philosophique de Descartes, on ne doit pas entendre les opinions particulières qui se trouvent dans ses ouvrages, mais seulement la méthode qu'il croit devoir suivre dans la recherche de la vérité, et qui consiste à ne rien admettre comme certain sans l'avoir suffisamment examiné pour en être pleinement assuré. Jamais il n'a admis le doute général des sceptiques, il s'en explique clairement : son doute méthodique était tout différent. Solidement religieux, comme le fait voir M. Emery, dans son ouvrage intitulé : *Pensées de Descartes*, il mettait hors du domaine de ses recherches spéculatives toutes les vérités fondées sur la révélation divine. Voyez *l'Hist. littér. de Fénelon*, IVe partie.

Toutefois, en n'admettant, au moins théoriquement, que le principe de contradiction comme base de la certitude, et voulant y ramener toujours les autres motifs, impuissants par eux-mêmes, selon lui, à donner une vraie certitude, il heurte les convictions de tous les hommes, fait violence à la nature, et s'il n'ébranle pas plusieurs vérités morales, comme on l'a soutenu, il les fait reposer en dernière analyse sur une discussion métaphysique, inaccessible au plus grand nombre. Ainsi le système de Descartes, excellent sous plusieurs rapports, est incomplet quant à sa base.

Ce philosophe déclare lui-même, en termes exprès, dans ses réponses aux objections contre sa méthode, qu'on le calomniait en disant qu'il voulait trouver des raisons de tout, et ne rien admettre qui ne fût démontré

Quand nous apercevons, dit-il (*Réponses aux secondes objections*, édit. in-4° de 1669, p. 160), *que nous sommes des choses qui pensent, c'est une première notion qui n'est tirée d'aucun syllogisme; et lorsque quelqu'un dit : Je pense, donc je suis ou j'existe, il ne conclut pas son existence de sa pensée, comme par*

la force de quelque syllogisme; mais comme une chose connue de soi; il la voit par une simple inspection de l'esprit.

Il y a beaucoup d'autres vérités qui sont également si claires d'elles-mêmes et à tout le monde, qu'il est impossible de les démontrer ni d'en douter; l'esprit les voit par une simple inspection, les admet comme des points incontestables, et s'en sert pour démontrer d'autres vérités moins claires. On peut néanmoins soumettre ces principes mêmes à une sorte d'examen, non qu'on croie pouvoir en douter, mais pour les expliquer, les coordonner, rechercher et combattre ce qu'on peut y opposer C'est ainsi que les catholiques, sans laisser ébranler leur foi, recherchent et discutent, afin de les renverser, les objections qu'ont peut élever contre les vérités révélées. Ce procédé, ainsi entendu, n'a rien de condamnable. On peut même dire que, bien compris, il n'était pas nouveau. Les auteurs les plus graves l'ont toujours soutenu plus ou moins pour se démontrer à eux-mêmes ou pour démontrer aux autres les vérités qu'ils avaient en vue. Au reste, tout en exaltant sa méthode, Descartes professait ne pas chercher à dire des choses nouvelles, mais des choses justes.

Il l'appliqua avec rigueur à la logique, à la métaphysique, aux mathématiques et aux diverses autres sciences naturelles : sans raisonner toujours juste, il ébranla la philosophie d'Aristote alors dominante, et en prépara la ruine : malgré les nombreux partisans qui la défendaient et l'opiniâtreté qu'on mit à la soutenir, elle s'écroula de toute part. On ne voulut plus croire sur la parole du philosophe; on exigea des raisons qui pussent éclairer l'esprit et le convaincre.

Cette méthode essuya les plus violentes attaques : on l'accusa de ruiner la foi et de conduire à l'athéisme. Des hommes d'un grand talent chez les catholiques, et plus encore chez les protestants, surtout en Hollande, crurent devoir la combattre comme pernicieuse, et le firent avec un acharnement inconcevable. Elle triompha cependant de leurs efforts, pénétra dans les diverses parties de l'enseignement, les modifia et les réforma, mais en subissant elle-même des corrections, surtout quant au fondement de la certitude, ainsi que nous l'avons dit. Depuis lengtemps on la suit partout, jusque dans les écoles de théologie, non pour expliquer le fond des dogmes, mais pour rechercher et apprécier les motifs sur lesquels repose la certitude de la révélation et pour détruire les difficultés qu'on leur oppose.

On peut en abuser, il est vrai, en voulant rendre raison de tout et ne rien admettre dont on n'ait des idées claires : on l'a vu souvent, et nous le voyons de nos jours plus que jamais. Bossuet l'avait prévu et annoncé, en gémissant, dans sa lettre 159, à un disciple du P. Malebranche (t. XXXVII, p. 575). Mais de quoi n'abuse-t-on pas? S'il fallait rejeter ce qui devient pour les hommes une occasion d'erreurs, tout disparaîtrait, même l'Eglise et la religion. Le mal, dont on se plaint avec raison, est-il une conséquence naturelle de cette méthode? Voilà ce qu'il faudrait montrer pour la combattre, et ce que l'on ne démontre pas.

Descartes lui-même fait observer que des hommes, d'ailleurs fort intelligents, ne comprenant pas bien ses principes, les altéraient assez pour qu'il ne pût les avouer siens ; il écrit à ce sujet ces remarquables paroles : « *A l'occasion de quoi je suis bien aise de prier ici nos neveux de ne croire jamais que les choses qu'on leur dira viennent de moi, lorsque je ne les aurai point moi-même divulguées* (*Discours sur la méthode*, 6e *partie*).

Toutefois, nous devons le dire, la difficulté de la question, une application ardente aux spéculations métaphysiques, peut-être aussi les vives contradictions qu'il eut à essuyer, ont conduit Descartes à des hardiesses ou à des obscurités de langage, qui, prises isolément, justifieraient les critiques de plusieurs de ses adversaires. Voyez l'*Histoire littéraire de Fénelon*, par M. Gosselin, part. IV, et *Balmès, Philosophie fondamentale*, t. I, *chap.* 17 et 18.

Réflexions sur le système de M. de Lamennais.

Il est essentiel en toute discussion de se bien entendre, et le seul moyen d'y parvenir est de préciser la question, d'écarter tout ce qui ne la touche pas et de prendre garde d'imputer aux adversaires ce qu'ils ne disent point : car alors les raisons qu'on alléguerait tomberaient à faux. Commençons donc par assigner, s'il se peut, le véritable point qui doit ici nous occuper.

1° Il ne s'agit pas de savoir ce que pourrait faire un homme isolé et sans communication avec ses semblables : jamais Descartes ni ses partisans n'ont prétendu que, pour être philosophe, il fallût tirer toutes ses connaissances de son propre fonds ; on doit prendre l'homme dans la société avec les idées qu'il a reçues, établir entre elles ce qu'on appelle l'ordre logique, et rechercher les motifs sur lesquels reposent nos jugements. Ce procédé n'est point incompatible avec l'opinion qui soutient que les idées des choses intellectuelles ont été révélées par Dieu, et nous sont transmises avec le langage.

2° On ne doit pas, comme l'a fait M. de Lamennais, mettre un fou en scène pour combattre Descartes ; car on ne ramène pas les fous plus aisément à la raison par la voie d'autorité que par le doute méthodique. D'ailleurs, Descartes, ne rejetant point l'autorité, y aurait eu recours au besoin.

3° Accuser les cartésiens d'être ennemis du sens commun, c'est leur dire une injure, mais non les réfuter : jamais ils n'ont combattu le sens commun, ni soutenu qu'un homme pût avoir l'évidence contre tout le monde ou contre la saine partie des hommes. Le fond de l'esprit humain étant le même partout, les propositions vraiment évidentes seront comprises de la même manière par tous les hommes, et ne pourront manquer d'être des vérités de sens commun. Si, au contraire, tous les hommes sensés regardaient une proposition comme fausse, nul homme raisonnable ne soutiendrait qu'elle est évidemment vraie. Supposer un homme raisonnable invinciblement déterminé par son évidence à admettre comme vraie une chose que le sens commun réprouve, est une

chimère : toute hypothèse de cette nature doit être niée sans balancer, comme nous nierions celle par laquelle on nous dirait en plein midi : Croiriez-vous que le soleil est levé, si tout le monde vous disait le contraire? On ne peut donc admettre que l'individu doive préférer sa raison ou sa prétendue évidence à la raison ou à l'évidence commune, parce que la vraie évidence est la même pour toutes les intelligences non viciées, comme le soleil est le même pour tous les yeux non malades ; jamais nos auteurs catholiques, qui ont suivi la méthode de Descartes, n'ont dit le contraire.

4° On parle du principe de certitude, et on dit qu'il faut nécessairement le placer en Dieu, parce que hors de Dieu il n'y a nulle vérité, et que sans Dieu on ne peut rendre raison de rien. Veut-on dire que Dieu est la source de nos connaissances comme de tout ce qui existe, que sans lui on ne peut assigner la première cause de quoi que ce soit? En cela, nulle difficulté, personne ne le conteste. Mais ce n'est point là la question : il s'agit du premier motif qui nous détermine à juger qu'un objet est de telle manière, plutôt que de telle autre. Autre chose est de dire : J'existe, le soleil m'éclaire; il y a d'autres hommes : deux et deux font quatre ; autre chose est d'expliquer comment et pourquoi nous connaissons ces vérités avec certitude.

On trouve encore dans ce qu'on a écrit sur l'importante question du fondement de la certitude, bien d'autres équivoques qui embrouillent la matière et empêchent que l'esprit ne soit satisfait.

La véritable difficulté entre ceux qui défendaient M. de Lamennais et ses adversaires, consistait donc en ce que, selon les uns, nous pouvons avoir une certitude complète dans l'ordre naturel, en nous appuyant sur un ou plusieurs des motifs qu'on a coutume d'alléguer, savoir : le sens intime, l'évidence, la relation des sens, etc., tandis que, selon les autres, nul jugement de l'individu n'est entièrement certain, s'il n'est confirmé par l'autorité du genre humain, ou par la plus grande autorité. Voilà ce que, dans la longue controverse qui a eu lieu à ce sujet, on appelait d'un côté la doctrine catholique et ce que de l'autre côté on s'obstinait à regarder comme un pur système. En ce qui nous concerne, nous n'avons pu y voir qu'un système inutile, faux et dangereux.

1° *Inutile*. On représentait ce système comme un moyen efficace de terminer les disputes philosophiques et théologiques : une fois qu'il serait adopté, tous les ennemis de la vérité devaient être réduits au silence. Au contraire, sans terminer les questions débattues, on en soulevait une nouvelle plus interminable que les autres, sur laquelle on ne pouvait s'entendre.

On répétait, sans en prévenir, ce qui avait été dit il y a deux cents ans contre Descartes; on l'accusait d'avoir introduit une méthode subversive de la foi, conduisant à l'athéisme et au scepticisme. On traitait de cartésiens tous ceux qui n'adoptaient pas la nouvelle méthode dite du sens commun : il fallait, sous peine de renoncer à la foi ou d'être inconséquent, admettre comme unique règle des jugements une prétendue autorité vague qu'on ne savait où prendre, ni comment consulter.

D'une part on demandait des définitions exactes, des principes clairs, des conséquences justement déduites, des raisons propres à convaincre ; d'autre part on répondait qu'en procédant de la sorte, c'était suivre la méthode cartésienne, et qu'on n'en voulait pas : on soutenait qu'il fallait commencer par croire, et que la certitude humaine reposait sur un acte de foi.

Mais, répliquait-on, quel motif détermine cet acte de foi? on ne le dit pas ; qu'est-ce que cet acte de foi? on ne s'est pas mis en peine de le définir. Nous connaissons la foi divine et la foi humaine. Par la première nous croyons les vérités révélées sur la parole de Dieu ; par la seconde nous admettons les faits historiques et certaines vérités naturelles sur le témoignage des hommes. Mais quand nous affirmons, sans crainte de nous tromper, que nous pensons, que nous existons, que le soleil nous éclaire, que deux et deux font quatre, que c'était hier dimanche, etc., est-ce l'autorité de Dieu ou le témoignage des hommes qui nous détermine à juger ainsi? Il est visible que non.

C'est notre nature, disait M. de Lamennais, qui *nous force de croire :* mais cette nécessité de croire, ou *cette foi invincible* [1] est-elle autre chose que l'impossibilité de douter? Ce n'est donc ni une foi divine ni une foi humaine, mais un acte de l'esprit qui admet sans preuve des vérités trop claires pour être démontrées. Si on veut donner à cet acte le nom de foi, il faudrait donc au moins avertir qu'on entend par là un acte de foi d'un ordre particulier, qu'on pourrait appeler foi dans notre nature, et alors on serait d'accord avec ceux qu'on appelle cartésiens.

Toutefois, il aurait été plus simple de s'en tenir à ce qu'on disait auparavant, que d'user de mots nouveaux et mal définis pour dire au fond la même chose.

Rien de si fécond en obscurités que les disputes agitées pendant tant d'années sur les fondements de la certitude. M. de Lamennais et ses partisans disaient qu'on ne les entendait pas, ou qu'on les comprenait mal. Mais d'où venait qu'on ne pouvait les comprendre? de l'obscurité du système. Cela même en prouvait l'inutilité.

Supposons cependant que la plus grande autorité eût été admise comme unique règle infaillible de certitude, qu'y aurait-on gagné? Au premier moment on se serait divisé sur son application : chacun aurait prétendu avoir l'autorité pour soi. Qui aurait prononcé? On en serait toujours revenu, par la force des choses, à la marche ordinaire, et les objections qu'on fait contre la méthode de Descartes peuvent toutes se reproduire quand il s'agit de constater l'existence de l'autorité soutenue par M. de Lamennais, et d'assigner le sens dans lequel elle doit être entendue.

2° En second lieu, disons-nous, ce système est *faux* et plein de contradictions : il consiste principalement à dire que l'homme individuel ne peut avoir de certitude entière qu'en s'appuyant sur le motif de l'autorité du genre humain ; or, cette assertion est manifestement fausse. Quand nous disons : Je suis éveillé, j'écris,

[1] *Défense de l'essai*, p. 141 et 142.

j'étais hier en ville, etc., nous ne craignons pas de nous tromper et nulle proposition ne peut avoir pour nous un plus grand degré de certitude que celles-ci. Cependant nous ne sommes pas déterminés à les admettre par le témoignage des hommes, mais parce qu'elles sont claires chacune à sa manière, et qu'il ne nous est pas possible d'en douter. Quand tous les hommes viendraient nous dire en plein midi qu'il fait jour, en serions-nous plus assurés? Et qu'on ne suppose pas que si tous nous disaient le contraire nous devrions renoncer à notre jugement particulier; car l'hypothèse ne peut être raisonnablement faite.

Si l'homme individuel ne peut avoir aucune certitude, pas même de son existence, qu'en s'appuyant sur l'autorité, comment connaîtra-t-il l'existence de l'autorité et ce qu'elle dit? C'est, disait-on, un fait qu'il constate : mais, comme tous les faits qu'on raconte ne sont pas également vrais, il faut une raison qui motive son assentiment. Cette raison quelle est-elle? est-ce la clarté du fait, son évidence, l'impossibilité d'en douter? dans ce cas on ne dit rien de nouveau, rien dont ne conviennent les adversaires. Ne serait-on pas fondé à demander pourquoi d'autres propositions motivées de la sorte ne seraient pas également certaines?

Dieu est la première de toutes les vérités, ajoutait-on. Oui, *ratione originis :* personne n'en doute ; *ratione motivi,* c'est faux. Si nous avions la moindre raison de douter de notre existence ou de l'infaillibilité de nos perceptions claires, pourrions-nous être certains que Dieu est, ou qu'il y a quelque chose de vrai? Sur quoi nous appuierions-nous pour cela?

De même, pouvons-nous regarder le témoignage des hommes comme un motif certain de juger, si nous ne savons avec certitude qu'il y a des hommes, que nous les entendons, et que leur accord est essentiellement lié avec la vérité? Il faut donc nécessairement en dernière analyse, en revenir à notre jugement particulier, qui doit être infaillible dans ce cas, sans quoi il n'y a rien de certain pour nous.

Dirons-nous donc que l'homme individuel est infaillible? Il ne l'est pas dans ce sens qu'il ne soit point sujet à erreur : mais il faut bien avouer qu'il juge infailliblement au moins en quelque chose, ou admettre le pyrrhonisme universel. Le grand problème à résoudre serait d'assigner les limites de la certitude pour lui de trouver un moyen qui le préservât de toute erreur. Dieu n'a pas voulu nous donner ce privilége sur la terre hors de son Église qui est la colonne de la vérité et ne peut tromper dans son enseignement.

Il existe cependant, pour ceux qui ne la connaissent pas ou qui ne consultent pas ses décisions, beaucoup de choses certaines. A ne consulter que la raison, dans mille circonstances, nous voyons clairement la vérité, dans d'autres clairement la fausseté. Entre ces deux extrémités se trouve le domaine des opinions, et souvent d'un doute légitime; c'est là qu'il faut user de prudence pour ne point s'avancer avec témérité au-delà de ce qui est suffisamment motivé. Ainsi, en plein midi, nous affirmons, sans crai-

le nous tromper, qu'il fait jour, quoique vers l'aurore ou le crépuscule il soit souvent difficile de discerner le jour de la nuit.

On objecte que l'évidence ne nous dit rien sur l'existence des choses, parce qu'il n'y a nulle connexion essentielle entre nos idées et la réalité des objets extérieurs. Il y a encore ici une équivoque qu'il faut faire disparaître; l'objet de l'évidence proprement dite est l'essence des choses : or, cette essence est réelle dans son genre, c'est-à-dire dans l'ordre métaphysique, par là même qu'elle est perçue; car le rien ne peut être l'objet d'une idée. S'il s'agit de l'existence physique des choses contingentes, qui nous sont étrangères, ce n'est point par l'évidence que nous en jugeons; c'est par la relation des sens, par le témoignage des hommes ou par la révélation.

Nous disons, en outre, que ce système est plein de contradictions : en voici quelques-unes seulement, qu'il ne nous paraît pas aisé de concilier. Nous connaissons infailliblement l'autorité générale, et c'est par cette autorité que nous sommes assurés de notre existence; l'infaillibilité de l'autorité générale repose sur Dieu, et l'existence de Dieu nous est manifestée par l'autorité générale; nous admettons l'autorité générale par une foi invincible, et M. de Lamennais veut *désespérer nos croyances même les plus invincibles :* il veut que l'on admette l'autorité générale sans examen, et toutefois il dit que pour connaître cette autorité il faut moins compter les témoignages que les peser. Les peser! avec quoi? est-ce avec l'autorité générale ou avec la raison? Comment accorder tout cela?

Nous ajoutions que ce système avait contre lui la nouveauté, et que c'était une mauvaise recommandation. M. de Lamennais avait beau dire qu'il n'établissait rien de nouveau, qu'il rétablissait seulement la marche de la nature. On ne le croyait pas sur parole : on voulait qu'il montrât par des faits incontestables que toujours on avait suivi la règle unique de l'autorité, que Descartes seul l'avait changée ou obscurcie. Or, il ne cherchait pas même à le faire, il se contentait de l'affirmer en termes violents. Il n'aurait pu, d'ailleurs, entreprendre cette preuve avec espoir de succès; car, dans quelque siècle que nous nous reportions, nous ne voyons point que l'on ait invoqué l'autorité du genre humain, qu'on ait fait de la plus grande autorité le seul motif infaillible de nos jugements; qu'on ait représenté la raison comme incapable par elle-même de certitude, et que l'on ait assigné la foi comme le premier fondement de toutes nos connaissances.

Nous avons rapporté plus haut, en substance, ce que disaient là-dessus les anciens philosophes. Dans les écoles chrétiennes on a toujours distingué la foi et la raison; non qu'on les regardât comme deux souveraines opposées l'une à l'autre, mais on les considérait comme deux moyens d'acquérir des connaissances d'ordre différent.

Au commencement du XVI^e^ siècle, Hirnhayem, abbé des Prémontrés, en Bohême, entreprit de démontrer la nullité du savoir philosophique, d'anéantir l'évidence, le témoignage des sens et de

la raison avec ses axiômes les plus incontestables. Il soutenait qu nulle vérité ne peut nous être connue avec certitude autremen que par une révélation divine.

Peu de temps après parut le célèbre Huet, évêque d'Avranches qui attaqua Descartes et sa philosophie, combattit la raison e ses principes, et soutint que le seul *criterium* de la vérité était l foi, sur laquelle toutes nos connaissances naturelles et surnatu relles doivent être appuyées. Malgré sa réputation et l'immensit de son savoir, son système ne put subsister : il fut vivement at taqué et bientôt oublié.

Celui de M. de Lamennais est à peu près le même ; aussi n'a-t-i pas eu plus de succès. Il a été soutenu avec une véhémence qu'au ront peine à comprendre ceux qui n'ont point été témoins, comm nous, de ces débats. Cependant le nombre de ses partisans a ét petit comparativement à celui de ses adversaires ; encore n s'entendaient-ils guère entre eux.

M. de Lamennais refuse toute infaillibilité aux trois moyens qu nous avons de connaître, qui, selon lui, sont les sens, le sentimen et le raisonnement. Ses défenseurs ont avoué ensuite qu'il ne fal lait pas prendre à la rigueur ce qu'il a dit là-dessus ; que le sen intime est un motif certain de juger ; qu'on peut admettre, sur l témoignage des sens, à peu près ce que disent les logiques ordi naires : ils avaient fini par ne pas même rejeter l'évidence ; seule ment ils voulaient, sous ce rapport, des changements sur lesque ils ne paraissaient pas eux-mêmes bien fixés.

3° Ce système nous paraissait *dangereux* pour plusieurs rai sons : 1° l'auteur ébranle tous les motifs de certitude, méprise cherche à rendre méprisable la méthode qu'on suit dans toutes le écoles, et lui substitue on ne sait quelle règle vague, obscure inintelligible, du moins pour la plupart des esprits. N'est-il pas craindre qu'un jeune homme, se perdant dans ce chaos de diff cultés, ne conclue qu'il n'y a rien de certain ? 2° Les apologistes la religion chrétienne n'ont point basé leurs preuves sur l'autori du genre humain, mais sur les motifs que l'auteur de l'Essai co bat comme insuffisants : aussi ne craint-il pas de dire que c preuves *sont incomplètes, faute d'un premier principe sur lequ elles s'appuient*[1]. Elles ne prouvent donc rien, selon lui : du moi on sera autorisé à le dire. 3° Il compare sa méthode à la métho des catholiques contre les protestants, et prétend que l'autorité g nérale, invoquée par lui, est la même que l'autorité de l'Église. ce n'est pas là un blasphème, c'est au moins une grande téméri et une insigne fausseté. Comment assimiler de la sorte une aut rité purement humaine et contestable à une autorité qui a reçu Dieu même la promesse de l'infaillibilité ? une autorité fantastiq qu'on ne sait où prendre, à une autorité visible qu'on peut toujo interroger, qui parle et se fait entendre ? Cette autorité est seule nécessaire : tout catholique la révère comme divine, et peut souffrir qu'on la compromette de quelque manière que ce s

[1] *Défense*, p. 159.

Voilà ce que nous disions dans l'édition de nos Institutions philosophiques, publiée en 1828. Il nous aurait été facile de pousser nos observations plus loin, et nous aurions trouvé bien d'autres choses à reprendre dans ce qu'avaient déjà écrit M. de Lamennais et les partisans de son système.

Tout en combattant ce système, nous ne nous chargions pas de soutenir celui de Descartes : nous faisions et nous faisons encore profession de ne tenir à aucune école particulière Dans la recherche de la vérité, nous appuyons nos premiers jugements sur les motifs exposés ci-dessus, comme on l'a fait de tout temps : nous prenons pour point de départ les vérités claires par elles-mêmes ; elles sont pour nous le véritable fondement de la certitude Sans en chercher davantage, nous élevons sur cette base l'édifice de nos connaissances naturelles et surnaturelles, sans craindre de le voir chanceler. Nous ne voulons point porter le nom de Cartésien, beaucoup moins encore celui de *Lamennaisien*. surtout depuis les déplorables scandales donnés par M. de Lamennais ; mais nous serons toujours philosophe chrétien et catholique romain.

Le général des Jésuites, à Rome, avait porté en 1827, un décret pour empêcher qu'aucun membre de la Société n'enseignât, quelque part que ce fût, les doctrines du nouveau système, qu'il réduisait à sept propositions ainsi conçues :

1° *Non datur aliud criterium veritatis præter sensum communem.*

2° *Sola fides parit certitudinem.*

3° *Existentia Dei est prima veritas quæ certo cognoscitur.*

4° *Ex existentia entis contingentis male deducitur existentia entis necessarii, hoc est Dei ; sive vitiosum est hoc ratiocinium : Existo, ergo Deus existit.*

5° *Intellectus finitus, hoc ipso quod finitus est, semper et in omnibus est errori obnoxius.*

6° *In scholis christianis prævaluerunt falsa systemata, falsa scilicet quæ ad atheismum et religionis eversionem tendunt.*

7° *Homo, sine consensu communi, neque de sua existentia, neque de sua cogitatione certus esse potest.*

Ces propositions parurent embarrassantes : les partisans du système contre lequel elles étaient dirigées cherchèrent à les expliquer, puis dirent qu'elles étaient supposées. Nous avions la certitude qu'elles étaient authentiques, et nous pouvons encore l'affirmer.

En 1832, treize évêques ou archevêques signèrent une censure de cinquante-six propositions tirées des ouvrages de M. de Lamennais et de ses défenseurs, et la soumirent au souverain Pontife par une lettre commune du 23 avril même année. Presque tous les autres évêques de France adhérèrent à cette censure ou exprimèrent le désir que le Saint-Siége mît enfin un terme à d'affligeantes divisions, en portant lui-même un jugement auquel tout vrai catholique fût obligé de se soumettre.

Parmi les propositions censurées, il s'en trouvait plusieurs qui

renfermaient l'essence du système philosophique dont nous parlons ici, par exemple les suivantes :

32e *Il n'y a point de vérité si évidente pour l'un qui ne puisse être incertaine pour un autre.*

33e *Il n'y a pas de vérité dont chaque individu soit infailliblement, absolument certain par lui-même et sans le concours du sens commun.*

34e *Mais le sens commun ne pourrait-il pas nous tromper? R. Que le sens commun puisse nous tromper ou non, toujours est-il qu'il est pour tous les hommes le plus haut degré de certitude.*

35e *Mais la raison individuelle pourra se tromper en prenant une opinion particulière pour le sens commun. R. Cela est vrai.*

Ces propositions sont déclarées fausses, conduisant au pyrrhonisme et au renversement de la religion.

36e *La règle de la foi catholique est absolument la même que celle du sens commun.*

37e *Le sens commun et le sens catholique sont une même chose.*

Ces propositions, entendues dans le sens de l'auteur, disent les évêques, sont fausses et méritent les mêmes notes que les précédentes.

Le 15 août 1832, le souverain Pontife Grégoire XVI donna sa première encyclique, par laquelle il rappelait formellement aux prêtres l'obligation où ils sont d'obéir en tout aux évêques, de ne jamais rien faire dans le ministère, ni de s'attribuer le pouvoir de prêcher ou d'enseigner sans leur permission; il signalait et condamnait les doctrines dominantes du journal l'*Avenir*, et répondait par là à l'appel de ses rédacteurs, à la tête desquels était M. de Lamennais.

D'après cet acte solennel, il semblait que tous les vrais catholiques, et surtout les prêtres, devaient adhérer au jugement de leurs évêques respectifs, ou du moins cesser dans leur enseignement et dans leurs écrits tout ce qui aurait pu y être opposé. Cependant les disputes continuèrent avec le même ton d'assurance : il y en eut même qui crurent trouver dans l'encyclique de quoi appuyer le système philosophique, sujet de tant de contestations.

Le 25 juin 1834 parut la seconde encyclique de Grégoire XVI, adressée, comme la première, à tous les évêques catholiques de l'univers, portant condamnation solennelle d'un nouvel et trop fameux ouvrage de M. de Lamennais, intitulé : *Paroles d'un Croyant*. Le souverain Pontife y qualifie durement la doctrine de ce livre incroyable ; puis, en terminant, il dit aux évêques :

Probe intelligitis, venerabiles fratres, nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto philosophiæ systemate plane improbando, quo ex projecta et effrenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis doctrinæ aliæ inanes, futiles, incertæque, nec ab Ecclesia probatæ adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.

Il n'y a point à se méprendre sur le sens de ces paroles ; elles

caractérisent évidemment ce qu'on a voulu faire passer sous le nom de doctrine du *sens commun* et d'autorité générale, ce fameux système récemment introduit, tant vanté, comme fournissant seul une base solide à la vérité, soutenu avec tant d'engouement, de suffisance, de hauteur et de mépris pour les contradicteurs : le voilà qualifié de système blâmable et trompeur, renfermant des doctrines vaines, futiles, incertaines, non approuvées de l'Église, soutenues par des hommes légers, amateurs de nouveautés, qui le croyaient faussement propre à soutenir et à appuyer la vérité.

Cette encyclique a été reçue et publiée par tous les évêques de France, qui l'ont interprétée dans ce sens. A Rome, on a dressé, dès 1834, une formule de soumission aux deux encycliques, et on en exige la souscription de tout ecclésiastique étranger qui se présente pour les saints ordres, et dont les sentiments n'inspirent point assez de confiance. Elle est ainsi conçue :

Ego infra scriptus, sacros ordines suscepturus, profiteor me epistolas encyclicas sanctissimi Domini nostri Gregorii XVI, datas die 15 *augusti anni* 1832 *et* 25 *junii* 1834, *suscipere cum debita intellectus et voluntatis submissione, promittens me doctrinam in illis expositam unice probaturum et secuturum, doctrinasque et opiniones in eis reprobatas sincere et ex animo reprobaturum sine ulla distinctione vel restrictione, itemque novum systema philosophicum, de quo mentio est in secunda encyclica, tanquam fallax et improbandum, rejecturum esse sicut quamcumque aliam novitatem doctrinæ in encyclicis contentæ contrariam. Promitto insuper me nunquam consensurum aut participaturum consiliis eorum qui dictarum encyclicarum auctoritatem enervare conantur quocumque prætextu, aut eas ad proprium ipsorum sensum detorquere, nec quidquam facturum, scripturum aut dicturum quo talia consilia probare videar. Datum Romæ,* etc.

Il ne s'ensuit pas, sans doute, que les ouvrages de M. de Lamennais ne renferment rien de vrai, nous sommes loin de le dire ; mais ils sont pleins de propositions mal sonnantes, exagérées, fausses, dangereuses, et ce qui constitue son système est hautement blâmé et improuvé par le corps enseignant de l'Église, qu'il n'est plus permis à aucun catholique de le soutenir. Tous doivent dire, comme saint Augustin parlant de la condamnation des Pélagiens (*Sermon.* 131, t. v, p 645) : Deux constitutions sont venues de Rome ; la cause est terminée ; puisse l'erreur disparaître aussi ! *De hac causa duo concilia* (Carthaginense et Milevitanum de quibus idem S. Aug. Epist. 175 et 176, t. II, p. 617, et seq.) *missa sunt ad Sedem Apostolicam ; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est ; utinam aliquando finiatur error !*

Voyez Balmès, *Phil. fond., t.* I, *ch.* 23 ; *Hist. litt. de Fénelon, part.* IV.

II. DISSERTATION

SUR PLUSIEURS AUTRES SYSTÈMES

EN CE QUI CONCERNE LA VÉRITÉ ET LA CERTITUDE.

Il est nécessaire ou au moins très-utile que les élèves de philosophie, dans les séminaires, aient des notions justes sur les principaux systèmes qui occupent maintenant ou ont occupé récemment les esprits, afin de ne pas être étrangers à ce qu'en pourraient dire les personnes avec lesquelles ils se trouveront en relation, ni à ce qu'ils auront occasion de lire dans les écrits du jour.

Outre le système de M. de Lamennais, qui a eu pendant quelques années un grand retentissement, on a beaucoup parlé du système de *Kant* et de l'école allemande, du nouvel éclectisme, de l'école écossaise, de l'école du progrès, et dernièrement de l'école de M. Bautain. Donnons un court aperçu sur chacune de ces écoles.

1° *Système de Kant.*

Pour faire connaître le système de *Kant*, nous ne croyons pouvoir mieux faire que d'emprunter l'exposé suivant à une remarquable dissertation du P. *Perrone*, reproduite dans les *Annales de philosophie chrétienne*, t. XXV, p. 286.

« Kant, recherchant les éléments de la connaissance humaine, « reconnut deux éléments de cette connaissance, ou plutôt de l'ex- « périence qui la produit, le *sujet* et l'*objet;* mais de telle sorte « que le sujet, recevant les impressions de l'objet, les modifie se- « lon les formes nécessaires subsistantes en lui *a priori*. D'où il « suit que l'esprit ne peut, en aucune façon, connaître l'objet tel « qu'il est réellement, mais seulement le *phénomène* ou l'appa- « rence de l'objet; car les objets ne sont perçus que par les *for- « mes* subjectives que nous leur imposons. Or, ces formes mon- « trent simplement comment nous concevons les objets, et non « comment ils sont réellement. Les choses en soi, que Kant ap- « pelle *noumènes* ou êtres de raison, nous demeurent donc entiè- « rement inconnues, car l'expérience des sens ne nous donne que « des *phénomènes*, c'est-à-dire des apparences, et l'intelligence « ne nous donne qu'un ordre purement *idéal*. Par conséquent, « l'âme et Dieu, qui ne peuvent être connus par l'expérience des « sens, se trouvent au rang des petits concepts de raison ou *nou- « mènes*, dont nous ne pouvons nullement savoir s'ils existent vé « ritablement ou substantiellement, si même ils sont possibles. Kan-

« les élimina donc de la science, qu'il restreignit à sa *somatologie* « ou science des corps. Mais à quoi se réduisait, après tout, cette « science phénoménale des corps, à s'en tenir aux principes de « Kant? Il est facile de le voir, quand on se rappelle que Kant a « placé le temps et l'espace parmi les formes *subjectives*, et que le « principe même de la *causalité* est pour lui une *catégorie* purement « *subjective*. D'où il résultait que les causes de ces phénomènes, « c'est-à-dire les corps, causes de nos sensations, étaient aussi « complétement *subjectives*, et, conséquemment, qu'il n'était nul- « lement prouvé qu'elles ont une existence hors de nous [1]. »

Ainsi quelles qu'aient été les véritables intentions de Kant, *il nous plonge dans l'idéalisme le plus universel, dans l'illusion subjective la plus profonde. Il nous emprisonne dans une sphère de songes, telle qu'il ne nous est plus permis de la franchir pour arriver à aucune réalité. C'est au point qu'il ne fait pas seulement l'homme incertain de ce qu'il sait; il le déclare absolument incapable de rien savoir; c'est alors le scepticisme perfectionné, consommé, le scepticisme qui, sous ce nouveau nom de criticisme, anéantit l'humanité même, laquelle n'existe que parce qu'elle connaît* [2].

« Néanmoins, tout en ôtant à la *raison théorétique* toute possibi- « lité de connaître l'existence de Dieu, la spiritualité et l'immor- « talité de l'âme, la vie à venir, en un mot, toutes les vérités mé- « taphysiques, Kant les admettait d'ailleurs, en vertu de la *raison* « *pratique*, comme *postulats*, et les tenait pour *certaines*, à cause « des besoins pratiques, c'est-à-dire parce que, dans la pratique « de la vie, on ne peut pas s'en passer. La partie historique du « christianisme ou de la révélation, se trouve placée au rang des « *phénomènes* : son contenu entre naturellement, d'après la théo- « rie kantienne, dans la classe des *noumènes*, c'est-à-dire des « choses qu'il est totalement impossible de connaître. »

Ce système n'est pas seulement nébuleux et souvent inintelligible; mais autant que nous pouvons le comprendre, il est plein de suppositions gratuites et de contradictions; il devait avoir et il a eu, en effet, en Allemagne surtout, des conséquences désastreuses.

2° *Système d'Hermès.*

A l'école de Kant nous rattacherons les doctrines d'un écrivain tristement célèbre dans ces derniers temps, quoiqu'il ait cherché à se poser comme l'adversaire du philosophe de Kœnigsberg.

Georges Hermès, né à Dregelwald, dans la principauté de Münster, en 1775, ordonné prêtre en 1799, successivement professeur à l'université de Münster en 1807, et à celle de Bonn en 1819, mourut en 1831, dans cette dernière ville.

En 1819, il publia son *Introduction philosophique*, première partie d'un grand ouvrage de théologie que nous n'avons pas à

[1] « Cette observation a été faite par d'autres, et même par Buhle, histo- « rien allemand de la philosophie, comme le prouve l'illustre Galiupi dans « sa réfutation de Kant. » — [2] Rosmini, *Nuovo saggio*.

examiner ici. Dès sa jeunesse, il avait eu une grande estime pour Kant, *qui avait démontré que la métaphysique des anciens manquait de fondement;* mais il rencontrait encore en lui des erreurs, et louait *Fichte*, pour avoir prouvé que la philosophie kantienne pouvait se soutenir. Vers la fin de ses études théologiques, il avait conçu des doutes *sur Dieu, la révélation, la vie éternelle*, et ces doutes, qui durèrent plus de vingt ans, ne l'empêchèrent pas d'enseigner, ni d'exercer les fonctions du sacerdoce!

Le point de départ de la philosophie *hermésienne* est un doute non pas seulement méthodique, mais *positif, sérieux* et *illimité*. Pour arriver à la connaissance de la vérité, il faut d'abord renoncer à toutes ses convictions. Mais après avoir ébranlé avec Kant toute certitude objective, comment Hermès veut-il que l'on puisse ressaisir la vérité? Il distingue deux sortes de raisons : l'une *théorique*, dont la force consiste à établir la cause d'un fait, en prouvant *qu'il doit y en avoir une* et *qu'il ne peut y en avoir une autre que celle dont il s'agit*. Mais il est évident que bien peu souvent l'on pourra avoir ainsi la démonstration théorique d'une vérité : que faire alors? Recourir à la *raison pratique*, qui donnera la *certitude morale*, c'est-à-dire celle qui naît d'un *assentiment moralement nécessaire* et lui est intimement unie.

Nous ne descendrons pas dans le détail d'un système psychologique plein d'obscurités de toutes sortes. Nous ferons seulement remarquer, avec le P. Perrone, qu'il y a abus de la raison dans ce doute positif et illimité qui fait la base de la philosophie d'Hermès, et dans l'alternative où il met de choisir entre un scepticisme positif et un dogmatisme mal fondé; qu'il est absurde de réduire toutes les vérités et les axiômes mêmes des mathématiques à une pure pensée *subjective*, comme si elles n'étaient que le produit de l'intelligence; qu'il est absurde de dire que pour être certain de sa propre existence, il faille remonter une série infinie d'actes de la conscience, dont l'un serait la preuve de l'autre. Nous ferons observer que dépouiller la connaissance de tout élément rationnel pour la considérer uniquement dans sa partie matérielle et sensible, c'est s'enfermer dans un pur sensualisme, un empirisme complet; nous aurions à relever bien des équivoques, bien des sophismes, spécialement sur l'incertitude des *intuitions sensibles externes*. Voyez les *Annales de philosophie chrét.* t. XVII, *Hist. de l'Hermét.*, etc., t. XXV et XXVI, une dissertation remarquable du *P. Perrone*, où nous avons puisé ce que nous avons dit.

Nous n'avons pas à relever ici les conséquences désastreuses pour la foi qui ressortent du système d'Hermès; ce système a été condamné par le souverain Pontife en 1835, et malgré ce décret, malgré le zèle de l'archevêque de Cologne, il trouve encore quelques défenseurs.

3° *Éclectisme.*

Au commencement de notre ère, les philosophes grecs et romains qui tenaient à quelque chose, et qu'on appelait dogmati-

ques, étaient harcelés d'une part par les nombreux sceptiques, qui les attaquaient vivement et profitaient de leurs divisions pour les combattre avec succès ; de l'autre, par les docteurs chrétiens, qui leur opposaient la sublimité de l'Évangile et la perfection de sa morale. Ils sentirent le besoin de se réunir dans un même principe, afin d'être plus forts contre leurs ennemis communs. S'appliquant donc à concilier, autant que possible, les différents systèmes, ils prenaient ce qu'ils y trouvaient de commun et de plus aisé à soutenir, rejetant le reste comme inutile ou ne méritant point la même attention ; cet amalgame fut appelé *syncrétisme*, qui veut dire réunion ou *éclectisme*, qui signifie choix. Ce système soutenu par les plus célèbres philosophes de ce temps-là, tels que Longin, Plotin, Porphyre, Jamblique, n'eut pas plus de succès que les autres; toutes ces vaines spéculations philosophiques, sans bases et sans règles, ne purent tenir devant les doctrines chrétiennes si claires, si solides et si parfaitement coordonnées ; elles s'évanouirent comme de la fumée et il n'en fut plus question.

Dans le dernier siècle, la philosophie ayant fait divorce avec la religion et affecté de ne plus reconnaître que la raison, les systèmes se sont de nouveau multipliés de manière à jeter, dans cette partie des connaissances humaines, une horrible confusion. Ceux qui les étudient, les comparent et réfléchissent, voient l'impossibilité de les soutenir séparément : ils reviennent à l'*éclectisme*, et disent, les uns, avec M. Cousin, que *tout est vrai pris en soi, mais peut devenir faux si on le prend exclusivement* [1], que *l'erreur n'est pas autre chose qu'une vérité incomplète convertie en une vérité absolue ; qu'il n'y a pas d'autre erreur possible* [2] ; qu'*en réunissant tous les systèmes incomplets, on aurait une philosophie complète* [3]. D'autres prétendent que dans tous les systèmes les plus opposés il y a des fragments de vérités qu'il faut rechercher et recueillir pour avoir une bonne philosophie, et c'est à quoi ils s'appliquent.

Th. Jouffroy, disciple de M. Cousin et plus tard son associé dans l'enseignement de la philosophie, se montra défenseur ardent de l'éclectisme.

L'organisation de la philosophie présente les plus graves difficultés, il en convient ; mais il croit qu'il peut arriver à les lever enfin, à l'aide de deux principes : 1° que tous les systèmes philosophiques ne sont que différents points de vue de la vérité ; 2° que la vérité est de même nature en métaphysique qu'en physique ; qu'elle n'est que la connaissance de la réalité à laquelle l'observation peut et doit conduire.

M. Damiron ne s'est pas prononcé moins ouvertement pour l'éclectisme. Du reste, rien de plus vague, de plus insaisissable et de plus faux que ses principes philosophiques.

Les ouvrages de ces écrivains et de plusieurs autres que nous ne nommons pas, ont répandu ce système dans un grand nombre d'esprits.

[1] *Cours d'histoire de la Philos., leçon* 6, p. 29. — [2] *Leçon* 7, p. 6. — [3] *Fragm. de philos., préf.* p. XLVIII.

Mais 1° dire avec M. Cousin que tout est vrai, pris en soi, est une fausseté évidente ; car tous les jours les philosophes comme les autres affirment des choses qui ne sont point, et nient des choses qui sont : ils expriment donc le faux et trop souvent le soutiennent avec entêtement. Nous ferons remarquer en outre combien les expressions de M. Cousin sont obscures et laissent de vague dans l'esprit. 2° Dire que pour faire une bonne philosophie il faut ramasser les parcelles de vérités qui se trouvent dans les différents systèmes, c'est une assertion vaine et illusoire ; car qui fera cette recherche? quelle règle suivra-t-on pour faire le discernement? L'un choisira d'une manière, et l'autre d'une manière opposée : chacun prétendra avoir la vérité, et souvent ils se tromperont tous les deux. C'est donc encore un système qui n'a point de principe de vie et ne peut se soutenir.

3° Le mot même d'*éclectisme*, qui en soi n'a rien de mauvais et pourrait être pris dans un bon sens, entendu comme on l'entend, n'est que l'expression de l'indépendance de la raison, d'un rationalisme absolu. Le christianisme, aux yeux de ces philosophes, n'est qu'un système où l'on peut puiser, comme dans tous les autres, de nombreuses vérités ; mais il n'est qu'une forme périssable qui touche à sa fin. Sa doctrine exclusive a enfin cédé, disent-ils, aux efforts de la raison, qui s'élève plus haut et voit la vérité partout où elle se trouve. Il est aisé de voir quelles funestes conséquences résultent de ce système pour la foi et pour la morale.

4° *École écossaise.*

Thomas Reid, né en 1710, professeur de philosophie morale à l'université de Glascow, en Écosse, se déclara l'adversaire de Hume et de tous ceux qui avaient tendance au matérialisme ou au scepticisme. Dugald Stewart, le plus distingué de ses disciples, marcha sur ses traces, développa ses principes, et compléta un système de spiritualisme qu'on a appelé l'école écossaise et qui a maintenant encore un grand nombre de partisans.

Le principe fondamental de cette école, c'est de procéder par voie d'observation intérieure, de commencer toujours par examiner avec soin ce qui se passe en nous, nos idées, nos sentiments, nos pensées et leurs relations ; et après avoir constaté les règles auxquelles notre esprit est soumis dans ses opérations, de ne point aller au-delà, de ne rien affirmer en ce qui concerne Dieu, la nature, l'origine, les devoirs ou la destination du sujet qui pense en nous, parce que toutes ces choses sont hors de la portée d'un philosophe. Après les faits intérieurs propres à chacun, il n'y a d'autre règle de connaître philosophiquement la vérité, que la règle d'induction ou de sens commun qui consiste à examiner le degré d'intelligence qui est dans chacun, dans les ignorants comme dans les savants, et à le prendre comme signe de vérité[1].

[1] Voir les ouvrages de *Th. Reid*, traduits en français par M. Jouffroy, 6 vol in-8° ; ceux de *Dugald Stewart*, traduits par le même, 3 vol. in-8° ; et Riambourg, *Du rationalisme et de la tradition*, IV.

Ce système a donné lieu à bien des observations utiles, et a fait faire, sur plusieurs points, des progrès véritables à la psychologie. Mais il nous a toujours paru faux et difficile à plus d'un égard, et surtout incomplet. 1° *Faux* au moins en plusieurs points, en ce qu'il ne tient pas compte du raisonnement, en ce qu'il veut amener toutes les connaissances philosophiques aux seuls faits intérieurs à l'homme, en ce qu'il regarde comme inaccessibles au philosophe des vérités sans lesquelles il ne peut y avoir de vraie philosophie, etc. 2° *Difficile*, car n'est-il pas beaucoup plus difficile d'observer et d'apprécier justement les faits de notre intérieur que ceux qui frappent nos sens, et y a-t-il plus de raison pour nous de douter des faits sensibles que des faits intérieurs? Ensuite, qu'est-ce que cette règle d'induction tirée du sens commun? qui observera ce degré d'intelligence commun à tous les hommes? Comment s'assurera-t-on qu'on en fait un juste discernement? 3° *Incomplet*, parce qu'il ne comprend pas toutes les vérités essentielles en un cours entier de philosophie, et parce qu'il ne donne aucun moyen certain de passer des faits intérieurs à ce qui est hors de nous.

D'après cela, tout en rendant justice aux services rendus par l'école écossaise, nous croyons qu'il serait dangereux de se renfermer dans un cadre aussi restreint, et que ce système ne serait pas sans péril pour la foi aux vérités religieuses elles-mêmes.

5° *De l'école du progrès.*

On a beaucoup parlé depuis quelques années de progrès, et par là on entendait la perfection de l'homme, non la perfection de la vertu, telle que l'Église l'a toujours comprise et recommandée, mais l'avancement dans la science, dans l'industrie, dans l'économie et ce qui constitue le bonheur de l'homme sur la terre. Des jeunes gens pleins de talents et de connaissances, travaillant avec ardeur, écrivant avec énergie, tels que les rédacteurs du *Globe* dans un temps, ceux du *Producteur* et plusieurs autres, mirent en avant ces maximes de progrès et de perfectibilité indéfinie pour l'homme ici-bas, sans s'inquiéter de ce qu'il deviendrait après la mort, ou du moins n'en disant rien. Cette théorie n'était que le développement et l'application des principes de l'éclectisme, tel qu'il a été exposé plus haut. De là naquit ce que l'on a appelé, du nom de son fondateur, le *saint-simonisme*, dont la maxime fondamentale était la plus grande somme possible de bonheur pour l'homme sur la terre. Les partisans de cette doctrine en firent une sorte de religion qu'ils prêchèrent avec enthousiasme; mais comme ils n'avaient point de base solide ni de principes fixes, ils se perdirent dans un vague indéfinissable, se divisèrent, tombèrent dans l'absurde, dans le ridicule, et leur secte éphémère se dissipa comme un brouillard.

Pierre Leroux, d'abord attaché à l'école *saint-simonienne*, la quitta de bonne heure pour formuler un système particulier. Il est un des adversaires les plus prononcés du catholicisme, dont il attaque tous les dogmes avec acharnement.

Selon lui, la base de toute vérité est le témoignage des hom-

mes, non des hommes de tous les temps, mais des temps qui précèdent celui dans lequel on vit. La raison en est que, l'humanité progressant toujours, la plus grande somme de vérités se trouve au dernier terme où l'on puisse la considérer.

Tous les systèmes, toutes les doctrines ont été bonnes et vraies pour leur temps : ce sont des formes passagères, qui cèdent tour à tour à l'invincible loi du progrès.

Ce progrès repose sur deux bases, le travail individuel qui découvre la vérité, et l'autorité des hommes qui la confirme. Ainsi s'accordent, dit-il, l'école catholique et l'école philosophique. C'est bien peu connaître l'une et l'autre école.

Nous n'avons pas à parler ici des idées absurdes de Pierre Leroux sur Dieu et son développement ou ses évolutions par la nature, sur l'origine du monde et de l'homme, de son mysticisme étrange et bizarre, tant pour la forme que pour le fond, enfin de ses doctrines actuelles, et du panthéisme réel qui en est la dernière raison. Nous y reviendrons plus tard.

Dans ses derniers ouvrages, M. de Lamennais embrasse ouvertement le système du progrès, et on ne sait plus ce qu'il pense sur Dieu et sur les sources de la vérité. Nous reconnaissons aussi la possibilité du progrès, mais en partant de ce qui est vrai, tant en philosophie qu'en religion, en procédant de manière à éviter l'erreur, et en ne perdant jamais de vue la vraie destinée de l'homme, qui est la vertu sur la terre et sa récompense dans le ciel. Toute autre philosophie est nécessairement creuse, fausse, dangereuse ou au moins inutile.

6° *École de M. Bautain.*

M. Bautain, nouvellement converti de l'incrédulité du siècle à la foi chrétienne, après de courtes études théologiques, élevé au sacerdoce à Strasbourg et mis à la tête du petit séminaire du diocèse, se fit connaître d'abord par des articles de journaux écrits avec âme ; puis, en 1833, il publia un opuscule intitulé : *De l'enseignement de la philosophie en France au* XIX^e^ *siècle*, qu'il donnait comme la préface d'un grand ouvrage auquel il ne restait plus qu'à mettre la dernière main et qui n'a point paru.

Dans cette brochure, il attaquait vivement et renversait les systèmes de Condillac, de l'école écossaise, des éclectiques et de M. de Lamennais, soutenait que la raison humaine, soit particulière, soit générale, ne peut jamais obtenir par elle-même une entière certitude, parce que de sa nature elle est toujours sujette à l'erreur ; assignait pour unique fondement de la science métaphysique, et en général, de toute philosophie, la révélation divine ; prenait pour point de départ les Livres saints conservés et interprétés par l'Église, dans lesquels, disait-il, tout ce qui est vrai se trouve renfermé, et ne voulait pas reconnaître d'autre règle de certitude métaphysique. Il a persisté dans ses assertions, les a renouvelées dans un article de la *Revue Européenne*, t. VI, p. 630 et suiv., et dans ses réponses à M. l'évêque de Strasbourg.

D'autres écrivains les ont, au contraire, fortement combattues, entre autres l'*Ami de la Religion*, t. LXXXIII, nos 2377, 2382, 2384 et 2407. M. de Trevern, évêque de Strasbourg, qui avait donné des marques d'une bienveillance spéciale à M. Bautain, essaya vainement de réformer ses idées ; voyant qu'il n'en pouvait rien obtenir de satisfaisant, il dénonça ses principes comme pernicieux, dans un avis public adressé au clergé et aux fidèles de son diocèse, le 15 septembre 1834. Le souverain Pontife Grégoire XVI a loué cet écrit par un bref du 20 décembre suivant.

Le système de ce nouveau docteur est donc solennellement improuvé, et par là même doit être rejeté.

Il est d'un vague extrême, n'est appuyé sur aucune base clairement dessinée et solidement posée. L'auteur part de la révélation, sans montrer nettement l'existence de cette révélation et son interprétation certaine. Il paraît qu'en assignant les Livres saints de l'ancien et du nouveau Testament comme source de toute certitude, il entend parler seulement de la certitude métaphysique ayant pour objet le monde supérieur, de sorte que, hors de l'Église et de son enseignement, il soit impossible à un philosophe d'arriver à une certitude complète des vérités métaphysiques, morales et religieuses ; mais que, sur toute autre matière, il admet les moyens ordinaires de certitude, reconnaît comme nous qu'il y a une multitude de choses vraies qu'on peut connaître avec une entière certitude, qui ne sont point dans les Livres saints et ne se prouvent point par l'enseignement de l'Église : telles sont les vérités physiques, les faits historiques, les propositions logiques, mathématiques, etc.

On nous avait transmis cette observation de Strasbourg. Nous l'accueillîmes avec joie, quoique les restrictions de l'auteur ne donnassent pas encore toute satisfaction aux vrais principes, et dans l'espérance que les saines doctrines reprendraient entièrement leurs droits. Car nous regrettions vivement qu'un esprit aussi distingué se fût laissé entraîner dans une théorie que nous étions obligé de combattre. Nous faisions des vœux pour qu'il fît disparaître toute équivoque de son enseignement et le rendît clairement catholique. C'est ce qu'il a fait très-heureusement, et il n'a pas balancé à désavouer ses erreurs, comme on peut le voir surtout dans l'introduction de sa *Philosophie morale*.

On ne peut que s'affliger en voyant des hommes éminents s'égarer de la sorte. Heureux ceux qui, après s'être trompés, reconnaissent la vérité et y reviennent franchement! Rien n'est plus propre à nous maintenir dans une humble défiance de nous-mêmes, que la considération de cette grande faiblesse des esprits les plus élevés.

PARS SECUNDA.

METAPHYSICA.

Sub nomine *metaphysicæ* multi nunc quamdam sibi fingunt scientiam subtilem, abstractam, intricatam ac inutilem, opinionibus contradictoriis et speculativis systematibus sese destruentibus scaturientem. Fatendum est vulgare hoc præjudicium omni fundamento destitutum non esse : plurimi namque auctores non paucas hujus generis quæstiones tractant, et in obscuras interminabilesque disputationes abeunt. Nos vero ab hujusmodi controversiis abstinendum ducentes, solummodo veritates gravis momenti, quæ in hac parte philosophiæ tractari solent, dilucide et, quantum poterimus, solide conabimur astruere.

Vox *metaphysica* ex duobus vocabulis græcis, μετὰ, *supra*, et φύσις, *natura*, formatur. Per naturam vulgo intelligitur mundus sensibilis, seu materialis.

Metaphysica igitur est scientia de entibus supra naturam corpoream positis tractans. Duplici modo ens a natura corporea distingui potest, scilicet, per mentis abstractionem, ut finitum in genere, quod extra mentem illud concipientem non existit, et per naturam suam ; tales sunt substantiæ incorporeæ, nempe, Deus, Angeli et mentes humanæ. Unde metaphysica in duas partes communiter dividitur, videlicet, in metaphysicam *generalem*, quæ de ente abstracto disserit, et in metaphysicam *specialem*, quæ de entibus a materia ex natura sua segregatis tractat : prior vocatur *ontologia* et posterior *pneumatologia*.

DISSERTATIO PRIMA.

DE ONTOLOGIA.

Ontologia, a verbis græcis λόγος et ὤν, idem significat ac *sermo de ente*, et definiri potest : *Scientia rerum et earum relationum in genere*. Dicimus *in genere*, quatenus ad classes quasdam seu species reducuntur propter qualitates ipsis communes. In ea dissertatione, semper ab existentia abstrahemus, quæ quidem, ut videbitur, mere possibilis esse potest, si agitur de entibus contingentibus; necessaria vero est, si de ente *simpliciter* seu infinito, cujus ipsa idea existentiam importat. De entibus sic abstracte consideratis idea positiva haberi potest, et ideo, huic dissertationi titulum dedimus de *ontologia*, sive ente in genere. Pauca in ea dicemus eaque trademus tanquam prolegomena ad pneumatologiam, quæ est proprie metaphysica, agemus ergo breviter in quinque capitibus, 1° de notione, essentia et possibilitate entis in genere ; 2° de ejus causis et effectibus ; 3° de ejus speciebus ; 4° de ejus proprietatibus, et 5° de spatio et duratione.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTIONE, ESSENTIA ET POSSIBILITATE ENTIS IN GENERE.

Ens dicitur quidquid existit vel existere potest. Notio entis est prima omnium notionum, non eo sensu quod ab initio sit expressa in mente, vel in primo rationis exercitio explicite agnoscatur ; sed, cum nihil possimus cogitare quin sit ens quoddam, sequitur notionem entis prioritate rationis omnem cogitationem præcedere aut saltem in ea includi et cum ea se exhibere.

Ens quibusdam attributis in esse suo determinatur : porro hæc attributa vocantur ipsius *essentia*. Essentia igitur est complexio attributorum sine quibus res nec esse nec concipi potest. Sic essentia hominis consistit in intelligentia et in animalitate.

Possibilitas est consensio attributorum inter se, quia quando attributa non sibi contradicunt neque sese destruunt, ad existentiam adduci valent. Sic possibilis est mons aureus, impossibilis vero circulus quadratus.

Quærere solent metaphysici an rerum possibilitas et essentia ab omnipotentia Dei pendeant.

R. 1°. Si supponeretur Deum non existere, nulla res possibilis esset, quia Deus est suprema veritas et fons unicus omnium entium existentium et possibilium.

R. 2°. Possibilitas rerum ab omnipotentia Dei non pendet : nam 1° impossibile percipi non potest ut possibile : at si possibilitas rerum ab omnipotentia Dei penderet, impossibile percipi, etc.; v. g., percipi posset mons sine valle, baculus sine duobus extremis, circulus quadratus, etc., quod evidenter repugnat. 2° Omnipotentia Dei exerceri non potest sine voluntate ; voluntas agere non potest sine cognitione objecti ; objectum autem cognosci non potest, nisi sit possibile : ergo omnipotentia Dei supponit et non facit rerum possibilitatem. 3° Si possibilitas rerum a voluntate Dei penderet, mutabilis foret : porro immutabilis est ; nam mutari non posset quin ideæ Dei mutentur, siquidem, mutatione facta, Deus perciperet ut possibile quod impossibile erat, aut vice versa : atqui dici non potest ideas Dei mutari posse. Ergo, etc. Unde omnipotentia Dei habet pro objecto quidquid possibile est ; non vero impossibilia, quæ nihil sunt. Hinc erravit *Descartes*, qui, falsa pietate delusus, contrarium affirmavit.

R. 3°. Duplex distinguitur essentia, metaphysica scilicet et physica : essentia *metaphysica* est ipsa attributorum consensio, et a possibilitate non distinguitur. Essentia vero *physica* est eadem attributorum consensio extra ideas posita, seu realiter existens : igitur ab existentia rerum non discrepat.

Ad essentiam metaphysicam refertur possibilitas *intrinseca*, ad essentiam physicam possibilitas *extrinseca*, quæ, scilicet, consideratur non abstracte, sed in ordine ad existentiam, et potentia Dei nititur.

Certum est metaphysicas rerum essentias a voluntate Dei non magis pendere quam possibilitatem a qua non distinguuntur. Unde Deus, licet omnipotens, efficere non potest ut pars totius eodem toto sit major, ut triangulum, idem remanens, tribus angulis et tribus lateribus non constet, ut bis duo dent quinque, ut existat mons sine valle, etc.

Hinc rerum essentiæ metaphysicæ absolutæ, æternæ, necessariæ sunt ac immutabiles : eodem modo illas semper percipimus, et perceptio nostra variari non potest, nisi quoad extensionem.

Non tamen inde sequitur plura simul existere entia æterna et infinita ; nam essentiæ metaphysicæ, quas Deus ab æterno videt, sunt archetypi entium possibilium, non vero entia realiter et ab æterno existentia.

Essentiæ vero physicæ seu existentiæ a voluntate Dei pendent : sunt igitur contingentes et mutabiles, et non nisi consequenter dici possunt immutabiles, posito videlicet Dei decreto eas sic constituente.

Essentia igitur metaphysica prius concipitur in ente, ipsi est intrinseca et omnium aliarum entis proprietatum fundamentum. In Deo autem essentia metaphysica ab essentia physica non distinguitur, quia Deus non potest esse mere possibilis.

Aliquando dicitur conceptum nostrum mensuram esse possibilitatum, non certe in eo sensu quod omnia possibilia cognoscamus, sed tantum quod ea quæ contradictoria clare percipimus, sint impossibilia.

Essentia, sive metaphysica, sive physica, dicitur etiam natura. Attamen vox *natura* majorem habet extensionem quam essentia : complectitur enim attributa ens constituentia et quidquid ab eis profluit. Unde ea sunt essentialia sine quibus ens nec esse nec concipi potest ; et ea sunt naturalia quæ reperiuntur in ente vi ipsius essentiæ :

v. g., radices, truncus, rami sunt partes arboris essentiales : talis amplitudo, altitudo, extensio, flores, fructus in tali vel tali quantitate exstantes, sunt partes naturales.

Ut recte intelligatur quænam sint attributa essentialia cujuscumque rei, necesse est advertere sub quonam respectu consideretur ; inde enim amplior vel e contra minor fit hujusmodi attributorum complexio. Sic, quod constituit essentiam rei in tali classe vel genere consideratæ, non jam sufficit, si ad singulariorem speciem referatur.

Quæ ab essentia entis provenire nequeunt, et tamen existunt, videnturque quasi dona qualitatibus constitutivis superaddita, causæ supernaturali tribuenda sunt, et dicuntur supernaturalia; v. g., auxilia gratiæ ad adjuvandam naturam nobis concessa.

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS ENTIUM.

Quidquid existit habet vel supponit rationem cur existat, id est, principium a quo procedat, vel causam cujus sit effectus. Illud vocatur generatim *principium* quod rationem alterius continet : quando est velut fons ex quo *aliud*, non realiter distinctum, saltem quoad ipsam substantiam, *emanat*, nomen principii retinet; sic Deus est principium possibilitatis omnium rerum, mens humana principium cogitationis, etc. Ubi vero producit *aliquid a se proprie distinctum*, habet nomen causæ. Causa igitur est id cujus efficacia aliquid existit. Quod autem producitur, vocatur effectus, et ratio qua causa effectum suum producit, dicitur medium : sic artifex est causa, opus ab eo factum est effectus, et instrumenta quibus utitur sunt media.

Causa multipliciter dividitur, nempe :

1° In causam efficientem, materialem, formalem,

exemplarem et finalem. *Causa efficiens* est ea quæ sua actione producit effectum; *causa materialis* est materia ex qua res efficitur; *causa formalis* est dispositio quæ rem ad tale genus, talem speciem et tale individuum determinat; *causa exemplaris* est idea vel imago per effectum repræsentanda; *causa finalis* est scopus ab agente intentus. Sit in exemplum statua : statuarius est causa efficiens; marmor, causa materialis; dispositio quæ efficit ut tale potius quam tale repræsentet objectum, causa formalis; imago in mente statuarii dum agebat existens, causa exemplaris; pretium ab illo intentum vel gloria sibi proposita, causa finalis.

Causa enim intelligens non agit nisi propter finem aliquem : finis ergo habet rationem cur actio suscipiatur, ac proinde merito dicitur causa. Agens autem semper aliquod bonum intendit, quod tamen aliquando non est nisi apparens et majori bono oppositum.

Finis potest esse 1° primarius vel secundarius, et agens utrumque simul potest sibi proponere; v. g., statuarius potest intendere primario pretium et secundario gloriam, aut vice versa; 2° proximus vel remotus : proximus ille est qui immediate attenditur et ad alium refertur; remotus ille est ad quem alius refertur; v. g., finis proximus medicinæ est purgatio stomachi, remotus sanitas recuperanda, remotior obligationum status exsecutio; 3° intermedius vel ultimus : intermedius est ille ad quem præcedens refertur, ipse ad alium referendus; ultimus ille est in quo obtinendo agens quiescit. Si ad alium sit adhuc referendus, quem tamen non actu intendimus, est relative ultimus; si ad nullum alium referri possit, est absolute ultimus; 4° operis vel operantis : prior est ipsemet effectus qui ex opere sequitur; posterior, finis quem agens intendit.

2° Causa efficiens, quæ stricte loquendo sola meretur nomen causæ, dividitur in necessariam et liberam. Est *necessaria* quando ita ex natura sua agit, ut ab effectu temperare nequeat; qualia sunt omnia corpora dum effectus naturales producunt. Causa *libera* illa est quæ

ex arbitrio potest agere vel non agere : talis est mens humana in suis determinationibus, ut postea demonstrabimus.

3° Dividitur in primam et secundam. Causa *prima* ea est quæ ab alia non pendet ut agat; talis est solus Deus universaliter, rex respectu subditorum. Causa *secunda* est ea quæ ab alia pendet ut agat, vel saltem ab alia suam habet efficaciam : ejus generis sunt omnes causæ creatæ respectu Dei; ministri respectu regis, etc.

4° Dividitur in causam physicam et causam moralem. Causa *physica* ea est quæ propriam et physicam exercet actionem; v. g., qui hominem occidit, causa est physica homicidii ; causa *moralis* est illa quæ moralem exercet actionem; v. g., qui jubet aut suadet hominem occidi, causa est moralis occisionis seu homicidii.

5° Dividitur in causam generalem et in causam particularem. Causa est *generalis* quando plures diversi generis producit effectus ; v. g., sol qui ubique diffundit lumen, calorem et fecunditatem ; aqua quæ lavat, irrigat, ignem exstinguit, sedat sitim, naves defert, machinas movet, etc. Causa *particularis* illa est quæ unius tantum generis producit effectus ; talis est arbor respectu fructuum suorum.

6° Dividitur in causam per se et in causam per accidens. Causa dicitur *per se* quando producit effectum sibi propositum vel ad quem destinatur ; v. g., si quis volens fratrem suum occidere, eum revera occidat. Si autem volens eum defendere, illum occidat, est causa mortis *per accidens*.

7° Distinguuntur tandem causa *in actu* et causa *in potentia*, quæ voces facile intelliguntur.

Advertendum 1° causam distinguendam esse a *conditione*, licet independenter a conditione sæpe agere ne queat ; v. g., corpus suspensum non cadit, quamvi gravitas naturalis illud impellat deorsum, nisi solvatu vinculum quo detinetur ; sol non illuminat cubiculum nisi aperiatur fenestra. Solutio autem vinculi lapidei detinentis non est causa, cum rationem effectus non con tineat, sed vocatur conditio *sine qua non*. Idem dicendu

est de apertura fenestræ ratione luminis ; de relaxatione malefactoris in carcere detenti, qui egressus furatur, incendit, occidit; de illo qui apponit vinum quo alter abusurus est ad se inebriandum, etc.

Advertendum 2° causam iterum distinguendam esse a mediis quibus ad effectum producendum illa utitur : media enim rationem effectus non habent, et ad eum producendum non nisi aliena efficacia concurrunt. Diximus ea aliquando vocari causam instrumentalem, sed satis improprie : nemo quippe non videt instrumenta, v. g., quibus statuarius suam elaborat statuam per se nullam vim habere, et sola operantis industria aliquid posse. Idem dicendum est de motivo quo agens determinatur, de occasione occurrente : tales circumstantiæ improprie dicerentur causa impulsiva et causa occasionalis ; quia nullam de facto habent efficaciam relative ad effectum.

Media autem debent esse proportionata et causæ eis intenti et fini assequendo : alia sunt necessaria, sine quibus effectus produci non posset, et alia utilia quibus effectus facilius tantum producitur.

Advertendum 3° plures causas simul ad eumdem producendum effectum concurrere posse sive per eadem, sive per diversa media : si se invicem adjuvent, ut duo equi eumdem currum trahentes, sunt coordinatæ et quasi unam causam faciunt; si una ab alia vim operandi habeat, seriem causarum efficiunt, et dicuntur subordinatæ : sic omnes causæ creatæ causæ primariæ, sive Deo, subordinatæ sunt ; in mechanica varii motus sibi invicem subjecti, a primo motore pendent, videlicet ab aqua cadente, a vento flante, a vapore vi caloris dilatato, etc.

Advertendum 4° *ordinem* in genere nihil aliud esse quam rectam dispositionem causarum, mediorum et finium. Si hæc dispositio seu connexio in essentiis rerum spectetur, est ordo metaphysicus et invariabilis ; si in rerum corporearum existentiis consideretur, est ordo physicus ; si in liberis actibus, sive Dei, sive angelorum, sive mentium humanarum, est ordo moralis. Ordo moralis potest esse

vel religiosus, si cultum Dei respiciat; vel socialis, si relationes hominum secum habitantium dirigat; vel politicus, si publicæ auctoritatis et subditorum correlativa spectet officia.

Ordo metaphysicus, ut pote æternus et invariabilis, est fundamentum ordinis tum physici, tum moralis : in cuncta rerum universitate perfecta existit subordinatio causarum, mediorum ac effectuum, ita ut omnia entia possibilia et existentia optime sibi sint concatenata.

Advertendum 5° triplicem supra dictum ordinem scientiæ esse objectum : scientia igitur est metaphysica, physica vel moralis, juxta ordinem quem spectat et habet pro objecto. Quæ sola ratione cognoscuntur vel cognosci possunt objectum philosophiæ constituunt; quæ vero revelatione divina nobis manifestantur, sunt objectum theologiæ. Hinc duplex scientiæ ordo, scilicet naturalis et supernaturalis, seu philosophia et theologia.

His prænotatis, quædam exponenda sunt axiomata, ad causam et effectum pertinentia, quæ in posterum nobis erunt utilia.

AXIOMA PRIMUM.

Causa prior est effectu.

Duplici modo aliquid dici potest altero prius vel posterius, scilicet, tempore et ratione. Illud prius est tempore, quod revera aliquo temporis intervallo ante alterum existit; sic parentes ante filios existunt, architectus ante ædificium, etc. Illud vero dicitur prius ratione, quod concipitur prius altero, quamvis prius tempore non existat. Ita sol prior est lumine.

Manifestum est causam debere esse priorem effectu saltem prioritate rationis, ut sol respectu luminis.

AXIOMA SECUNDUM.

Nullus est effectus sine causa.

Eo ipso enim quod ens supponatur effectus, factum ve productum fuit : porro quod factum vel productum fuit supponit causam, ut patet. Ergo, etc.

AXIOMA TERTIUM.

Perfectiones effectus perfectiones causæ superare non possunt.

Si qua enim perfectio effectus perfectiones causæ superaret, existeret sine causa, quod absurdum est. Ergo, etc. Quidquid ergo perfectionis est in effectu, aliquo modo est in causa.

Triplici modo causa effectum suum continere potest, scilicet, formaliter, virtualiter et eminenter.

1° *Formaliter*, id est, juxta propriam illius formam; sic gallina continet ovum.

2° *Virtualiter*, quando nempe causa habet virtutem producendi effectum, illumque quodam modo, sæpissime nobis ignoto, in se complectitur : sic architectus totum ædificium a se construendum aliquo modo in mente sua habet.

3° *Eminenter*, quando videlicet causa omnes effectus perfectiones quodam præstantiori modo nobis ignoto in se continet : sic Deus in se aliquo modo nobis impervio continet quidquid perfectionis habet mundus corporeus.

Duplex etiam distinguitur perfectio, *simpliciter dicta*, scilicet, quæ aliam majorem perfectionem non excludit, ut cogitatio et libertas; et alia *secundum quid*, quæ majorem excludit perfectionem; tale est corpus : perfectio est respectu nihili, sed imperfectio est respectu cogitationis quam excludit.

AXIOMA QUARTUM.

Nullum ens potest esse sui ipsius causa.

Tunc enim seipso esset simul prius et posterius; prius, quatenus causa, posterius, quatenus effectus, quod evidenter repugnat.

AXIOMA QUINTUM.

Duo entia non possunt esse sui invicem causæ.

Una enim causa non potest esse simul altera causa prior ac posterior; v. g., repugnat Petrum esse patrem et

filium ejusdem Pauli : attamen id eveniret, si duo entia essent sui invicem causæ. Ergo, etc.

Hinc in serie causarum productarum, quantumvis longa, semper necesse est ut prima existat extra seriem posita, alioquin vel existeret effectus sine causa, vel duo entia sibi invicem darent existentiam ; quod pariter absurdum est.

Habilitas ad aliquid faciendum aut patiendum dicitur *potentia*. Distinguitur potentia *activa*, cujus exercitium est *actus*, et potentia *passiva*, quæ in patiendo aut recipiendo exercetur. Distinguuntur adhuc potestas completa, quæ scilicet in se habet quidquid necesse est ad agendum, et potestas incompleta ; potestas naturalis, quæ excludit auxilium viribus naturæ superadditum, et potestas supernaturalis.

Hinc sequentia dicuntur axiomata.

AXIOMA PRIMUM.

A potentia ad actum non valet consecutio.

Ex eo quod enim homo potentiam pingendi habeat, inferri non potest illum pingere, pinxisse aut picturum esse ; similiter, ex eo quod res quæcumque sit possibilis, inferri non potest illam existere.

AXIOMA SECUNDUM.

Ab actu ad posse valet consecutio.

Ubi enim aliquid existit, certum est illud esse possibile.

AXIOMA TERTIUM.

Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi.

Enim vero facile concipitur nullam esse repugnantiam in eo quod possibile fingatur existere : ea suppositione facta, legitimæ deduci possunt conclusiones ope ratiocinii, perinde ac si res de facto existeret.

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS SPECIEBUS ENTIS.

Ens generaliter dividitur, 1° in substantiam et modum; 2° in finitum et infinitum; 3° in materiale et spirituale. De triplici hac divisione in triplici articulo dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUBSTANTIA ET MODO.

Substantia, ut jam diximus in Logica, est ens in se subsistens, et stans sub modis in ea residentibus; talis est homo.

Modus, e contra, est affectio vel qualitas necessario requirens subjectum cui inhæreat, v. g., color, figura.

Nihil aliud est quam substantia taliter vel taliter determinata, et sub quodam respectu peculiari abstracte considerata; non autem *entitas* quædam in se a substantia distincta.

Inter modos alii sunt essentiales, alii accidentales. Sed notandum est nullam substantiam sine his aut illis modis existere posse, quia necessario, ut existat, determinata esse debet.

Substantia generatim dividitur 1° in increatam et creatam: *increata* ea est quæ nullam agnoscit causam; talis est solus Deus. Substantia *creata* est illa quæ agnoscit causam a qua existentiam acceperit; tales sunt res omnes a Deo distinctæ, quæ ideo appellantur creaturæ.

Dividitur 2° in completam et incompletam: est *completa*, si alteri a qua perficiatur non jungatur; hinc Petrus est substantia completa. Substantia *incompleta* dicitur, quando alteri jungitur et ab illa perficitur; tale est corpus humanum, quod animæ consortio perficitur, et seorsim sumptum est duntaxat pars hominis.

Substantia autem completa, si rationis sit expers, ut la-

pis et jumentum, vocatur *suppositum*, quia ponitur sub modificationibus ipsi inhærentibus: v. g., arbor, equus, etc. sunt supposita; habent enim necesssario quosdam existentiæ modos quibus ab illis entibus distinguuntur.

Si vero substantia completa rationis sit particeps, dicitur a Latinis *persona*, et a Græcis *hypostasis*, ab ὑπὸ, *sub*, et ἵστημι, *sto* vel *sum*, propter rationem superius expositam, respectu substantiæ et suppositi. Attamen vox *suppositum* est quodam modo generica, et de entibus ratione pollentibus, sicut de aliis dici potest; sed vox *persona* de entibus ratione destitutis nunquam dicitur: v. g., dici non potest de cane quod sit bona vel mala persona.

Multum igitur datur discrimen inter vocem *substantiam* et vocem *personam* vel suppositum: ad substantiam enim requiritur tantum ut ens in se subsistat, id est, non indigeat subjecto in quo recipiatur; ad personam vero et suppositum requiritur insuper ut substantia sit completa, id est, alterius consortio non perficiatur, ac proinde ut functiones et operationes ejus ipsi, non autem alteri, tribuantur. Sic in homine, mens seorsim sumpta non est persona, quamvis sit rationalis, quia, sejuncta a corpore, non est completa. Hinc prodiit axioma istud: *Actiones sunt suppositorum.*

Suppositum et persona amittere possunt suam subsistentiam aut personalitatem, si nempe aliæ uniantur substantiæ qua perficiantur.

Sunt qui dicunt *personalitatem* nihil aliud esse quam negationem conjunctionis cum alia substantia perficiente; alii dicunt eam consistere in ultima forma qua substantia rationalis fit *sui juris* et principium suarum actionum.

An autem ultima hæc forma sit aliquid distinctum et perfectio specialis, vel an necessario oriatur ex negatione prædicta, non definimus.

Tres sunt personæ distinctæ in Deo, quamvis unica sit substantia, quia hæc unica substantia tribus personis modo ineffabili communicatur, seu tres habet substantias realiter distinctas et personales. Contra vero in Christo tres sunt substantiæ, divinitas, mens humana et corpus;

et unica persona, quia natura humana, ex anima et corpore conflata, Verbo divino hypostatice (id est personaliter) unitur, ab illo perficitur, et propriam subsistentiam personalem non habet, ut explicatur in Theologia. Unde actiones Christi ex natura humana procedentes, ut oratio, jejunium, passio, mors, etc., sunt in sensu stricto actiones personæ Verbi seu Filii Dei; sicut in homine actus corporales, non corpori, sed ipsi personæ tribuuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FINITO ET INFINITO.

Finitum et infinitum non habenda sunt tanquam species entis in genere : vel enim ens est *simpliciter*, et est infinitum; vel est *secundum quid*, et est finitum.

Quod percipimus, tanquam *ens simpliciter*, non est quid *abstractum*, sed ipsum infinitum, cujus, ut ostendemus infra, ipsamet idea existentiam supponit. Ens infinitum semper igitur remanet absolute distinctum a finito, ita ut nulla unquam fieri possit comparatio de uno ad alterum.

Finitum sic dicitur, quia finem sive limitem habet; et infinitum ita appellatur, quia nullum agnoscit terminum. Cum autem ens quodlibet finem habeat, vel non habeat, et nullum intercedat medium, sequitur omne ens esse finitum vel infinitum.

Duplici modo considerari potest finitum, scilicet, ut concretum et singulare tales vel tales habens terminos, v. g., sexpeda; vel abstracte et ut generale : sub hoc respectu est ens cui aliqua deest perfectio, et dicitur finitum in genere.

Duplex similiter distinguitur infinitum, nempe, infinitum actu et infinitum potentia. Infinitum *actu* illud est quod tantum est et tam perfectum, ut nihil majus aut perfectius excogitari possit : talis est solus Deus, ut infra demonstraturi sumus. Id vero nuncupatur infinitum *potentia*, quod nunquam tantum aut tam parvum excogitari potest, ut adhuc augeri vel minui non possit. Plura

hujus generis infinita agnoscunt mathematici et physici ; qualia sunt progressio numerorum, sive crescens, sive decrescens, divisibilitas materiæ, velocitas motus, etc.

Adhuc distinguitur *indefinitum*, quod quidam immerito ad infinitum referunt, et nihil est aliud nisi ens cujus limites non cognoscuntur vel non determinantur; unde ad infinitum potentia aliquoties accedit, et alias dubium et ignorantiam seu etiam abstrationem indicat.

Infinitum et finitum sub respectu rationis existentiæ considerata, ad *Ens necessarium* et ad *ens contingens*, reducuntur. Ens necessarium habet in seipso unde existat et est necessario : ens contingens autem non existit necessario et existentiam ab altero accipit. Demonstrabimus in Theodicea admittendum esse Ens necessarium, infinitum, quod est Deus, et cætera omnia non esse nisi contingentia.

Inter se disputant metaphysici de modo quo infinitum *actu* a nobis percipiatur.

Res autem aliqua duplici modo a nobis cognosci potest, videlicet, positive et negative. Cognoscitur *positive*, quando in seipsa percipitur; cognoscitur vero *negative*, quando non in seipsa, sed ope alterius, cujus est negatio, apprehenditur : v. g., lux cognoscitur positive, et tenebræ cognoscuntur tantum negative, ut absentia lucis.

Certum est nos habere ideam *infiniti absoluti*. Vox enim ista non est apud nos sensu vacua ; eam intelligimus ; notionem infiniti ab aliis notionibus secernimus ; quid ei conveniat vel repugnet concipimus. Ideam infiniti absoluti ab idea finiti, vel ab idea infiniti *potentia* optime distinguimus. Ergo, etc.

Positivam esse affirmarunt *Descartes*, *Malebranche*, *Fénelon*, *Bossuet*, card. *de Polignac* plurimique alii præstantiores philosophi. Juxta ipsos finitum in genere est duntaxat negatio infiniti, sicut tenebræ sunt negatio lucis, morbus negatio sanitatis, debilitas negatio fortitudinis, et infinitum absolutum per ideam positivam cognoscitur, quod sic exprimit *Bossuet*, II. Élév., t. VIII, p. 6 : « *On*

dit : Le parfait n'est pas ; le parfait n'est qu'une idée de notre esprit qui va s'élevant de l'imparfait qu'on voit de ses yeux, jusqu'à une perfection qui n'a de réalité que dans la pensée. C'est le raisonnement que l'impie voudrait faire dans son cœur insensé, qui ne songe pas que le parfait est le premier et en soi et dans nos idées, et que l'imparfait en toutes façons n'en est qu'une dégradation. Dis-moi, mon âme, comment entends-tu le néant, sinon par l'être ? comment entends-tu la privation, si ce n'est par la forme dont elle prive ? comment l'imperfection, si ce n'est par la perfection dont elle déchoit ? »

Locke vero (lib. 2, c. 17) expresse dicit, et fuse probare intendit, ideam finiti, *sub ratione finiti* esse positivam, et infinitum negative tantum cognosci posse.

Si doctrinæ ejus attendatur, de solo infinito *potentia* loqui videtur : revera enim, cum, juxta ipsum, hæc idea non habeatur, nisi per abstractionem, applicari potest tantum infinito *potentia*.

Ad eamdem conclusionem necessario ducuntur omnes sensualistæ.

P. *Buffier* (*Traité des premières vérités*, 2e *partie*, *ch.* 12) contendit nullam, proprie loquendo, dari ideam accuratam infiniti *actu*, atque Deum ut infinitum *potentia* tantum cognosci, quia mens humana perfectiones infinitas concipere non potest. Sic cum ipso plures alii.

Jam ostendimus nos habere ideam infiniti absoluti illudque apprime ab infinito *potentia* distinguere. Eo ipso sententia P. *Buffier* manet confutata.

Dicimus autem hanc ideam esse positivam ; exhibet enim perfectiones, imo omnimodas perfectiones. Ergo omnem excludit limitem, omnem negationem, ut optime notat *Bossuet* supra citatus, ac proinde est positiva.

Hinc idea infiniti absoluti est omnium idearum prima, saltem ratione, et idea finiti, sive *in specie*, sive *in genere*, est secundaria : nam idea finiti etiam in genere, ideam limitis vel negationis importat.

Non negamus finitum in specie positive percipi posse, quatenus est quid positivum, neque contendimus ideam

infiniti ante omnem aliam ideam clare effulgere ; sed dicimus eam in omni idea etiam finiti implicite contineri.

Inde non sequitur nos habere ideam adæquatam entis infiniti : sola enim facultas cognoscendi infinita omnes perfectiones entis absolute infiniti comprehendere potest, ac consequenter solus Deus. Aliud est igitur objectum intelligere, seu illud sibi repræsentare in mente, et aliud illud comprehendere, id est adæquate cognoscere.

Vox *infinitum*, quæ grammatice videtur negativa, logice est reipsa positiva ; nam finitum essentialiter est quid negativum, limitem aut negationem includens : unde infinitum absolutum , omnem limitem ac negationem excludens , est realiter quid positivum , uti jam dictum est.

Idea autem infiniti, quam nulla creatura suppeditare, nec mens humana efformare potuit, non nisi ab ipso Deo in intellectu nostro fuit impressa, ut infra dicemus.

Hic forte esset logice locus de sublimi idea entis *simpliciter*, seu infiniti absolute, disserendi, ac demonstrandi ex ea sola idea erui posse ipsius entis infiniti existentiam, unitatem, necessitatem, aliasque ejus perfectiones, propugnandi creationis possibilitatem , et confutandi obscuras ac perabsurdas Germanæ philosophiæ theorias.

Has autem gravis momenti quæstiones ad dissertationem sequentem remittendas ducimus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ENTE MATERIALI ET SPIRITUALI.

Ens materiale illud intelligitur quod essentialiter est iners et nullum habet in se principium activitatis.

Ens, e contra, spirituale est illud quod habet in se virtutem actionis ; utrumque igitur a se invicem fundamentaliter discrepat.

Ens spirituale, seu activum vel cogitans, omnis aggregationis partium est expers, natura sua, ut demonstrabimus in psychologia.

Ens vero materiale, sub denominatione sua generali omnia complectitur corpora : porro corpora ex partibus coalescunt et ideo sunt divisibilia. In hoc nulla difficultas.

Sed inter philosophos gravis exorta est quæstio, an scilicet materia sit divisibilis in infinitum, an vero resolvatur in elementa simplicia.

Multi cum *Cartesianis* fortiter contendunt extensionem omni materiæ quantumvis divisæ essentialem esse, præcipuæque eorum rationes sunt sequentes : 1° Si extensio non esset materiæ essentialis, dicendum foret elementa materiæ esse simplicia : at illud dici non potest. Nam repugnat elementa omni extensione destituta, per aggregationem dare extensionem ; imo simplicitas et aggregatio vel compositio sese mutuo excludunt. Ens simplex et ens simplex sunt duo entia simplicia : sed quomodo duo entia simplicia simul *adunata*, quæ vox implicare videtur, efficere possunt totum extensum ? 2° Quod divisibile est dici non potest simplex : at materia semper est divisibilis. Quantumvis enim tenues supponantur partes ultimæ subdivisionis, sunt partes totius divisi : partes autem totius divisi concipiuntur extensæ ac divisibiles. 3° Supponantur duæ lineæ parallelæ in infinitum protensæ et diagonalis in infinitum pariter gliscens, hæc diagonalis puncto in superiori parallelarum determinato æternaliter appropinquabit, illud tamen nunquam tanget, alioquin cessaret esse diagonalis. Ergo materia concipitur divisibilis in infinitum, ac proinde extensio ipsi est essentialis.

Leibnitz vero, *P. Boscowitch*, qui ejus sententiam amplexus, eum in quibusdam emendavit, et multi alii asserunt materiam resolvi in partes simplices, quas vocant *monadas*, hisque nituntur rationibus : 1° Numerus actu infinitus repugnat, ut infra notabimus : at si materia esset divisibilis in infinitum, dicendum esset dari numerum actu infinitum, nempe in quocumque corpore, quod, sive magnum, sive parvum, hic et nunc realiter contineret partes numero infinitas. Concipitur infinitum *potentia*, sed in possibilibus, non vero in existentibus. 2° Non da-

tur compositum sine elementis componentibus : attamen, in *Cartesianorum* sententia, daretur compositum sine elementis componentibus : quæcumque enim fieret resolutio, nunquam inveniri possent elementa. 3° In *Cartesianianorum* sententia, infinitæ numero essent partes in cunctis corporibus, in minutissimis sicut in ingentibus, in minimis singulorum partibus, et tot essent infinita actu quot corpora, quot partes corporum. Porro hæc sunt absurda.

Ad rationes adversariorum respondent : 1° Non repugnare extensionem, quæ partibus elementariis non convenit, ipsi partium collectioni convenire : nam fieri potest ut ipsa extensio nihil aliud sit quam hæc partium simplicium collectio sub aspectu particulari considerata. Extensio sic spectata explicari potest per relationem elementorum inter se, unde exsurgit quoddam systema appellatum materia vel corpus : quod, ex legibus a Deo positis, relationes, quas dicimus physicas, habere potest cum aliis ejusdem generis systematibus.

Quæ autem sit natura hujusmodi relationum materiam divisibilem constituentium, nos fugit. Sed quot sunt alia mysteria nobis impenetrabilia, quæ tamen admittimus quando eorum existentia demonstratur. Verum, positivis rationibus demonstratur systema divisibilitatis materiæ in infinitum admitti non posse. 2° Secunda ratio ab adversariis allegata nullam vim habet, et ex modo dictis evanescit. 3° Argumenta ex mathematicis scientiis deducta non veniunt ad rem, quia illæ scientiæ non versantur circa res existentes, sed de possibilibus tantum disserunt : in possibilibus autem dantur numeri potentia infiniti, ut omnes fatentur. Ergo, etc.

Posterior hæc sententia, quatenus elementa simplicia admittit, probabilior nobis videtur, licet nondum omnes difficultates tollat. Quid vero sit sentiendum de natura et proprietatibus horum elementorum non definimus. Philosophi huic opinioni adhærentes valde inter se scinduntur. Dicemus tantum paucissimos cum *Leibnitz* arbitrari illas monades quadam perceptione esse præditas Plerique

eas habent ut prorsus irrationales, donatas vi quadam attractionis et repulsionis, etc.

Entia igitur generaliter sumpta non recte dividerentur in simplicia et materialia seu extensa, bene vero, ut fecimus, in materialia et spiritualia, seu in inertia et activa.

Substantia spiritualis quadruplex distinguitur, scilicet Deus, Angelus, mens humana et anima belluina, de quibus seorsim infra dicetur. Hic de facto solum loquimur, non autem de possibilitate, quia varias discriminis rationes intrinsecas inter substantias spirituales possibiles non novimus.

Substantia materialis multipliciter subdividitur, videlicet 1° in corpora elementaria et corpora composita; 2° in corpora solida, liquida et fluida, seu ea quæ dicuntur *gaz;* 3° corpora solida dividuntur in animalia, vegetalia et mineralia, etc. Hæc ad physicos pertinent.

CAPUT QUARTUM.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

Multa nimis subtilia et prorsus inutilia hic tractare olim solebant metaphysici; nos vero aliquas notiones tantum breviter exponemus.

Quæcumque ens in suo esse constituunt vocantur ejus proprietates, quia ipsi sunt propria. Aliæ sunt essentiales, sine quibus ens nec esse nec concipi potest, ut rotunditas in circulo; aliæ emanantes, quæ ex essentia entis necessario fluunt, ut æqualitas radiorum in circulo; et aliæ accidentales, quæ ad essentiam rei non pertinent, nec ex essentia ejus necessario fluunt, v. g., existentia physica circuli, ejus materia, quantitas, locus, duratio, etc. Dicuntur etiam attributa essentialia, attributa derivata et accidentia.

Aliæ sunt absolutæ et aliæ relativæ: de his et illis quædam seorsim dicenda sunt.

De proprietatibus entis absolutis.

Proprietates absolutæ sunt illæ quæ uni enti in se spectato conveniunt. Tres numerantur : unitas, veritas et bonitas. Dicuntur etiam communes, quia cuilibet enti realiter existenti competunt.

1° *Unitas.* Adeo clara est vox illa, ut nulla ratione explicari possit, quia simplicior expressio non existit. Si quis peteret a nobis quid significet vox *mille*, facile responderemus numerum mille resolvendo : at unitas resolvi non potest, cum nec inferiora nec partes habeat. Sic tamen definiri solet : Unitas est id quod in se indivisum est et a quolibet alio divisum. Dicitur 1° *in se indivisum,* id est, quod dividi non potest in plura alia, quæ talia sint quale est ipsum. Sic Petrus est indivisus, quia in plures Petros dividi non potest. Idcirco est *individuum.* Dicitur 2° *a quolibet alio divisum ;* secus non esset ens unum, sed pars alterius entis.

Unitas est metaphysica, physica, vel moralis.

Unitas *metaphysica* ea est quæ omnem multiplicitatem partium omnemque compositionem excludit, et ideo solis entibus spiritualibus competit.

Unitas *physica* est illa quæ consistit in unione plurium partium quatenus totum efficiunt physicum, id est, extensum : igitur solis corporibus propria est.

Unitas *moralis* est collectio plurium a se revera distinctorum, quæ, juxta communem æstimationem hominum, tanquam aliquid unum constituentia spectantur, ut exercitus, civitas, familia, etc.

Inter *unum* et *unicum* hoc datur discrimen, quod unum existentiam alterius in eadem specie non excludat ; unicum vero excludit. Unde Petrus est unus homo, et non unicus : Deus e contra est unicus ; unicus est rex in regno, etc.

Unitas est elementum numerorum, et quilibet numerus est collectio unitatum vel fractionum unitatis. Numerus est *determinatus* vel *indeterminatus, abstractus* vel *concretus.* Voces istæ per seipsas intelliguntur.

Numerus indeterminatus actu existere non potest. Res per se patet. Quicumque ergo numerus realiter existens est determinatus, talis vel talis.

Concipitur numerus infinitus *potentia;* in hoc nulla difficultas. Sed numerus actu infinitus est impossibilis : nam eo ipso quod numeretur, aliquid semper addi vel detrahi potest. Porro quod est infinitum nec augeri nec minui potest. Insuper, dempta sola *unitate*, numerus infinitus jam talis esse desineret : evidenter autem repugnat infinitum a finito una tantum *unitate* differre. Plurima argumenta mathematica congerit card. *Gerdil, Démonst. mathém. contre l'éternité de la matière.*

Hinc sequitur dari non posse numerum in quo partes numero actu infinitæ contineantur. Inde deducitur argumentum supra indicatum contra divisibilitatem materiæ in infinitum, non tamen clara problematis solutio, quia in uno casu agitur de infinito *actu*, et in altero, juxta plures, de infinito *potentia;* quid sentiamus, indicavimus supra.

2° *Veritas entis* est consensio ejus cum ipsius attributis; in eo sensu omne ens verum est; repugnat quippe ens aliquod cum suis attributis constitutivis non consentire. Si ergo ens aliquod dicatur falsum, hoc intelligendum est relative ad nos, quia falso judicamus, non vero relative ad se. Sic aurichalcum verum est in se, et falsum respectu nostri quando pronuntiamus illud esse aurum. Veritas igitur entium ab eorum archetypis in mente Dei æternaliter ac invariabiliter existentibus oritur. Unde mens nostra veritatem alicujus entis assequens, sub hoc respectu divino intellectui conformatur.

3° *Bonitas* entium est eorum aptitudo ad finem suum assequendum. Eo sensu omnia entia, metaphysice spectata, bona sunt et optima; physice considerata bona sunt, si archetypis suis concordent et ad finem cui destinantur apte ordinata. Unde legitur in Genesi, I, 31 : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Sic artifex qui opus suum juxta imaginem præconceptam accurate fecit, illud demirans dicit bonum vel optimum esse.

Suprema Dei voluntas, ab ordine æterno deflectere non valens, nulla creat entia, nisi secundum eorum essentiam : ea igitur semper bene facit. Singulis necessario proprios assignat fines proximos, intermedios, remotos, et unicum pro omnibus finem ultimum. Vult ut omnia ad proprios fines tendant, et ad communem finem ultimum, nempe ad seipsum simul conspirent, ideoque ut intelligentiæ creatæ iis non utantur, nisi modo ad hos fines et denique ad unicum finem ultimum conducente. Hinc nascitur *ordo moralis*, videlicet complexio legum naturalium actus humanos dirigentium, et voluntas Dei eas servari jubentis.

Voluntas ergo humana quæ bene facit, voluntati Dei concordat et bona est; si melius aut perfectius facit, melior vel perfectior est, quia voluntati divinæ magis concordat; si male agit, plus minusve a divina voluntate discedit et peccat.

Unitati opponitur multiplicitas, veritati falsitas, et bonitati malitia, seu malum.

De proprietatibus entis relativis.

Proprietates relativæ eæ sunt quæ enti non conveniunt nisi comparato ad aliud, et ideo vocantur relationes. Igitur relatio in genere definiri, vel potius aliis verbis exprimi potest : Respectus entis alicujus ad alterum. Unde ab aliis dicitur : Occasio quam præbet objectum de alio cogitandi. In qualibet relatione tria distinguuntur, nempe subjectum, terminus et fundamentum *Subjectum* est illud quod ad aliud refertur, *terminus* est res ad quam altera refertur, et *fundamentum* est ratio propter quam res una ad aliam refertur; v. g., si dicatur Petrum statura æqualem esse Paulo, Petrus est subjectum, Paulus est terminus, et statura est fundamentum, seu nexus quo extrema correlata sunt. Relatio autem in genere semper est reciproca, ut patet, et terminus fieri potest subjectum propositionis inversæ.

Plures philosophi olim docuerunt relationem quamdam esse *entitatem* entibus advenientem : nam, inquie-

bant, relatio est objectum ideæ : ergo est quid reale. Nunc vero omnes contendunt relationem modis entium tantum fundari, unde mens unum ad aliud refert, et nihil reale entibus addit. Etenim si Petrus comparetur Paulo ratione staturæ, nonne hæc comparatio est solummodo actus mentis circa utrumque sub modo speciali consideratum ? quis dicet æqualitatem cum eodem Paulo aliquid reale addere Petro ? et sic de cæteris relationibus.

Relationes sunt essentiales vel accidentales : *essentiales* illæ sunt quæ ab ipsa rerum essentia fluunt et ab ea separari nequeunt ; tales sunt relationes creatoris et creaturæ, patris et filii, generatim causæ et effectus. Fundamentum hujusmodi relationum tolli non potest, quin ipsum relationis subjectum destruatur. Relationes vero sunt *accidentales*, si earum fundamentum sit quid accidentale subjecto : quales sunt relationes magistri et discipuli, regis et subditi, etc.

Duo extrema dicuntur correlata, quia ad se invicem referuntur.

Omnia in tota natura ita sunt connexa ut nullum sit ens sine aliqua relatione ad aliud, et innumera entia multas habent relationes diversas. Entia ipsa, eorum accidentia et universæ relationes, tum essentiales, tum accidentales, objectum philosophiæ constituunt.

Plures omittimus relationes hic a philosophis distinctas, quæ ex solis nominibus sufficienter intelliguntur, puta *æqualitatis*, *similitudinis*, etc.

Ad relationes pertinent identitas et distinctio.

1° *Identitas* est perseverantia rei in eodem statu.

Res enim dicitur eadem, quando nullam subiit mutationem : quapropter identitas aliquam perseverantiam rei in eodem statu semper includit.

Alia est physica, alia est moralis. Identitas *physica* ea est quæ omnem mutationem, quoad substantiam, excludit : eo sensu corpora viventia non diu sunt eadem, quia in ipsis jugis est partium habitarum fluxus et novarum partium accessio.

Identitas *moralis* non omnem removet mutationem, sed

sensibilem tantum ; nam, juxta communem æstimationem, res dicitur eadem, quando talis sensibus nostris apparet : hanc identitatem servant corpora viventia, licet post aliquot annos nihil eis supersit ex partibus quibus antea constabant.

Identitas *personalis* non tollitur ea mutatione, quia anima substantialiter immutabilis semper cum eodem moraliter corpore unitur. Hæc identitas non ponenda est in conscientia actuum nostrorum, ut volebat *Locke*, sed in continuatione unionis ejusdem animæ cum corpore moraliter eodem. Conscientia identitatem nostram personalem infallibiliter, ope etiam memoriæ, testatur, ita ut absque utraque non esset identitatis nostræ cognitio ; sed illam existere inter actuum internorum varietatem et ipsius conscientiæ aliquam, per somnum, v. g., cessationem, supponit.

2° *Distinctio*. Distinctio est identitatis negatio : ea quippe sunt distincta quæ non sunt unum et idem, sed plura, sive ejusdem, sive diversæ speciei. Verum datur discrimen inter distinctionem et diversitatem : quæcumque sunt diversa, sunt distincta ; sed non vice versa, v. g., cœlum et terra sunt diversa et distincta ; at Petrus et Paulus sunt distincti, non vero diversi. Distinctio igitur identitatem, et diversitas similitudinem excludit.

Jam notavimus distinctionem esse realem vel mentalem : est realis si in rebus seorsim sumptis vere existat, est autem mentalis, si ratio per abstractionem quasdam proprietates in uno ente secernat.

CAPUT QUINTUM.

DE SPATIO ET TEMPORE.

Spatium, seu extensio in genere, est capacitas suscipiendi corpora. Si nullum corpus contineat, dicitur *vacuum*. Spatium quod ante vel extra corpora creata percipitur, appellatur spatium *purum ;* illud autem quod

corpora continet vocatur *non purum*, et illud quod aliquo corpore occupatur, dicitur *locus*.

Si corpus nullatenus mutetur respectu spatii universi, adest *quies absoluta;* si non mutetur tantum respectu aliorum corporum, est *quies relativa;* sed multi et merito hanc distinctionem non admittunt.

Spatium est 1°, juxta Democritum, Epicurum, aliosque veteres et recentiores, inter quos *Gassendi*, *vacuum infinitum*, a rebus vere et realiter distinctum. Est 2°, juxta *Descartes*, *plenum perfectum*, ipsa materia indefinite extensa. Est 3°, juxta *Newton*, ipsamet Dei immensitas. 4°, juxta *Leibnitz*, spatium in genere, vel abstracte consideratum, nihil est reale extra mentem, sed mera rerum possibilitas cum relationibus extensionem constituentibus : in particulari vero vel concreto spectatum est ipsamet corporum extensio.

Hæc posterior opinio, quidquid de ipsius extensionis natura sentiatur, nobis magis probata videtur.

Spatium enim in particulari spectatum nobis videtur esse quid reale, scilicet extensio corporis ipsius, ac proinde modus specialis corporis, non vero aliquid a corpore realiter distinctum. Spatium vero in genere consideratum, sive ut ab ipsis corporibus distinctum, videtur tantum idea generalis et abstracta extensionis, nihil exhibens realiter existens, sed indefinitam possibilitatem spatii particularis. Spatium ita spectatum valde differt a nihilo absoluto, cujus nulla haberi potest idea.

Spatium purum non est extensum et divisibile nisi per abstractionem et mentaliter, cum non sit per seipsum quid reale; sed confundi non potest cum divina immensitate, quæ nullam exhibet ideam extensionis, nec etiam per abstractionem mentis divisi valet

Si consideretur spatium non distincte a corporibus existentibus, mensurari potest ope alterius extensionis quæ tanquam unitas habetur, non absoluta, sed pro arbitrio determinata; tale est metrum apud nos.

Sic spatium commensuratur per metra, decametra, hectometra, kilometra, myriametra, et descendendo,

per decimetra, centimetra, millimetra. Spatium inter duo corpora relative ad se invicem vocatur *distantia*.

Eo sensu corpora concipiuntur in spatio existere, sine spatio esse non posse, et tamen a spatio, scilicet puro, esse distincta, sicut motus existere non potest sine corpore et spatio, et tamen ab utroque est distinctus. Vide, si placet, *Leibnitz*, *Locke*, liv. II, chap. 13; *Para-du-Phanjas*, *Théorie des êtres insensibles;* card *Gerdil*, etc.

Quæ de spatio dicta fuerunt, suo modo tempori applicanda sunt.

Tempus generatim est *duratio* entis, scilicet perseverantia illius existentiæ.

Si tempus consideretur sine respectu ad ens particulare, dicitur tempus *absolutum*. Si vero spectatur relative ad ens particulare, vel 1° initium habuit et finem non est habiturum, et est *immortalitas*, quæ angelis et humanis mentibus convenit; vel 2° initium habuit et finem habere debet, et est *tempus proprie dictum*.

Vox *tempus* nunquam accurate Deo applicari potest: tempus enim et duratio nobis non innotescunt, nisi per successiones, quarum ordinem percipimus: in Deo autem nulla est successio, nulla mutatio. Æternitas est absoluta ac perfectissima entis infiniti immanentia, quæ nullam patitur mensuram; unde vox illa, respectu Dei adhibita, in errorem facile conjiceret; sic recte dici non potest tempus ante creationem mundi exstitisse, Deum per longa sæcula de nobis creandis cogitasse, nec quæri posset an Deus *citius* mundum creare potuisset.

Tempus extra creaturas spectatum mera est abstractio mentis, et nihil habet reale, ut diximus de spatio et propter easdem rationes.

Tempus vero particulare, id est in uno ente contingenti vel in aggregatione entium consideratum, est ipsius entis vel entium existentiæ perseverantia, cujus ideam ex successionum ordine habemus. Has successiones alicujus entis ope durationis alterius entis commensurare possumus.

Motus apparens solis circa terram, ut pote uniformis, constans et sensibilis, electus est apud omnes gentes ut

prima mensura temporis seu *ætatis*. Conversio illius per duodecim signa zodiaci efficit annum : ejusdem sensibilis evolutio circa terram, ab Oriente ad Occidentem, dicitur *dies*. Dies postea dividitur in horas, et horæ in minuta. Annus dividitur in menses et dies : anni multiplicati faciunt sæcula.

De natura durationis et temporis alte, scite, et communius obscure, disserunt philosophi nomine celebriores, inter quos *Leibnitz*, *Locke*, t. II, ch. 14; *Buffier*, 2e part., ch. 27; *S' Gravesende*, 1re part., ch. 6; *Para-du-Phanjas*, n. 364; *Balmès, Phil. fond.*, liv. VII, etc.

« *J'ai l'idée d'un être*, inquit P. *Buffier, en tant qu'il ne cesse pas d'être ; c'est ce que j'appelle* DURÉE. *J'ai l'idée de cette durée, en tant qu'elle est mesurée par la révolution régulière d'un corps ou par les intervalles de cette révolution ; c'est ce que j'appelle* TEMPS. *Il me semble que ces notions sont aussi claires qu'elles peuvent l'être, et celui qui cherche à les éclaircir davantage est à peu près aussi judicieux que celui qui voudrait éclaircir comment deux fois deux font quatre, et ne font pas cinq.* »

DISSERTATIO SECUNDA.

DE PNEUMATOLOGIA.

Vox *pneumatologia*, a πνεῦμα, *spiritus*, et λόγος, *sermo*, vocibus græcis, oriens, idem significat ac *sermo de spiritu*. Omnis spiritus qui excogitari potest, est increatus vel creatus. Solus Deus est spiritus increatus : mens humana est substantia spiritualis, ut infra probaturi sumus, et creata. Item Angeli sunt spiritus creati. Pneumatologiam igitur in tres partes dividemus : prima erit de Deo et ejus attributis ; secunda, de Angelis ; et tertia, de mente humana, ejusque facultatibus ac proprietatibus.

PARS PRIMA PNEUMATOLOGIÆ.

DE DEO ET IPSIUS ATTRIBUTIS.

Cum ex actuali proposito nostro præsentes Philosophicæ Institutiones alumnis Seminariorum præcipue sint destinatæ, et velut exordium ad theologiam esse debeant, de tribus pneumatologiæ partibus modo assignatis juxta Scripturam, traditionem et rationem simul tractaturi sumus.

Duæ quæstiones gravis ponderis hic pertractandæ occurrunt, quarum prima de existentia Dei, et secunda de ejus attributis.

QUÆSTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

Dei existentiam astruere nos cogit detestanda perversitas quorumdam hominum, qui, spreto rationis lumine et excusso omnis religionis jugo, ut cupiditatibus liberius indulgeant, in insipienti corde suo exclamare non erubescunt : *Non est Deus* (*Ps.* XIII, 1). Isti homines *athei* dicuntur, id est, sine Deo. Qui vero existentiam Dei agnoscunt, vocantur *theistæ* : dicuntur etiam *deistæ* ; sed posteriori hoc nomine pessimi alii designantur homines, qui, Deum admittentes, quamlibet religionem revelatam audacter rejiciunt.

Distinguuntur athei *speculativi* et athei *practici*. Athei speculativi sunt illi qui Dei existentiam non agnoscunt, et athei pratici ii sunt qui Deum agnoscentes, vivunt sicut persuasum haberent Deum non existere : *Quorum Deus venter est* (*Paul. ad Philipp.* III, 19), etc.

Athei speculativi possunt esse *negativi* vel *positivi*.

Athei negativi ii dicuntur qui Deum ignorant, et positivi sunt illi qui Dei existentiam negant et suam negationem rationibus fulcire conantur. Dicuntur etiam *systematici*.

Quando de existentia Dei tractare intendimus, non supponimus illum ignorari et ope discussionis exquirendum esse: sed, fide in ipsius existentiam jam data et manente firmissima, investigamus argumenta quibus ipsius existentia et attributa astrui et ordinari possint.

Si autem occurrerent athei speculativi, hæc argumenta ad eos illuminandos valde inservirent; videbitur enim infra quam sint clara et invicta, imo et omnibus intelligentiis, pleraque saltem, obvia.

Primum disputari posset an revera sint athei qui sophismatibus decepti, persuasum habeant Deum non existere; sed multos dari atheos *practicos* luctuosa constat experientia.

His notatis, præsentem quæstionem in duo dividemus capita: in primo de theismo et atheismo inter se comparatis dicemus, et in secundo præcipua referemus argumenta quibus existentia Dei demonstratur.

CAPUT PRIMUM.

DE THEISMO ET ATHEISMO INTER SE COMPARATIS.

Quinque institui possunt quæstiones circa theismum et atheismum, videlicet: 1° an quis prudenter manere possit indifferens circa Dei existentiam; 2° an ex atheismo sequantur incommoda; 3° an theismus præstantior et optabilior sit atheismo; 4° an tutior; 5° an atheismus polytheismo sit pejor. Has quæstiones in totidem articulis solvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

AN QUIS PRUDENTER MANERE POSSIT INDIFFERENS CIRCA DEI EXISTENTIAM.

Cum certum sit multos esse atheos practicos, qui, terrestribus inhærentes, ne oculos quidem ad Deum suble-

vant, eo ipso constat multos esse circa existentiam Dei indifferentes : contra quos sit

PROPOSITIO.

Prorsus insipiens est qui manet indifferens circa theismi et atheismi veritatem [1].

Prob. Nemo, nisi plane desipiat, manere potest indifferens circa id ex quo pendet summa ipsius felicitas vel miseria : atqui ex veritate theismi aut atheismi summa uniuscujusque felicitas vel miseria pendet. Si enim existat Deus summe justus, criminum vindex, virtutis remunerator, supremus hominum Dominus, benefactor et judex, quam excusationem habebit qui circa rem tanti momenti stulte manserit indifferens? Contra vero, quantam remunerationem ab illo exspectare potuisset, si eum debito modo agnoscere, honorare, et propitium sibi reddere studuisset! Ergo, etc.

Præterea, ut stultissimus profecto haberetur qui cunctos videns homines, doctos et sapientes, alicui negotio sibi communi tanquam gravissimo incumbentes, in tanta nihilominus maneret indifferentia, ut ne quidem expendere vellet an eorum sententia aliquam mereretur diligentiam : porro longe dementior est qui circa theismi et atheismi veritatem manet indifferens. Sic eum, seipsum alloquentem, inducit *Pascal* (*Pensées*, *ch.* 1) :

« *Je ne sais qui m'a mis au monde, ni ce que c'est que le monde, ni que moi-même. Je suis dans une ignorance terrible de toutes ces choses : je ne sais ce que c'est que mon corps, que mes sens, que mon âme, et cette partie même de moi qui pense ce que je dis, qui fait réflexion sur tout et sur elle-même, ne se connaît non plus que le reste. Je vois ces effroyables espaces de l'univers qui m'enferment, et je me trouve attaché à un coin de cette vaste étendue, sans savoir pourquoi je suis plutôt placé en ce lieu qu'en un autre, ni pourquoi ce peu de temps qui m'est donné*

[1] Plus moralis quam dogmatica est propositio ista ; non tamen inordinate hic exponitur.

à vivre m'est assigné à ce point plutôt qu'à tout autre de l'éternité qui m'a précédé et de toute celle qui me suit. Je ne vois que des infinités de toutes parts, qui m'engloutissent comme un atome et comme une ombre qui ne dure qu'un instant sans retour. Tout ce que je connais, c'est que je dois bientôt mourir ; mais ce que j'ignore le plus, c'est cette mort même que je ne saurais éviter.

« *Comme je ne sais d'où je viens, aussi je ne sais où je vas ; je sais seulement qu'en sortant de ce monde, je tombe pour jamais dans le néant ou dans les mains d'un Dieu irrité, sans savoir à laquelle de ces deux conditions je dois être éternellement en partage.*

« *Voilà mon état plein de misère, de faiblesse et d'obscurité. Et de tout cela je conclus que je dois donc passer tous les jours de ma vie sans songer à ce qui me doit arriver, et que je n'ai qu'à suivre mes inclinations sans réflexion, sans inquiétude, et en faisant tout ce qu'il faut pour tomber dans le malheur éternel, au cas que ce qu'on en dit soit véritable. Peut-être que je pourrais trouver quelque éclaircissement à mes doutes ; mais je n'en veux pas prendre la peine, ni faire un pas pour le chercher ; et, traitant avec mépris ceux qui se travaillent de ce soin, je veux aller sans prévoyance et sans crainte tenter un si grand événement, et me laisser mollement conduire à la mort dans l'incertitude de ma condition future.* »

Nihil sane absurdius excogitari potest quam talis ratiocinandi et agendi modus. Sic tamen se gerit qui manet indifferens circa Dei existentiam. Ergo, etc.

Dices : Si Deus existit, debet esse summe bonus et beneficus : ergo nihil timendum est.

R. Nego consequentiam. Nam simul debet esse justus, alioquin non foret perfectus : si autem sit justus, punit peccatores : ergo falsum est nihil timendum esse. Res certe sufficientis est ponderis ut stricto subjiciatur examini.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE INCOMMODIS EX ATHEISMO SEQUENTIBUS.

Homines spectari possunt ut privati, vel ut societatem constituentes; sub utroque respectu atheismum eis noxium esse ex sequentibus propositionibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

Atheismus valde noxius est hominibus privatis.

Prob. Quod omnem tollit securitatem, nullum relinquit solatium in miseriis, et totam spem veræ felicitatis adimit, valde noxium est hominibus: atqui his omnibus vitiis laborat atheismus respectu hominum privatorum.

1° *Tollit omnem securitatem;* si nullus enim agnoscendus sit Deus, omnia vel a casu fortuito, vel a fatali quadam necessitate pendent: at in tali suppositione nulla est vera securitas; subito enim contingere potest ut immeriti gravissimis opprimamur malis, et a cumulo felicitatis in summam dejiciamur miseriam. Ergo 1°, etc.

2° *Nullum relinquit solatium in miseriis;* atheismo enim admisso, quid sperandum remanet in ærumnis, infortuniis, cruciatibus, injustitiis humanis? Nihil certe, et tunc suffocanda est vox naturæ opem divinam sponte implorantis, uti fatebantur olim ipsimet pagani:

> Di, prohibete minas: Di, talem avertite casum.
> VIRG. *Eneid.* l. III; v. 265.

3° *Omnem spem felicitatis adimit;* tunc enim altera non exspectanda est vita: at in præsenti vita non invenitur vera felicitas, tum quia omne bonum terrestre fluxum est et caducum, tum quia multi homines tantum experiuntur miserias, tum quia exspectatio mortis gaudia atheorum perturbare debet: a destructione enim abhorret natura. Ergo 3°, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Atheismus maxime noxius est societati.

Prob. Illud maxime noxium est societati quod relinquit

auctoritatem sine freno, subditos sine moribus, et insuper cuncta vincula unionis inter homines solvit : atqui atheismus, respectu societatis consideratus, omnia hæc habet incommoda.

1° *Relinquit auctoritatem sine freno ;* qui enim supremam auctoritatem exercent non subjiciuntur hominibus nec ab eis judicari, condemnari et puniri possunt ; si ergo Deus non existat, nullum remanet frenum quo ab æstu libidinum et cupiditatum temperare queant ; hoc sic exprimit *Montesquieu* (*Esprit des lois*, l. 24, c. 2) : « *Un prince, qui aime la religion et qui la craint, est un lion qui cède à la main qui le flatte, ou à la voix qui l'apaise ; celui qui craint la religion et qui la hait, est comme les bêtes sauvages qui mordent la chaîne qui les empêche de se jeter sur ceux qui passent. Celui qui n'a point du tout de religion est cet animal terrible qui ne sent sa liberté que lorsqu'il déchire et qu'il dévore.* » Ergo 1°, etc.

2° *Subditos relinquit sine moribus ;* ad servandos enim bonos mores necesse est ut existant motiva quibus unusquisque a vitiis avertatur et ad virtutem impellatur : atqui, sublato Deo, hujusmodi non existunt motiva : undenam enim deducerentur ? non ex altera vita, ut patet ; non ex conscientia, quæ merum tunc esset figmentum ; non ex honestate vel inhonestate, quæ nihil aliud essent quam præjudicia deponenda ; non ex legibus humanis, quæ plerasque actiones nostras non attingunt. Aliunde cautionem, in ea hypothesi, potius discere oporteret quam virtutem, sicque tollerentur præcipuæ virtutes quibus solidatur et perficitur societas ; scilicet, bona fides, simplicitas, exsecutio promissionum, etc. Ergo 2°, etc.

3° *Cuncta solvit vincula unionis inter homines ;* etenim præcipua vincula quibus uniuntur homines, sunt gratitudo, deferentia, obedientia, sinceritas, justitia, benevolentia, bona fides, æquitas, probitas, dictorum conventionumque firmitas : atqui hæc vincula penitus solvit atheismus ; nam, illo semel admisso, nulla assignari posset ratio cur homines his vinculis se obstrictos judicarent : ergo 3°, etc. ; aliunde, etc. ; insuper, etc. ; Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sublato Deo, nihilominus existeret lex naturalis : atqui lex naturalis mores hominum informare potest : ergo, etc.

R. 1°. *Nego maj.* Quamvis enim differentia boni et mali in ipsis rerum essentiis fundetur, ut alibi dicetur, certum est tamen totam vim legis naturalis a sola Dei idea et voluntate oriri; nulla quippe in atheismo assignari potest ratio cur hæc facienda sint et ista fugienda. Ergo, etc.

Insuper, negata Dei existentia, ipsis jam aliis rerum essentiis non est ratio, nec proinde legi naturali.

R. 2°. *Nego min.* Ad informandos enim mores hominum, non sufficit lex, sed insuper requiruntur motiva quibus impulsi ad custodiendam legem determinentur : at, si Deus non existat, hujusmodi non inveniuntur motiva, ut patet : nec adsunt spes, timor, conscientiæ stimuli, etc. Ergo, etc.

Obj. 2°. Innumeris bellis et dissidiis ortum dedit cultus Divinitatis, seu religio : atqui hunc dissidiorum fomitem exstinguit atheismus : ergo potius, saltem sub hoc respectu, favet quam nocet societati.

R. Dist. min. Multi homines sub prætextu religionis dissidia excitaverunt bellaque moverunt, *conc.;* dissidia et bella ex ipsa religione prodierunt, *subdist. :* ex falsa religione, *non expendo;* ex recta religione, cujus veritatem alibi demonstrabimus, *nego maj.* In tantum enim dissidia et bella ipsimet religioni tribui possent, in quantum ipsius principia ad hæc inducerent : atqui nedum vera religio hæc mala suadeat, ea jugiter improbat, ab eis avertit, pacem, unionem, concordiam, aliasque virtutes morales et sociales commendat. Ergo, etc. Unde vir adversariis certe non suspectus, *Montesquieu* (*Esprit des lois*, l. 24, c. 2) :

« *C'est mal raisonner contre la religion, que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération de tous les maux qu'elle a produits, si l'on ne fait en même temps celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les lois civiles,*

la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables.

Contra vero mala quæ producit atheismus ex ipsius principiis naturaliter fluunt. Ergo, etc.

Obj. 3°. Plures exstiterunt athei virtutibus ad societatem spectantibus ornati : ergo atheismus natura sua societati non nocet.

R. Dist. ant. Et illi athei principia sua non sequebantur in praxi, *conc.;* et ea sequebantur, *nego ant.* Licet enim præsens hypothesis non sit probabilis, negare tamen nolumus quosdam exstitisse atheos virtutibus ad societatem spectantibus præditos; sed affirmare non timemus illos principia sua non secutos fuisse. Nam, juxta ipsos, nihil ultra præsentem vitam exspectandum est; omnia igitur ad præsentem felicitatem referri debent : porro sæpe virtutes ad societatem spectantes præsenti felicitati individuorum sunt adversæ : si ergo athei principia sua sequerentur, has virtutes non colerent. Hic autem considerare non debemus quid faciant athei, sed quid facere deberent, si principiis suis starent. Ergo, etc.

Præterea, qui atheismum profiteri non erubescunt, in doctrina theismi communiter instructi sunt, et primos religionis sensus omnino non exuerunt; unde fit illos a pluribus abstinere facinoribus quæ alioquin perpetrarent. Ex singularibus ergo istius modi factis nihil adversum nos concludi potest.

Obj. 4°. Multi Deum agnoscentes non ideo meliores sunt quam athei : ergo, etc.

R. Nego conseq. Solidis enim rationibus probatur theismum refrenandis cupiditatibus idoneum esse, atheismum vero eis favere. Verum non contendimus eos omnes qui Deum agnoscunt cupiditatibus non indulgere; scimus contrarium sæpe evenire. Sed quid inde? Si non obstante theismi doctrina, homines in multa proruant vitia, quanto magis ruerent in atheismo ! Si religio omnes sectatores suos non contineat, sanam transmittit doctrinam circa virtutes et vitia, bonum commendat, malum semper exhibet ut malum, et impedit ne in opinione etiam perditorum ho-

minum prævaleat; gravissima suppeditat motiva illud fugiendi, auxilia præstat, et multos ab actionibus perversis retrahit vel totaliter, vel ex parte. Unde experientia constat eo magis depravari mores, quo magis decrescit religio, et scelerum monstra inter Divinitatis contemptores reperiri. Falso igitur concluderetur atheismum societati non nocere, quia inter Dei cultores multi sunt facinorosi. Ergo, etc.

Patet ex dictis quam vana sint atheorum fulcimenta cum theistarum argumentis comparata. Non mirum ergo si vox totius generis humani eos semper proclamaverit cœlo et terræ pariter odiosos.

ARTICULUS TERTIUS.

AN THEISMUS PRÆSTANTIOR ET OPTABILIOR SIT ATHEISMO.

Sequitur ex dictis theismum præstantiorem et optabiliorem esse atheismo; cum enim ex atheismo tot oriantur mala, optandum est illorum causam penitus tolli.

Dices: In atheismo nullo freno coercerentur principes, subditi tuto se vindicare possent, voluptatibus aliisque hujus vitæ deliciis libere fruerentur divites: ergo saltem his hominibus optabilior est atheismus.

R. Nego conseq. Nam 1° non ideo beati sunt principes quia potestatem illimitatam habent, sed insuper requiritur ut eam tranquille possideant et securi exerceant; at, si non agnosceretur Deus, nullam haberent tranquillitatem; tunc enim rebelliones, seditiones, occisiones, etc., licitæ forent; eas igitur semper timerent. 2° Subditi sæpe quidem tuto se vindicare possent, sed frequenter ab aliis lacessiti, molestiam ipsi paterentur, spoliarentur, percuterentur, omni genere malorum afficerentur, occiderentur, etc., sicque nulla ipsis suppeteret securitas, nullaque vera felicitas. 3° Divites voluptatibus hujus vitæ libere frui possent, sed non ideo beati forent, 1° quia intemperantia in voluptatibus multa generat mala; 2° quia ab aliis vitæ humanæ miseriis non essent liberi; 3° quia pauperes

licite eos vexare ac spoliare possent, et periculum istud continua anxietate eos perturbaret, etc. Ergo, etc.

Aliunde, etiamsi hæc reputari possent bona, quod evidenter falsum est, quid ad maximam hominum partem attinerent? Ergo, quidquid dicatur, non nisi mala infinita ex atheismo scaturiunt, dum e contra innumera bona ex theismo fluunt. Ergo, etc.

ARTICULUS QUARTUS.

AN THEISMUS ATHEISMO SIT TUTIOR.

Si theismus tutior sit atheismo, etiamsi certior non esset, juxta leges prudentiæ eligendus est.

PROPOSITIO.

Theismus longe tutior est atheismo.

Prob. Doctrina in qua nihil timendum est, si falsa sit, et multum sperandum, si vera sit, longe tutior est doctrina in qua nihil est sperandum si sit vera, et multum timendum si sit falsa : atqui talis est doctrina theismi respectu atheismi.

1° *Nihil timendum est, si doctrina theismi sit falsa.* Tunc enim altera non erit vita ; nihil ergo metuendum est post mortem : nihil pariter in præsenti vita ; felicitati enim tum privatæ, tum publicæ, multo magis prodest quam nocet theismus, ut ostendimus. Ergo, etc.

2° *Multum sperandum est si hæc doctrina sit vera.* Qui enim Deum confessus fuerit, honoraverit, et vitam huic sententiæ conformem ducere studuerit, æternam remunerationem ab illo exspectare poterit. Ergo 2°, etc.

3° *Etiamsi doctrina atheismi vera esset, nihil tamen sperandum foret.* Quod enim speraretur, in hac præsenti vita consequendum esset, siquidem altera non existeret : at in opinione atheismi nihil exspectandum esset in præsenti vita ; vel enim exspectarenter bona quæ ab ipsa ratione reprobantur, vel bona quæ cum ratione consentiunt : si prius, hæc bona laboriose comparantur, anxie possidentur, ægre amittuntur, fastidium generant aliaque

multa mala producunt; si posterius, et ipse theista iisdem bonis licite perfrui potest. Ergo 3°, etc.

4° *In hypothesi quod opinio atheismi sit falsa, multum timendum est.* Tunc quippe existit Deus summe justus, virtutem remuneraturus, et vitium puniturus : qui autem illum agnoscere et debito cultu honorare renuerit, certe coram ipso vitiosus erit et puniendus. Ergo 4°, etc.; aliunde, etc.

Dices : Prudentis viri est certa incertis anteponere; atqui certa nobis præbet atheismus, nempe bona hujus vitæ, et theismus, bonis præsentis vitæ neglectis, bona incerta alterius vitæ nobis promittit : ergo, etc.

R. Dist. maj. Prudentis viri est certa incertis anteponere, in æqualibus aut etiam in inæqualibus, quando inde non imminet periculum, *conc.;* secus, *nego maj.* Quotidie enim mercatores incerta certis anteponunt, et imprudentiæ non accusantur : quanto minus imprudentes sunt theistæ qui sub spe obtinendi bona infinita, emolumenta nullius ponderis postponunt! Ergo etiamsi bona alterius vitæ forent incerta, quilibet vir sapiens totis conatibus ea inquirere deberet. Aliunde qui sincero corde Deum colit, nedum bonis præsentis vitæ privetur, illis fruitur cum majori felicitate quam peccatores, ut experientia constat.

ARTICULUS QUINTUS.

AN ATHEISMUS POLYTHEISMO SIT PEJOR.

Polytheismi nomine intelligitur religio quæ plures agnoscit deos.

PROPOSITIO.

Atheismus multo pejor est polytheismo.

Prob. Hæc enim doctrina pejor est, quæ multo minus cupiditates coercet : sed atheismi doctrina multo minus coercet cupiditates quam polytheismus; in nefanda enim atheismi doctrina unica est regula actionum nostrarum, scilicet, præsens felicitas; polytheismus, e contra, alia et efficaciora suppeditat media quibus coerceantur cupidita-

tes; docet enim alteram esse vitam summe beatam vel miseram, prout quisque bene vel male vixerit in terra, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sola concupiscentia atheus fertur in malum, polytheista vero et concupiscentia et exemplo deorum vitiis inquinatorum, quos adorat : ergo, etc.

R. 1°. *Negari potest antecedens* in sua generalitate : sæpe quidem contigit ut polytheistæ deos vitiis deturpatos adoraverint, sed id de essentia polytheismi non est : aliunde plerique polytheistæ deos non sibi exhibebant ut vitiis inquinatos ; arbitrabantur enim multa ipsis licita esse quæ in hominibus graviter punirentur. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Etiamsi enim polytheistæ ad quædam vitia exemplo deorum inclinarentur, nihilominus plura haberent motiva cohibendi cupiditates quam athei, siquidem apud eos remaneret exspectatio alterius vitæ, metus suppliciorum et spes bonorum. Ergo, etc.

Obj. 2°. Qui in neutram partem propendet, ad bonam facilius adducitur quam qui in malam impingit : at in neutram partem propendet atheus, in malam vero impingit polytheista : ergo, etc.

R. 1°. *Nego primam partem minoris.* Hic enim agitur de atheis qui falsis argumentis conantur demonstrare et sibi persuadere Deum non existere : atqui dici non potest hujusmodi homines in neutram partem propendere. Ergo, etc.

R. 2°. *Dist. secundam partem minoris.* In malam partem impingit polytheista sub uno respectu, *conc.* ; sub omni respectu, *nego hanc partem minoris.* Etenim turpissimo errori adhæret polytheista, naturam Dei multiplicando et dividendo ; at non errat Divinitatis existentiam admittendo, eam honorando, deprecando, timendo, placando, etc. Unde reipsa minus alienus est a veritate quam atheus. Ergo, etc.

Obj. 3°. Minus injuriosum est Divinitati illam negare, quam criminibus fœdare : sed atheus Divinitatem simpliciter negat, polytheista vero eam criminibus fœdat, etc.

R. Nego maj. Nam pensanda est animi dispositio, sive athei Dei existentiam negantis, sive polytheistæ Divinitatem multiplicantis et criminibus fœdantis : atqui multo magis perversa est intentio athei. Deo enim servire nolens, eum penitus abjicit ; polytheista vero Deo servire cupit, sed errat in explicanda ejus natura, in eligendo cultu illi exhibendo ; illum aliquoties criminibus fœdat, sed existimans hæc respectu deorum supra naturam humanam positorum non esse crimina : ergo longe minus perversa est ipsius intentio quam intentio athei. Ergo, etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRÆCIPUIS ARGUMENTIS QUIBUS EXISTENTIA DEI DEMONSTRATUR.

Philosophi et theologi communiter affirmant Deum invincibiliter ignorari non posse, quia ipsius existentia tam splendidis argumentis manifestatur, ut ratione præditus mediocri data attentione eam advertere debeat. Verum si quis de facto Deum ignoraret, attentis rationibus modo expositis, optare deberet illum existere, nec indifferens manere posset circa veritatem tanti momenti.

Viri autem religiosi ne suspicari quidem possunt Deum non existere ; imo nunc paucissimi inveniuntur qui aperte fateri audeant se Deum non admittere. Utile tamen et necessarium est præcipua exhibere argumenta quibus fundamentalis hæc veritas invicte demonstratur, tum ut qui credunt solidius convincantur, tum ut alios convincere valeant, tum ut ad obeunda sua officia efficacius determinentur.

> Celui que la grandeur remplit de son ivresse
> Relit avec plaisir ses titres de noblesse ;
> Ainsi le vrai chrétien recueille avec ardeur
> Les preuves de sa foi, titres de sa grandeur.
>
> RACINE, Poème de la Religion, chant I, v. 15.

Primi homines et ii omnes apud quos primariæ veritates per traditionem aut novas revelationes servatæ sunt

integræ, Dei existentiam probare nunquam conati sunt, sed eam semper habuerunt ut manifestam; quod unusquisque videre potest in tota Librorum sacrorum serie.

Effluentibus autem sæculis, necessarium aut saltem utile fuit primariam hanc veritatem exquirere et rationibus astruere. Nomine Dei omnes intelligunt Ens supremum et summe perfectum a quo totus pendet ac regitur orbis. Ita Cicero, Sextus Empiricus, Plutarchus, et alii generaliter. Ens istud existere negant athei, affirmant vero theistæ.

Nulla veritas tam validis demonstratur argumentis, quam existentia Dei. Inter auctores fere innumeros qui circa illam scripserunt, alii has, alii illas probationes elegerunt, et cunctas simul colligere sibi non proposuerunt. Male igitur concluderetur eos sibi non consentire; si qua sit inter illos dissensio, versatur tantum circa vim alicujus demonstrationis, non vero circa rem ipsam.

Ex triplici ordine desumuntur argumenta existentiam Dei astruentia, videlicet, ex ordine metaphysico, ex ordine physico et ex ordine morali. Quædam tantum seligemus, et in tribus articulis evolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ARGUMENTIS METAPHYSICIS.

Ea argumenta dicuntur metaphysica quæ in essentiis rerum fundantur et ex ordine pure intellectuali depromuntur. Quinque exponemus : primum eruitur ex ente necessario; secundum, ex idea Dei; tertium, ex propria existentia nostra; quartum, ex creatione materiæ; et quintum, ex necessitate primi motoris.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex ente necessario.

Nullum ens existit sine ratione cur existat: ratio autem ista ab ipsius natura vel a causa extrinseca repetenda est. Ens a natura sua existens, dicitur necessarium; ens vero a causa extrinseca existens, dicitur contingens, quia po-

tuisset non existere et non semper exstitit. Unde ens necessarium illud est quod ita existit ut non potuisset non existere, et ens contingens ita existit ut posset non existere.

His notatis, quæstio est an existat ens necessarium, et an sit Deus.

PROPOSITIO.

Existit ens necessarium, et ens necessarium est Deus.

Prob. prima pars. Existit aliquid : atqui nihil existeret, si non esset ens necessarium. Si enim non esset ens necessarium, omnia entia forent contingentia : atqui in ea hypothesi repugnaret ea existere; entia quippe contingentia tam possunt non existere quam existere; non possunt ergo existere nisi aliqua causa ad existentiam fuerint determinata : at si omnia entia essent contingentia, nulla causa determinari potuissent ad existentiam. Vel enim determinata fuissent a seipsis, vel a nihilo, vel a casu fortuito : atqui hæc tria dici nequeunt. 1° *Non a seipsis*, alioquin seipsis priora simul et posteriora essent; 2° *non a nihilo*, cujus nullæ sunt proprietates; 3° *non a casu fortuito*, nam vel casus fortuitus nihil est, vel est aliquid : in priori casu, causa esse non potest; in posteriori, esset necessarium, vel contingens. Si necessarium, causam obtineremus; si contingens, iterum quæreretur a quo fuisset determinatum ad existentiam. Ergo, etc.

Neque fingatur series infinita entium sibi succedentium; nam 1° series actualiter infinita et jugiter crescens, implicat : ergo supponi non potest. Unde *Bergier* (*Traité de la Religion*, t. II, p. 263) :

« *Cette chaîne infinie de générations et de productions est évidemment absurde. On la suppose infinie ; cependant elle ne l'est point. Si elle se termine ou finit au moment présent, elle n'est donc pas infinie : si elle augmente, elle l'est encore moins : il est absurde que l'infini actuel puisse augmenter. On peut commencer actuellement une chaîne infinie en puissance qui ne sera jamais terminée, qui n'existera jamais tout entière ; mais une chaîne successive*

actuellement infinie et actuellement terminée, est une absurdité.

« *Ou mille ans avant nous elle était déjà infinie, ou elle ne l'était pas. Si elle l'était, mille ans de plus ne l'ont pas rendue plus longue ; il est absurde que l'infini actuel puisse augmenter : si elle ne l'était pas, mille ans sont une quantité bornée : il est absurde que deux quantités bornées, ajoutées l'une à l'autre, produisent une quantité infinie.* »

2° Repugnat dari seriem infinitam effectuum sine causa : at in ea hypothesi daretur series infinita effectuum sine causa; singula enim entia supponuntur producta; tota igitur collectio esset producta, et nulla esset causa qua hæc collectio fuisset producta, cum, præter collectionem entium contingentium, nihil existeret : ergo tota hæc collectio existeret sine causa. Quod sic explicat doctissimus *Clarke* (*Existence de Dieu*, t. 1er, p. 29, *édit. de* 1744) :

« *Supposer une succession infinie d'êtres dépendants et sujets au changement, dont l'un a été produit par l'autre dans une progression à l'infini, sans aucune cause originale, n'est autre chose que reculer la difficulté pas à pas et faire perdre de vue la question touchant le fondement et la raison de l'existence des choses ; c'est réellement et en fait d'argumentation la même chose que si on supposait un être continu, d'une durée sans commencement et sans fin, qui ne serait ni nécessaire, ni existant par lui-même, et dont l'existence ne serait fondée sur aucune existence par elle-même, ce qui est directement absurde et contradictoire.* »

Anonymus apud eumdem auctorem, in nota, p. 30, sic se habet :

« *Supposez une chaîne pendant du ciel en bas, d'une hauteur inconnue. Supposez ensuite que cette chaîne, au lieu de descendre, se tienne dans une situation fixe, bien que chacun de ces chaînons pèse vers la terre, et que ce à quoi elle est suspendue ne soit pas visible. Là-dessus on demande qu'est-ce qui soutient cette chaîne, à quoi elle est suspendue. Croit-on qu'il suffise de répondre que le premier chaînon d'en bas tient au second ou à celui qui est*

immédiatement au-dessus ; le second, ou plutôt le premier et le second pris ensemble, au troisième, et ainsi de suite à l'infini ? Car qu'est-ce qui soutient le tout ? Une chaîne de dix chaînons tombera, à moins qu'une force capable de la soutenir ne l'en empêche ; une de vingt tombera aussi, à moins qu'elle ne soit arrêtée par une force plus grande encore, et cela à proportion de l'accroissement de la pesanteur. Donc celle qui est composée d'une infinité de chaînons tombera certainement, à moins qu'elle ne soit soutenue par une force infinie, capable de porter un poids infini. Il en est de même dans une chaîne de causes et d'effets, qui tendent vers quelque fin. Le dernier de ces effets, ou le plus bas, dépend de la cause la plus prochaine, il y est en quelque sorte suspendu ; cette cause, à son tour, si ce n'est pas la première, est suspendue de même à quelque chose au-dessus d'elle, etc., et si cette chaîne de causes et d'effets est infinie, il y aura un effet infini sans cause efficiente, à moins qu'il n'y ait une cause de laquelle tout dépende. Or, affirmer une chose de cette nature est une absurdité aussi grande que si l'on disait qu'un poids fini ou un petit a besoin d'une force qui le soutienne, mais qu'un poids infini ou le plus grand n'en a pas besoin. »

Non ideo præcise requiritur prima causa, quia primus supponitur effectus, sed quia singula hujus seriei entia supponuntur producta ; si enim omnia sint producta, quantacumque sit illorum series, semper verum erit totam collectionem esse productam, etiamsi, per impossibile, supponeretur infinita : atqui collectio entium productorum etiam infinita supponit causam productricem necessariam et æternam : quod sic evolvit *Bergier* loco citato : « *Tous les êtres étant produits, il n'en est aucun duquel on ne puisse demander quelle est sa cause. En remontant à l'infini, loin de résoudre la question, l'on donne lieu de la renouveler à l'infini. En descendant la chaîne, tous les êtres sont cause de ceux qui suivent : mais en remontant, ce ne sont plus que les effets de ceux qui précèdent : s'il n'y a point de première cause, ce sera une chaîne infinie d'effets sans cause.* »

Præterea, quædam entia sibi quidem succedunt, ut pater et filius; sed alia multa, qualia sunt terra, aqua, aer, sol, planetæ, stellæ, etc., non ita ab aliis descendunt. Unde igitur repetenda erit causa vel ratio illorum existentiæ? nulla tunc assignari posset.

Denique, licet mens nostra æternitatem considerans, stupore percellatur, omnes tamen aliquid æternum admittere coguntur; hoc autem est ens necessarium, a seipso existens, alioquin tota series entium productorum sine causa producente rediret. Ergo, etc.

Quando *ens necessarium* nominatur, intelligimus quid sonent istæ voces, sicut has alias oppositas apprime distinguimus *absolutum* et *relativum : causam* et *effectum ; æternum* et *contingens*. Ergo ideam ejus habemus, et hæc idea est positiva, sicut idea infiniti absoluti. Si ens necessarium percipiatur, est possibile, quia impossibilia percipi nequeunt : si ens necessarium sit possibile, eo ipso existit, alioquin esset simul possibile et impossibile : possibile, ut supponitur; impossibile vero, quia ab alio existere non posset, quin cessaret esse necessarium. Aliunde mera possibilitas et necessitas sese mutuo excludunt. Ergo, etc.

Prob. secunda pars. Nomine Dei intelligitur ens summe perfectum, seu in omni genere perfectionis infinitum : sic exhibetur in Scriptura, Ps. CXLIV, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Baruch, III, 25 : *Magnus est et non habet finem ; excelsus et immensus.* Atqui ens necessarium est in omni genere perfectionis infinitum; nam in omni genere perfectionis est infinitum si omnes habeat perfectiones entium tum existentium, tum possibilium, et si inde sequatur illius perfectiones esse infinitas : atqui hæc duo constant. 1° *Habet omnes perfectiones* entium contingentium, sive existentium, sive possibilium : existentium quidem, quæ suam existentiam suasque perfectiones a solo ente necessario habere potuerunt, et *Nemo dat quod non habet;* possibilium etiam, nam entia possibilia ea sunt quæ ad existentiam determinari possunt; sed ad existentiam de-

terminari non possunt, nisi ab ente necessario : ergo ex superiori axiomate, ens necessarium omnes eorum perfectiones habere debet. Alioquin essent simul possibilia et impossibilia : possibilia ut supponitur; et impossibilia, cum nulla existeret causa a qua suas perfectiones accipere possent. Ergo 1°, etc. 2° *Inde sequitur illius perfectiones esse infinitas ;* sunt enim infinitæ si majores concipi nequeant : atqui res ita se habet ; nam si supponeretur ens necessarium majores habere posse perfectiones, eas acciperet vel a se, vel ab alio : at neutrum dici potest : non a se, quia, ut jam diximus, *Nemo dat quod non habet ;* non ab alio, alioquin non jam esset ens necessarium. Præterea nihil est possibile nisi per operationem entis necessarii. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo ens necessarium est in omni genere perfectionis infinitum.

Quod sic probat *Fénelon*, *Existence de Dieu*, ch. 2, n° 24 (t. I, p. 171) :

« *Je reviens à l'être qui serait par lui-même, et je trouve qu'il serait dans la suprême perfection. Ce qui a l'être par soi est éternel et immuable , car il porte toujours également dans son propre fonds la cause et la nécessité de son existence. Il ne peut rien recevoir de dehors : ce qu'il recevrait de dehors ne pourrait jamais faire une même chose avec lui, ni par conséquent le perfectionner ; car ce qui serait d'une nature communiquée et variable ne peut jamais faire un même être avec ce qui est par soi et incapable de changement. La distance et la disproportion entre de telles parties serait infinie : donc elles ne pourraient jamais entre elles composer un vrai tout. On ne peut donc rien ajouter à sa vérité , à sa bonté et à sa perfection ; il est par lui-même tout ce qu'il peut être ; et il ne peut jamais être moins que ce qu'il est. Être ainsi, c'est exister au suprême degré de l'être, et par conséquent au suprême degré de vérité et de perfection.* »

Dici tamen non potest ens necessarium omnes perfectiones entium possibilium formaliter continere ; numerus enim actu infinitus repugnat : atqui perfectiones entium in infinitum sunt possibiles : ergo repugnat eas actu for-

maliter existere. Ergo ens necessarium eas non continet formaliter, sed eminenter, id est aliquo eminentiori et perfectissimo modo nobis incognito.

Dices : Triangulum intra tres angulos et tria latera essentialiter limitatur : ergo a pari ens necessarium intra quasdam perfectiones ex natura sua forte limitatur.

R. Nego conseq. et paritatem. Triangulum enim est quædam extensionis portio modo speciali disposita, unde sortitur nomen suum ; habet proprietates a dictis limitibus dependentes. Porro dici non potest ens necessarium intra limites determinatos essentialiter coerceri ; non est portio entis sicut triangulum est portio extensionis. Ergo, etc.

Hoc argumentum ex ente necessario petitum veteres philosophi ac theologi, sicut recentiores, adhibuerunt, v. g., S. Aug., de Civit. Dei, l. 8, c. 6 ; S. Joannes Damascenus, etc.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex idea Dei.

Descartes, aliique post ipsum magni nominis philosophi, inter quos *Malebranche*, *Leibnitz*, *Fénelon*, etc., Dei existentiam ex ipsius idea probaverunt. Alii plures contendunt hanc probationem strictam non esse demonstrationem : *Para-du-Phanjas* dicit eam esse sophisticam (t. II, p. 489) : P. *Buffier* et quidam recentes vim ejus demonstrativam non agnoscunt. D. *de Bonald* eam probat, et hodie D. *Maret* pluresque alii eamdem admittunt.

Itaque hanc probationem, quam multo communius solidam esse arbitrantur auctores, concisis verbis exhibendam judicamus.

PROPOSITIO.

Ex idea Dei existentia ipsius demonstratur.

Prob. Ut ex idea Dei existentia ejus demonstretur, duo requiruntur et sufficiunt, nempe 1° ut veram habeamus ideam Dei, et 2° ut hæc idea cum actuali Dei existentia colligetur : atqui hæc duo certa sunt.

1° *Habemus ideam Dei,* id est, entis summe perfecti : vel enim habemus ideam entis summe perfecti, vel, pro-

lato ipsius nomine, non plus intelligimus quam si proferretur nomen extraneum nobis ignotum et omni sensu vacuum : atqui hoc posterius falsum est. Perfecte enim novimus quid nomine Dei intelligendum sit; illum a quolibet alio secernimus, sicut ait *Fénelon*, t. I, p. 177 : « *Non-seulement j'ai l'idée de l'infini, mais encore j'ai celle d'une perfection infinie. Parfait et bon, c'est la même chose. Être infiniment bon et parfait, c'est être infiniment. Il est certain que je connais un être infini et infiniment parfait. Je distingue nettement de lui tout être d'une perfection bornée, et je ne me laisserais non plus éblouir à une perfection indéfinie, qu'à un corps indéfini. Il est donc vrai, et je ne me trompe point en le disant, que je porte toujours au dedans de moi, quoique je sois fini, une idée qui me représente une chose infinie.* »

Non negamus hanc ideam nobis a societate, vel generalius ab institutione nostra excitari, ita ut homo sibi derelictus, absque ulla relatione cum aliis hominibus, eam forte non haberet. Hic enim non expendimus quænam sit idearum nostrarum origo. Sed dicimus ideam entis necessarii in mentibus nostris realiter existere. Ergo 1°, etc.

2° *Hæc idea cum actuali Dei existentia essentialiter colligatur.* Nam 1° cum actuali existentia Dei colligatur si ab ipso solo oriatur : atqui a Deo solo oritur; vel enim a Deo oritur, vel ab ente finito : atqui posterius dici non potest. Quomodo enim ens finitum imaginem entis infiniti creare posset? nonne hoc repugnat? 2° In idea entis summe perfecti et necessarii existentia actualis continetur; vel enim ens summe perfectum concipitur ut possibile, vel ut actualiter existens : at concipi non potest ut possibile ; nam tunc aliud supponeret ens a quo existentiam accipere posset, quod ipsimet præfatæ ideæ contradicit. Ergo 2°, etc.

Qui hanc demonstrationem fusius expositam videre cupierit, adeat opera *Descartes;* præsertim meditationem tertiam, vel opus gallicum cui titulus *: Pensées de Descartes ; Fénelon, Existence de Dieu,* 2e *partie, chap.* 2 ; *D. Maret, théodicée*, etc.

Plures hanc habent probationem ut *genericam*, et dicunt tot probationes institui posse quot perfectiones in idea entis necessarii includuntur. Sic, post S. Augustinum, probationem deducunt ex ideis absolutis *bonitatis*, *justitiæ*, *veritatis*. Tales enim ideæ mentibus nostris affulgent, sicut sol oculis; æternæ sunt, necessariæ, a nobis independentes, ex eis perfectiones entium finitorum æstimantur: ergo ab ente necessario eas in plenitudine perfecta possidente nobis communicantur. Ergo existit ens necessarium, infinitum, summe perfectum, quod sui ipsius est ratio.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Idea infiniti recipi non potest in subjecto finito; ergo nullam habemus ideam infiniti.

R. Nego ant. Nam de infinito cogitamus et loquimur, ergo illud percipimus: ignoramus quidem modum quo ipsius idea in mente nostra excipiatur; sed inde concludi non potest illam non existere. Nescimus enim qua ratione objecta corporea in mente exhibeantur: certe non secundum propriam formam; si autem secundum aliam minorem, quomodo accurate et distincte repræsentantur? Hæc profunda sunt mysteria intelligentiam humanam superantia, quorum existentiam tamen negare non licet. Ergo a pari, etc.

Inst. Repugnat ideam infiniti esse majorem vel minorem: atqui idea Dei, prout est in nobis, est major vel minor, secundum individua, studia, etc.: ergo, etc.

R. Dist. maj. Repugnat ideam infiniti esse majorem vel minorem, eo sensu quod repræsentet objectum majus vel minus, *conc.*; eo sensu quod idem exhibeat objectum clarius vel minus clare, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore*, *nego conseq.* Equidem repugnat infinitum nobis repræsentari majus vel minus, quia nullam admittit divisionem aut progressionem; at minime repugnat nos clarius aut minus clare illud percipere: qui minus clare illud percipiunt, veram tamen illius ideam habent, siquidem illud a quolibet alio ente secernunt. Sic ignari veram habent ideam circuli, trianguli, corporis, etc., quamvis

minus perfecte hæc cognoscant objecta quam mathematici et physici : ergo, etc.

Cæteræ difficultates, quæ contra hanc partem probationis nostræ objici solent, probant duntaxat nos omnes perfectiones entis infiniti non cognoscere, vel modum quo ens illud in nobis repræsentetur ignorare : atqui hæc aliaque similia non impugnant quod affirmamus, sciliset dari ideam entis infinite perfecti : iis ergo respondere supervacaneum esset.

Obj. 2°. Idea infiniti a societate nobis communicatur : ergo a Deo non venit nec probat illum existere.

R. Nego conseq. Non magis enim societas hanc ideam sibi efformare potuisset quam privati homines, quam ego ipse : ergo, etiamsi concederetur illam a Deo nobis non fuisse immediate concessam, ut multi volunt, difficultas hic opposita nullam vim haberet.

Obj. 3°. Ex eo quod montem aureum percipiamus, non sequitur illum existere : ergo, a pari, licet quamdam habeamus ideam infiniti, concludi non potest illud esse.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitis est quod existentia actualis in idea montis aurei non contineatur; contra vero in idea entis summe perfecti necessario includitur, quia et ipsa est perfectio, ut ostendimus. Ergo, etc.

Insuper, mera possibilitas entis contingentis non repugnat, quia Deus existentiam ejus nutu suo ponere potest; possibilitas vero Dei est quid absolute repugnans, si non existat: nulla enim dari posset ejus existentiæ ratio. Ergo.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex propria existentia nostra.

Quacumque facta hypothesi, de existentia nostra dubitare non possumus. Unde sic unusquisque procedere potest : Existo : atqui non existo necessitate naturæ meæ ; nam tunc essem æternus, independens, et summe perfectus; sum, e contra, limitatus, imperfectus, dependens, infirmus et miser. Non formatus sum ab iis qui dicuntur parentes mei; ignorant enim quid sim, quomodo fuerim

constitutus, facultatibus exornatus, progressibus amplificatus, etc. Aliunde parentes mei non magis seipsos constituere potuissent quam ego meipsum : ergo semper requiritur causa independens et perfecta cujus voluntate et efficacia existentiam possideam. Ergo, etc.

Circa vim et extensionem hujus argumenti et sequentium, videantur quæ notavimus ad calcem probationis ex ordine mundi deductæ.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex creatione materiæ.

Constat ex dictis in Logica, et ex confesso atheorum sicut et theistarum, existere corpora seu materiam extensam. Dicunt athei illam esse æternam et necessariam ; contendunt vero theistæ eam fuisse creatam et Creatoris existentiam arguere. Sit ergo cum eis sequens

PROPOSITIO.

Ex creatione materiæ demonstratur Deum existere.

Prob. Existit Deus, si admittendus sit materiæ creator : id confitentur athei ; atqui necessario admittendus est materiæ creator. Vel enim admittendus est materiæ creator, vel materia necessitate naturæ suæ existit ; ita adhuc fatentur athei. Atqui dici non potest materiam necessitate naturæ suæ existere ; nam tunc esset ens necessarium, independens et summe perfectum : supponi non posset non existere, aut alio modo existere : atqui materia supponi potest non existere aut alio modo existere ; quotidie novas formas novosque modos ab externa causa accipit, ut neminem latet ; perfectior supponi potest, et sæpe variis operationibus perficitur ; sic perfectior est domus quam acervus lapidum et lignorum quibus conflatur, perfectior tabella quam diversæ materiarum portiunculæ quibus conficitur, perfectior statua quam moles marmoris, etc. Ergo absurdum est dicere materiam esse ens necessarium, independens et summe perfectum. Ergo, etc.

Hinc, admisso Deo, materiæ existentia, ipsius formæ et mutationes facile explicantur, licet modus divinæ operationis nos prorsus lateat; dum in hypothesi contraria, manifestæ prodeunt absurditates quas adversarii vitare nequeunt. Summa igitur cum lætitia legere debemus sequentia verba in capite Geneseos scripta : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Creatio est impossibilis : ergo creator materiæ non est admittendus.

R. Nego ant. Facile enim concipitur substantia contingens quæ, ex natura sua, tam existere quam non existere potest; ergo non repugnat illam existere : at existere non potest quin adsit creatio; cum enim ad existendum sit indifferens, e non-existentia ad existentiam transire non potest, nisi per creatricem potestatem. Ergo, etc.

Præterea, ideo creatio diceretur impossibilis, quia illius possibilitatem non intelligimus : atqui dici non potest creationem esse impossibilem, quia ipsius possibilitatem non intelligimus : numquid cognoscimus qua ratione manus et pedes ad nutum voluntatis moveantur? quomodo alimenta in stomachum demissa coquantur, dividantur in chylum, bilem, pituitam cæterosque humores, in sanguinem, carnem, nervos, ossa, etc., convertantur? Attamen non dicimus ea esse impossibilia, sed ea libenter admittimus ut facta. Similiter non quærimus qua ratione materia creari possit, sed utrum creata fuerit : porro demonstravimus illam fuisse creatam, quia non est ens necessarium. Ergo, etc. Unde auctor sacer, modum et rationem prætermittens, solum factum creationis simpliciter enuntiat : *Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux... Fiat firmamentum*, etc. Gen. 1, 3. Athei igitur demonstrare deberent non obscuritatem creationis respectu intelligentiæ nostræ, sed modum quo, recluso Deo, materiæ existentia rationabiliter explicari possit, quod certe nunquam facient.

Inst. 1°. Quod nullo modo existit, fieri non potest existens : ergo creatio est impossibilis.

R. Nego ant. Multæ enim percipiuntur res mere possibiles : atqui non repugnat res possibiles fieri existentes. Ad hoc enim requiritur causa quæ illas ad existentiam determinet? porro hujusmodi causa assignari potest, nempe suprema potestas entis necessarii et infiniti. Repugnaret enim potestatem infinitam producere non posse quidquid possibile est. Ergo, etc.

Aliunde res eædem perciperentur simul possibiles et impossibiles; possibiles quidem, ut pote nullam repugnantiam involventes, et simul impossibiles, si ad existentiam nullo modo transire possent. Ergo, etc.

Inst. 2°. *Ex nihilo nihil fit;* tale est palmare Aristotelis et discipulorum ejus principium : ergo quod nullo modo existit fieri non potest existens.

R. Dist. axioma. Ex nihilo nihil fit, tanquam ex causa materiali vel efficiente, *conc.;* eo sensu quod substantia non existens fieri non possit existens, *nego.* Etenim certum est nihilum fieri non posse causam materialem vel efficientem alicujus rei ; id patet. Non minus certum est causam finitam, quales sunt homines, nihil operari posse nisi habeat materiam circa quam operationes exerceat. At inde concludi non potest substantium non existentem transire non posse ad existentiam ; ad hoc enim sufficit actio potentissimæ causæ quæ id omne quod possibile est facere possit. Ergo, etc.

Obj. 2°. Causa continere debet quidquid est in effectu : atqui repugnat materiam in ente necessario fuisse contentam. Ergo, etc.

R. 1°. Semper eadem recurrit difficultas, scilicet modum creationis nos latere et intelligentiam nostram superare ; idem ergo solutionis principium sufficit.

R. 2°. *Dist. maj.* Causa continere debet quidquid est in effectu, aliquo modo, *conc.;* secundum propriam formam vel modo nobis cognito, *nego maj.* Fatemur quidem causam debere aliquo modo continere quidquid est in effectu, ut supra notavimus, pag. 214; sed negamus illam neces-

sario continere effectum juxta propriam formam : alioquin architectus totam distributionem domus quam ædificat in se realiter complecteretur ; negamus pariter eam continere debere effectum modo nobis cognito, quia inde concludendum foret intelligentiam nostram esse mensuram totius operationis possibilis, quod est cumulus absurditatis. Ergo, etc. Hinc *Bergier*, t. II, p. 278 : « *Créer la matière, ce n'est point la prendre où elle n'était pas, c'est lui donner l'être qu'elle n'avait pas. Quand nous produisons une pensée ou un mouvement, nous ne les prenons point, nous les mettons où ils n'étaient pas. L'essence du pouvoir actif est de faire exister ce qui n'existait pas.* »

Obj. 3°. Si mundus fuisset creatus, Deus per totam æternitatem mansisset otiosus : atqui id repugnat : ergo, etc.

R. Nego maj. Nam 1° tempus nihil aliud est quam mensura durationis ; ante creationem nulla erat duratio, proindeque nullum tempus. Hæc formula *ante creationem*, aliquo sensu est impropria respectu Dei ; nam in ente necessario et æterno nulla sunt momenta : ergo respectu illius non est *ante*, nec *post*, nec præteritum, nec futurum, sed tantum præsens. 2° Affirmari non potest Deum per totam æternitatem mansisse otiosum, tum quia otiositas aliquid vitii exprimere videtur, tum quia nescimus quid sit, apud ens necessarium, agere, quiescere, in otio esse, etc. Certum est quidem Deum per totam æternitatem, actu scilicet perpetuo et necessario, extra se non egisse ; sed continuo interius agit seipsum contemplando et perfecte diligendo : ergo dici non potest illum fuisse otiosum.

Quædam aliæ proponi solent difficultates quæ potius sunt cavillationes ; v. g., quæritur ubi fuerit Deus ante creationem, quid fecerit, quo motivo ad creandum determinatus fuerit, cum per æternitatem sibi suffecerit ; unde ideam mundi sumpserit, an intra se, an extra se typum ejus invenerit, etc. Nemo autem non videt quantum plura ex his insulsa sint et sapienti philosopho indigna ; de quibusdam, data occasione, disseretur.

COROLLARIUM.

Procul rejicienda est igitur doctrina Academicorum, Peripateticorum, aliorumque veterum philosophorum qui docebant materiam esse æternam. Plerique tamen supremam agnoscebant intelligentiam quæ informem componens materiam, aspectabilem hunc mundum effecisset; quamvis ergo materiæ æternitatem admiserint, inter atheos non computandi sunt.

ARGUMENTUM QUINTUM.

Ex necessitate primi motoris.

Certum est existere motum infinitis formis varium, in aqua, in aere, in corporibus cœli et terræ, et in tota machina mundi: dicunt athei illum ab ipsa materiæ natura derivari, contendunt vero theistæ illum a materia oriri non posse, sed primarium motorem a materia distinctum evidenter supponere.

PROPOSITIO.

Ex necessitate primi motoris demonstratur Deum existere.

Prob. Existit Deus si admittendus sit primarius materiæ motor: atqui primarius materiæ motor est admittendus. Vel enim primarius materiæ motor admittendus est, vel dicendum est motum ex proprietatibus materiæ necessario fluere ipsique essentialem esse: atqui multiplici ratione demonstratur motum ex proprietatibus materiæ necessario non fluere. Etenim:

1° Proprietates materiæ, nobis cognitæ, sunt extensio, divisibilitas, *configurabilitas* et mobilitas: atqui patet has proprietates esse passivas et motum ex iis derivari non posse. Ergo adversarii aliam exhibere debent materiæ proprietatem ex quo motus necessario sequatur.

2° Si motus cum proprietatibus materiæ necessario esset colligatus, materia concipi non posset sine motu: atqui materia concipi potest sine motu; non possumus quidem mundum præsentem ut talem nobis exhibere sine motu, sed percipimus mundum aliter dispositum atque

motu destitutum non repugnare. Facile nobis repræsentamus corpora ut quiescentia, et plura quiescere judicantur. Ergo, etc.

3° Si motus ex natura materiæ necessario flueret, ipsius directio et celeritas pariter necessariæ forent, secus requireretur causa quæ talem directionem præ alia, talem celeritatis gradum præ alio determinaret; ac proinde corpora in suo motu respectivo nullam mutationem subire possent. At quotidie videmus motum novas subeuntem mutationes; eadem corpora modo velocius, modo lentius, modo ad orientem, modo ad occidentem, modo ad dextram, modo ad sinistram moventur: ergo gradum et directionem motus non a se ipsis habent, sed a causa externa accipiunt. Ergo et ipsum motum.

4° Corpora quiescentia non moventur, nisi vi externa impellantur, et eo major requiritur vis, quo major est eorum moles, vel major desideratur motus celeritas: unde omnes physici fatentur materiam ex natura sua esse inertem. Ergo corpora gradum et directionem motus proindeque motum ipsum a causa sibi extrinseca accipiunt. Ergo, etc.

Libenter fatemur multa, circa motus originem, naturam et communicationem, mentis nostræ aciem fugere, et argumenta solutu difficillima inde petita nobis proponi posse. Verum numquid ideo motus existentia negari debet, vel affirmandum est illum sine causa existere? Neutrum concedere possunt athei. Nisi ergo motus existentiam rationabiliter explicent, nihil contra nos probant, difficultates congerendo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Fieri potest corpora per successionem infinitam alia ab aliis moveri: ergo primarius non requiritur motor.

R. Nego ant. Probavimus enim seriem infinitam entium contingentium sibi succedentium esse impossibilem; at successio infinita corporum, quæ alia ab alii motum acciperent, non minus repugnat; esset enim pariter collectio effectuum sine causa. Ergo, etc.

Præterea, corpora in ea hypothesi moverentur necessario ; ergo invariabiliter, tum in directione, tum in celeritate, quod evidenter contrarium est experientiæ. Ergo, etc.

Obj. 2°. Corpora quæ videntur quiescere, motu insensibili revera moventur ; ergo motus ipsis est essentialis.

R. 1°. *Nego ant.* Nemini enim persuadere poterunt athei lapides in terra jacentes, vel parietem domus constituentes, motu perpetuo agitari : rapiuntur quidem cum terra, tum motu diurno, tum motu annuali ; sed motus ille ipsis non est proprius, nec de illo loquuntur athei. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Etiamsi enim concederetur omnia corpora motu insensibili continuo agitari, non sequeretur motum ipsis essentialem esse ; 1° quia nihilominus concipi possent sine motu aut aliter mota ; 2° quia multa corpora revera mutantur quoad motum et motus directionem ac celeritatem. Id tantum ergo inferretur, scilicet, causam infinitam ea sic constituisse. Ergo, etc.

Obj. 3°. Omnia corpora versus centrum gravitatis necessario feruntur : ergo essentialiter moventur.

R. Nego conseq. Nam 1° quamvis omnia corpora ad centrum gravitatis ferantur, non tamen continuo moventur, ut experientia constat ; 2° etiamsi versus centrum gravitatis continuo moverentur, non idcirco motus ipsis foret essentialis ; non enim a corporum natura pendet centrum gravitatis, sed a libera Dei voluntate. Aliunde, si materia, ut talis, aliam materiam ad se essentialiter traheret, omnia corpora se invicem traherent, et eo ipso nullum esset centrum gravitatis : ergo lex gravitatis repetenda est a voluntate primi motoris qui libere eam instituit ; ergo probat Deum existere.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ARGUMENTIS PHYSICIS.

Argumenta physica ex inspectione orbis et ex mirabili ordine in eo relucente deducuntur. Mirabilem hunc ordinem negare non possunt athei, sed illum casui fortuito tribuunt vel æternum esse dicunt. Primum locum inter

eos tenent Epicurei, quorum systema breviter refellemus, deinde argumenta physica Dei existentiam astruentia exponemus.

§ I. — De systemate Epicuri.

Epicurus, in Græcia anno 342 ante Christum natus, percelebris exstitit philosophus et plus quam trecenta scripsit volumina, referente Diogene Laertio. Non præcise negabat esse deos; sed contendebat illos huic mundo esse extraneos, in otio jacere, et res humanas indifferentibus oculis cernere.

Doctrinam atomorum, quam Leusippes et Democritus excogitaverant, ordinare et propagare studuit. Sic originem mundi explicabat: Duo, inquit, omnium rerum sunt principia, scilicet, 1° ab æterno existit inane, id est, spatium purum, circumquaque expansum, immensum et infinitum; 2° in magno inani æterna existit materia, non quidem in unum corpus compacta, sed in primas sui ipsius particulas minutatim secta. Partes illas vocat atomos, quia juxta ipsum dividi nequeunt.

Atomorum autem hæ sunt proprietates: 1° varias habent formas; aliæ sunt oblongæ, aliæ sphæricæ, aliæ triangulares et aliæ instar hamorum inflexæ; 2° sunt necessariæ et æternæ; 3° sunt indivisibiles, licet extensæ, ob perfectam duritiem qua pollent; 4° a summo deorsum per vacuum necessario moventur juxta lineas rectas et perpendiculares.

Iis positis, sic mundus cœpit existere: a summo deorsum ab æterno ferebantur atomi; forte autem contigit ut, a linea recta declinantes, in se invicem impegerint, et sibi ob varias formas adhærentes, varia efformaverint corpora ex quibus totus coalescit orbis. Absurdum illud systema elegantibus versibus exornavit Lucretius, poeta latinus, centum circiter annis ante Christum vivens, audacia adversus divinitatem notissimus.

PROPOSITIO.

Absurdum est systema Epicuri.

Prob. Rejiciendum est systema cujus principia sunt arbitraria, absurda et contradictionibus plena, et cujus insuper consecutiones sunt falsæ : atqui tale est systema Epicuri.

1° *Principia ejus sunt arbitraria.* Epicurus enim nullam affert rationem cur atomi existant, cur sint necessariæ, cur essentialiter moveantur, cur diversas habeant formas, etc. ; gratis igitur hæc omnia supponit.

2° *Principia Epicuri sunt absurda.* Atomi enim concipi possunt non existentes vel alio modo existentes, immobiles vel aliam directionem sequentes ; quod autem alio modo concipi potest, jam non est necessarium, sed externam supponit causam, qua determinatum fuerit ad hunc vel illum existendi modum. Ergo, etc.

3° *Contradictionibus sunt plena.* Dicit enim Epicurus, 1° atomos juxta lineam rectam essentialiter moveri, et tamen quodam casu ab illa rectitudine declinasse ; 2° supponit vacuum immensum et simul admittit atomos numero infinitas quæ proinde totum inane implere debuissent; 3° in vacuo infinito summum et deorsum distinguit ; 4° suas atomos extensas esse contendit, et tamen indivisibiles : porro hæc omnia evidenter sibi contradicunt. Ergo, etc.

4° *Falsæ sunt consecutiones* quas Epicurus ex principiis suis deducit. Ex principiis enim suis deducit originem mentium nostrarum, formationem omnium corporum, structuram mundi et illius conservationem ; at illæ consecutiones ex principiis Epicuri recte deduci non possunt.

1° Origo mentium nostrarum ex fortuito atomorum concursu deduci non potest : quis enim sibi persuadere poterit quemdam partium extensarum motum, aliquam materiæ configurationem vel *agglomerationem*, cogitationem et ipsum cogitationis subjectum producere? Nulla enim est connexio inter cogitationem et proprietates materiæ nobis cognitas. Insuper alibi demonstrabimus subjectum cogitans a materia esse distinctum. Ergo, etc.

2° In formatione variorum corporum, præsertim organis instructorum, maxima relucet intelligentia : omnes partes admirabili connexu inter se devinciuntur, perfecta harmonia ad totum concurrunt : atqui perabsurdum est ordinem tam perfectum ex cæca atomorum concursione prodiisse. Ergo, etc.

3° Multo magis repugnat orbem universum aliam non habuisse causam ; nam ubi deprehenditur ordo conspicuus et dispositio partium admirabilis, ibi adfuisse causam intelligentem et sapientem necesse est. Quis, videns domum bene ordinatam quoad portas, fenestras, cubicularia, caminos, cæterasque partes, persuasum habebit eam casu fortuito sic factam esse? Idem dici potest de statua, tabella, libro, etc. Ergo a fortiori de mundo.

4° Conservatio perfectæ hujus rerum dispositionis absurdius adhuc fortuito atomorum concursui tribueretur ; quod enim est fortuitum, nullam habet firmitatem : si in uno instanti aliquis videatur ordo, in posteriori momento nova commotione destruitur : at ex pluribus annorum millibus orbis in eadem mirabili dispositione constans remanet, et nulla mutationis apparentia in eo deprehenditur. Ergo, etc. ; aliunde, etc. ; insuper, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Per totam æternitatem infinitæ esse potuerunt atomorum in sese incurrentium dispositiones : atqui inter illas dispositiones præsens rerum universitas continetur : ergo, etc.

R. 1°. *Nego maj.* Tales quippe atomorum compositiones ad summum *potentia*, non vero actu infinitæ essent : ergo admitti non potest eas in numero infinito exstitisse.

R. 2°. *Nego min.* Nam 1° existunt in mundo spiritus : atqui spiritus nulla ratione inter varias atomorum dispositiones continentur. 2° Aliqua debet esse proportio inter causam et effectum ; atqui nulla est proportio inter fortuitum atomorum concursum et perfectum ordinem qui in orbe conspicitur : quis enim serio dixerit oculos fortuito casu factos esse ad videndum, aures ad audiendum, na-

res ad olfaciendum, pedes ad ambulandum, etc.? 3° Ordo mundi est constans; terra, luna et cuncta sidera easdem subeunt conversiones : eodem modo plantæ se reproducunt, animalia sese regenerant, et species diversæ non confunduntur. Porro tanta rerum stabilitas mera cæcarum atomorum productio esse non potest. Ergo, etc.

Obj. 2°. Quotidie plurima nascuntur animalia ex sola corruptione, v. g., vermes in carnibus : ergo similiter corpora nunc existentia ex limo terræ vel ex fortuito atomorum concursu oriri potuerunt.

R. Nego ant. Apud omnes enim historiæ naturalis peritos nunc constat nulla produci animalia sine semine : cum autem semen in varia loca sæpe asportetur ibique diversis causis nobis incognitis foveatur, hinc accidit ut plurima nascantur animalia, quorum non facile originem detegimus : non ideo tamen corruptioni tribuenda sunt : v. g., nulli vermes nascuntur in carnibus, quando muscæ ova sua in eas deponere non potuerunt. Ergo, etc.

Multis aliis rationibus systema Epicuri refelli posset : verum tot manifestis absurditatibus scaturit, ut quæ jam diximus abunde sufficiant. Vide *Fénelon*, 2ª *partie*, et opus exquisitis versibus latinis scriptum, cui titulus : *Anti-Lucretius*.

Non necesse est systemata recentium atheorum, in nefandis operibus, et præsertim in exsecrabili libro inscripto *Système de la nature*, exposita singulatim refellere. Illorum absurditas ex dictis patet, et ex dicendis evidentius patebit. Utiliter legentur opus dictum : *les Helviennes*, etc., auctore *Barruel*, t. I et II, et aliud cui titulus : *Examen du Matérialisme*, par *Bergier;* doctiss. card. *Gerdil*, etc.

§ II. — Exponuntur argumenta physica Dei existentiam astruentia.

Tot confici possent argumenta physica ad demonstrandam Dei existentiam quot sunt partes in orbe universo. Sed duo tantum proponemus, unum generale, ex inspectione orbis petitum, et alterum speciale, ex formatione corporis nostri depromptum.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex inspectione orbis petitum.

PROPOSITIO.

Ex mirabili dispositione orbis demonstratur Deum existere.

Prob. Ut ex orbis inspectione demonstretur Deum existere, duo sufficiunt, nempe 1° ut in eo mirabilis existat ordo, et 2° ut ille ordo soli Deo tribui possit : atqui hæc duo constant.

I. *Mirabilis existit ordo.* Ubi enim conspicimus multiplicitatem entium omnis generis, mirabilem inter ea concentum, accuratam omnium partium illarum consensionem, demirandam specierum fecunditatem et perpetuam rerum conservationem, ibi mirabilem adesse ordinem fatendum est : atqui tales perfectionis characteres ubicumque videmus in orbe.

1° *Multiplicitatem omnis generis entium.* A lucentibus enim corporibus quæ supra nos volvuntur, usque ad ultimas materiæ particulas, quot species diversæ entium! quis eas dinumerare posset? Stupendi cœlestes globi capitibus nostris suspensi suo splendore nos delectant, sua multitudine nostram mirationem excitant, sua distantia prope infinita, sua mole ingenti nos stupefaciunt. Terra, respectu illorum, est velut punctum vix sensibile, innumeras tamen multitudines animalium, plantarum et mineralium super illam circumspicimus : quanta enim dici possent ab elephante ad vermiculos; ab aquila ad musciculas; ab enormibus cetis usque ad pisciculos vel minimas conchas; ab altissimis cedris ad humiliores herbas! Ergo, etc.

2° In tanta multiplicitate entium *mirabilis adest concentus.* Stellæ, velut exercitus mirifice compositus, stant in firmamento, sol et luna alternis vicibus nos perlustrant, mare inter limites sibi assignatos fideliter sistit, profundæ illius aquæ plurimo sale miscentur, et sæpe vehementer agitantur, ne corrumpantur et putrescant; sustinendis de-

ferendisque navibus inserviunt, et plagas atque gentes a se longe distantes quasi adunant. Immensa aeris substantia ad conservationem vitæ animalis omnino necessaria, terram circumcingit, et cunctorum constitutioni optime est accommodata : si tenuior esset, eis non sufficeret; si crassior, ea suffocaret. Solida est terra, ut nos aliaque entia gravia sustineat : si multo foret mollior, in ipsa sicut in aquas immergeremur; si paulo durior, nec fodi nec coli posset. Radii solis superficiem maris calefacientes, aquas dilatant, ab extraneis substantiis separant, in subtiles vapores reducunt, qui sursum elevati, nubes componunt, atmosphæram temperant, pluviam in terram distillant. Pro diversis animalibus, sive in aquis natantibus, sive in aere volantibus, sive in terra degentibus, varia parantur alimenta ; singulæ eorum species suos habent mores, quos non mutant; ad specialem finem destinatæ, ab illo non recedunt, etc. Ergo 2°, etc.

3° *Singularis est consensio inter varias* uniuscujusque entis partes et inter *partes totius orbis*. Quam mirum est plantarum artificium! Singulæ enim constant tubulis et canalibus, quorum alii ad excipiendum aerem, et alii ad succos nutricios e visceribus terræ extrahendos destinantur. Quid mirabilius corporibus organicis ? quam perfecta ordinatio inter diversa eorum membra, inter partes singula membra constituentes! Quis, v. g., accuratam oculi, auris, cordis, nervorum , fibrarum, arteriarum, venarum, etc., constructionem attente considerans, optimam eorum in cunctis individuis proportionem demirans , statim non exclamaret manifestos ibi adesse infinitæ sapientiæ characteres! Adhuc mirabilior est istiusmodi ordo in animalculis quæ ope microscopiorum nunc deteguntur : in aqua communi, v. g., infinitæ multitudines hujus generis entium existunt, vivunt et natant, sicut magni pisces in mari; adeo sunt parva, ait *Malzieu*, ut vermiculi casei vigesies septies millies millium (27,000,000) eis sint majores. Arenula igitur est respectu illorum sicut globus terræ respectu nostri; verumtamen reperiuntur in eis cuncta organa, cum debita proportione, caro et ossa, nervi

et musculi, stomachus et viscera, sanguis et alii humores, etc. Vide *Valmont de Bomare*, et recentiora de his materiis opera.

Hæc mirabilis consensio in individuis existens, in speciebus, in generibus, et in toto orbe conspicitur : omnia sunt concatenata, ordinata, ad eumdem finem tendentia, totum ex innumeris partibus diversis mirabiliter conflatum efficiunt, sicut variæ colorum et umbrarum distributiones unam tabellam, multæ cohortes militum unum exercitum, diversæ rotæ aliæque partes unum horologium, innumeræ litteræ quodam ordine dispositæ unam concionem vel unum poema componunt. Ergo 3°, etc.

4° Non minus *demiranda est entium in mundo existentium fecunditas et conservatio*. Species enim, juxta genus suum, sese perpetuant sine mutatione essentiali. Inter animalia, alia sunt vivipara, alia ovipara, alia varias subeunt metamorphoses ; plus vel minus vivunt, deinde moriuntur, et semper eadem reperiuntur. Plantæ sese reproducunt, aliæ per grana certo modo fecundata ope sexuum, ut in animalibus ; aliæ per taleas (*bouture*), aliæ per radices, v. g., *les pommes de terre*, etc. Dies et noctes, menses et anni eodem modo sibi succedunt. Easdem directiones tam constanter sequuntur sidera, ut in immensis spatiis quæ percurrunt, motus et reditus eorum exacte computari et certo prædici queant. Ergo 4°, etc. ; aliunde, etc. Ergo 1° perfectus ordo existit in mundo. Est factum patens quod a nemine in dubium revocari potest.

II. *Ille ordo mirabilis soli Deo tribui potest*. Vel enim a Deo fuit institutus, vel necessario existit, vel a casu fortuito prodiit : atqui duo posteriora dici nequeunt. 1° *Non existit necessario ;* nam tunc aliter constitui non potuisset : atqui non repugnat illum aliter fuisse constitutum. Insuper demonstravimus materiam non esse necessariam : ergo nec ordo in ea relucens necessarius est. 2° *A casu fortuito non prodiit ;* nam 1° materiæ elementa necessaria et æterna essent, quod repugnat ; 2° casus fortuitus est nomen sensu vacuum ; in ea vero hypothesi mirificus et constans ordo sine causa intelligenti existeret : atqui hoc repugnat. Ubi

enim sunt fines evidenter intenti et media ad eos assequendos apta, ibi præfuisse causam intelligentem et sapientem necesse est : at in mundo multi conspiciuntur fines evidenter intenti, et media ad eos assequendos aptissima : sic oculi aptiori loco positi sunt ad videndum, aures ad audiendum, etc. Numquid casu fortuito contigit pisces habere squamas et aves plumas? Numquid temerario naturæ ludo animalia manducant, bibunt, crescunt, multiplicantur et easdem species semper servant? Hæc fateri coguntur athei ; sed quis tales absurditates patienter audire posset? Nonne qui videt palatium, statuam, tabellam, librum, horologium, etc., statim judicat adfuisse opificem qui hæc fecerit? attamen hæc opera multo inferiora sunt operibus naturæ : domus non generat domos, statua non producit statuas ejusdem naturæ, formæ et speciei, sicut plantæ et animalia. Stolidissimi ergo sunt qui affirmare non erubescunt mirabilem ordinem in mundo relucentem supremæ sapientiæ opus non esse. Ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo 3°, etc.

Unde jubilantes exclamare debemus cum Psalmista : *Cœli enarrant gloriam Dei : et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. XVIII); vel atheos practicos redarguere, cum citato Paulo, Rom. I, 20, dicentes : *Invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.*

Circa præsens argumentum, ex mirabili ordine mundi petitum, legi possunt : Cicero, *de Natura Deorum*, libro 2; Nieuwentyt, *L'existence de Dieu démontrée par les merveilles de la nature*, 1 vol. in-4°; Fénelon, *Existence de Dieu ;* Pluche, *Spectacle de la nature ;* Duguet, *Explication de l'ouvrage des six jours ;* Racine, *Poème de la religion ;* Bernardin de Saint-Pierre, *Études de la nature ;* Cousin Despréaux, *les Leçons de la nature*, 4 vol. in-12; de Châteaubriand, *Génie du Christianisme*, etc., etc.

Ex mirabili ordine mundi optime concluditur supremam et perfectam existere causam ex qua tanta processerit magnificentia. Stricte vero inde non inferretur hanc causam

esse sub omni respectu infinitam : ut rigorosa obtineatur infinitatis ejus demonstratio, recurrendum est ad notionem entis necessarii et infiniti, de quo supra.

Nihilominus probationes physicæ et morales clare ostendunt, unaquæque in ordine suo, supremum existere numen a quo omnia pendent. Ope argumentorum metaphysicorum demonstratur primam hanc causam esse necessariam, æternam et in omni perfectionum genere infinitam. Sicque variæ probationes se invicem fulcientes, invictissimas præbent demonstrationes, quarum, si non omnes, saltem alterutræ ab omnibus apprehendi possunt. Qui, v. g., argumenta metaphysica apprehendere nequirent, ex auctoritate cognoscere poterunt infinitatem Dei, quem certe ex probationibus moralibus et physicis existere norunt.

Unde hæc omnia argumenta, quibus invicte astruitur existentia Dei, licet illius naturam non adæquate manifestent, ut gravissimi momenti habenda sunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. Plures insipientiæ characteres deprehenduntur in mundo : ergo mirabili ejus structura demonstrari non potest Deum existere.

R. Nego ant. Affirmare enim non possumus insipientiæ characteres conspici in mundo, nisi cognoscamus supremam intelligentiam ea facere aut permittere non potuisse quæ minus ordinata nobis videntur : atqui certe non percipimus supremam intelligentiam ea facere, etc. ; ad hoc enim necesse foret ut limites supremæ potentiæ nosceremus : atqui hoc manifeste repugnat : ergo, ex apparentibus insipientiæ characteribus qui conspiciuntur in mundo, unum inferri potest, scilicet multa nos latere. Porro nemo non videt quam immerito inde concluderetur vel mirabilem non existere ordinem in mundo, vel ordinem istum supremi Gubernatoris existentiam non arguere. Quis enim, inspiciens horologium in quo nonnullarum rotularum utilitatem non perciperet, concluderet illud sine opifice factum fuisse ? Quanto magis insanus est qui con-

tendere non erubescit mundum supremæ intelligentiæ opus non esse, quia plurima sunt quorum utilitatem vel destinationem non advertit! Unde eleganter poeta jam citatus (*chant* I, *v.* 265) :

> Et tu crois, ô mortel! qu'à ton moindre soupçon,
> Au pied du tribunal qu'érige ta raison,
> Ton maître obéissant doit venir te répondre!
> Accusateur aveugle, un mot va te confondre;
> Tu n'aperçois encor que le coin du tableau,
> Le reste t'est caché sous un épais rideau,
> Et tu prétends déjà juger de tout l'ouvrage.
> A ton profit, ingrat, je vois une main sage
> Qui ramène ces maux dont tu te plains toujours.
> Notre art des poisons même emprunte du secours.

Inst. 1°. Pluvia aliquando decidit in mare, in deserta, in terras incultas, steriles aut jam nimis madefactas, dum alibi segetes præ siccitate pereunt; multa sunt insecta, plantæ et herbæ quæ noxia sunt: ergo plures insipientiæ sunt characteres in mundo.

R. Nego conseq. Deus enim creando mundum nonnullas instituit leges constantes et uniformes, juxta quas iidem effectus in iisdem circumstantiis producuntur: sic aqua maris sole calefacta distillatur, a materiis extraneis separatur, in tenuem vaporem reducitur, cum aere commixta seorsim elevatur, in nubes convertitur: nubes ventis agitantur, huc atque illuc impelluntur et in varias plagas salutares effundunt aquas. Vi autem sapientis hujusmodi legis nonnunquam accidit ut pluviæ in mare, in rupes, in terras desertas incidant, dum alibi segetes siccitate marcescunt; sed quid inde? numquid inferendum est institutionem pluviæ non esse sapientem, aut casu fortuito contingere?

Insuper dici potest Deum voluisse ut nostram ab ipso dependentiam agnosceremus, eumque supplices deprecaremur. Alios fines nobis ignotos sibi proponere potuit.

Præterea, ex animalibus venenosis, ex plantis et herbis noxiis efficacia conficiuntur remedia. Aliunde summa Creatoris sapientia tam mirabiliter in his substantiis emicat quam in aliis, videlicet ratione constructionis, propaginis, nutritionis, etc. : ergo, etc.

Hinc concludit *Racine*, loco citato, v. 303 :

> Telle est de l'univers la constante harmonie,
> De son empire heureux la discorde est bannie.
> Tout conspire pour nous, les montagnes, les mers,
> L'astre brillant du jour, les fiers tyrans des airs.
> Puisse le même accord régner parmi les hommes !

Quanta ergo est absurditas in eo atheorum ratiocinio: Quædam in mundo nos latent : ergo nullus est ordo, nulla sapientia, vel omnia casui fortuito tribui possunt !

Inst. 2°. Quidam insoliti nascuntur effectus qui vocantur monstra : atqui tales effectus insipientiæ sunt characteres : ergo, etc.

Nego min. Nam 1° effectus qui consectaria sunt legum sapienter institutarum reputari non debent insipientiæ characteres : atqui effectus insoliti, qui nobis objiciuntur, consectaria sunt legum, etc. Conceptio enim, nutritio et nativitas fetus secundum leges sapienter institutas fieri solent : si quædam accidentalia naturalem hanc ordinationem deturbent, Deus miraculum operari non tenetur, ne monstruosum nascatur individuum. 2° Tanta sapientia relucet in monstris, ut casui fortuito tribui nequeant; quis enim, v. g., serio dicet hominem a nativitate gibbosum, claudum, cæcum, etc., casu fuisse formatum? 3° Etiamsi non perciperemus cur Deus permiserit evenire monstra, evidenter inde concludere non liceret ipsum non existere, aut ipsius existentiam mundum non arguere, aut sapientem ordinem in mundo non conspici vel casu contigisse. Ergo, etc. Hinc D. *De Polignac* (*Anti-Luc.* I, 9) :

> O ratio humanæ mentis, quam cæca superbis !
> Hæc in mente Dei si quondam, carcere rupto,
> (Atque utinam) aspiceres, proh ! quam tibi justa repente
> Cuncta viderentur, quæ nunc male cognita damnas !

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex formatione corporis nostri.

PROPOSITIO.

Ex formatione corporis nostri demonstratur Deum existere.

Prob. Certum est corpus nostrum, mirabiliter constitu-

tum, casu fortuito non existere : ergo a solo Deo formatum est. Vel enim a solo Deo formatum est, vel a matre, vel a materia, vel a natura : atqui tria posteriora dici nequeunt. 1° *Non a matre ;* constat enim corpus humanum in utero matris formari, volvi, crescere, ipsa ignorante quomodo hæc singularis operatio fiat. 2° *Non a materia ;* materia quippe est iners et cæca : nullum habet in se principium activitatis : atqui corpus humanum tot partibus diversis mira proportione inter se colligatis constans, ex causa cæca, inerte et omni cognitione destituta oriri non potest. 3° *Non a natura ;* nam vel natura, abstractive sumpta, est ens aliquod, vel non : si prius, ens istud omnia formans et ordinans, est supremum, a se existens, summe intelligens et independens, proindeque Deus ; si posterius, ergo corpus nostrum e nihilo prodiit, sine causa existit, quod est absurdum. Ergo, etc.

Nullum est ens organis instructum et vivens circa quod simile confici non possit argumentum, ex quo infertur supremum et valde sapientem esse totius naturæ auctorem. Aliunde demonstratur hunc auctorem ex necessitate naturæ suæ existere et ipsius perfectiones nullos agnoscere limites.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ARGUMENTIS MORALIBUS.

Argumenta moralia sunt illa quæ ex ordine morali, v. g., ex consensu hominum eruuntur. Plurima proponi solent, sed duo seligemus, unum ex consensu populorum, et alterum ex stimulis conscientiæ deductum.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex consensu populorum deductum.

Hoc argumentum, licet in natura humana fundatum et simul ex perpetua traditione depromptum, apud SS. Patres, S. Th. aliosque celebriores theologos non reperitur. Minime igitur necessarium est ad existentiam Dei optime astruendam, et nulla est ratio cur illud ante cætera proferatur tanquam solidius, ut quidam recentiores prætenderunt.

PROPOSITIO.

Ex consensu populorum invicte demonstratur Deum existere.

Prob. Ut ex consensu populorum invicte demonstretur Deum existere, duo sufficiunt, nempe 1° omnes populos fuisse unanimes in admittendo supremo Numine, et 2° hunc consensum invictum esse veritatis argumentum : atqui hæc duo certa sunt.

1° *Omnes populi fuerunt unanimes in admittendo supremo Numine :* hoc enim factum testimonio scriptorum omnium gentium et temporum etiam remotissimorum constat.

Prætermittimus Moysen, omnium scriptorum antiquissimum, Job aliosque auctores sacros qui perfectam tradunt doctrinam de Deo et ejus attributis.

Cicero (de Legibus, l. 1, n. 24) : « Ex tot generibus nul« lum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam « Dei : de ipsisque hominibus nulla est gens tam imman« sueta tamque fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem « habere Deum deceat, tamen habendum esse sciat. »

Seneca (Epist. 117) : « Multum dare solemus præsump« tioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumen« tum est aliquid omnibus videri. Tanquam deos esse sic « colligimus quod omnibus de diis opinio insita sit, nec « ulla usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut « non aliquos deos credat. »

Plutarchus (adv. Colotem, p. 1125, edit. in-fol. an. 1624) : « Et si terras obeas, invenire possis urbes muris, « litteris, legibus,domibus, opibus, numismate carentes, « gymnasiorum et theatrorum nescias : urbem templis « diisque carentem, quæ precibus jurejurando, oraculo « non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sa« cris avertere nitatur, nemo unquam vidit; sed facilius « urbem condi sine solo posse puto, quam, opinione de « diis penitus sublata, civitatem coire aut constare. »

Alii auctores antiquissimi testantur opinionem divinitatis apud omnes gentes exstitisse. Herodotus aliique scriptores historici mentionem faciunt de religione apud

populos quorum historia describunt recepta ; Homerus, Hesiodus et alii poetæ celebrant deos ; Lucretius laudat Epicurum ex eo quod *primus* contra *horribilem religionis aspectum* insurrexerit (l. 1, v. 64). Constat denique eamdem opinionem jugiter viguisse apud Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, Persas, Indos, Arabes, Græcos, Romanos, Gallos, Germanos, etc.

Ubique præterea occurrunt signa et monumenta universalem hanc de divinitate opinionem testantia, scilicet, leges religionem spectantes, cæremoniæ præscriptæ, sacra plus minusve solemnia, dies festorum indicti, templa erecta, sacerdotes instituti, etc. Hæc merito sic exprimit *Racine* (*chant* I^er^, v. 331) :

> Oui, je trouve partout des respects unanimes,
> Des temples, des autels, des prêtres, des victimes.

Eadem opinio nunc viget et monumenta ejusdem generis reperiuntur apud omnes populos etiam barbaros, in silvis degentes et incultos, qui saltem aliquod numen agnoscunt, ut historiis authenticis et relationibus viatorum fide dignissimis constat. Ergo 1°, etc.

2° Unanimis ille populorum consensus invicte probat Deum existere, si facile explicetur in sententia theistarum et in opinione atheorum nullo modo possit explicari : atqui res ita se habet.

1° *In sententia theistarum facile explicatur.* Deus enim in prima rerum origine se hominibus manifestavit, sui existentiam in cunctorum cordibus quodam modo impressit, sua attributa in creaturis et in ordine mundi depicta omnium oculis conspicienda fecit; primi homines hanc fidem, qua imbuti erant, ad sequentes generationes transmiserunt, easque docuerunt supremum conditorem et omnium moderatorem in toto orbe relucentem videre. Sed, decurrentibus sæculis, homines naturam, præsentiam vel operationes Dei explicare volentes, in varios inciderunt errores : hinc idololatria, quæ tamen omnem supremi Numinis notitiam nunquam penitus exstinxit, ut ex infra dicendis patebit. Ergo 1°, etc.

2° *In atheorum opinione unanimis populorum consensus*

de existentia Dei nullo modo explicari potest. Celebriores enim athei, inter quos poeta Lucretius, illum tribuunt vel præjudiciis et educationi, vel formidini occasione terribilium naturæ phænomenorum excitatæ : vel ignorantiæ, quæ mirabiles effectus in mundo existentes explicare non valens, eos attribuit causæ occultæ quam Deum vocavit; vel politicæ arti principum, qui Deum excogitarunt ut subditos terrerent eosque facilius subderent : atqui nihil horum rationabiliter dici potest. 1° Dici non potest fidem universalem in existentiam Dei *ex præjudiciis et educatione* ortam esse, quia hæc non sunt universalia et constantia; examini subjecta, facile excutiuntur et mutantur; cum recta ratione conciliari non possunt : contra vero fides in Deum est universalis, constans, eo firmior evadit quo strictiori subjicitur examini, et sub omni respectu rectæ rationi optime congruit. Ergo 1°, etc.

2° *Non ex formidine ;* alioquin hæc de existentia divinitatis sententia non esset tam universalis, constans et uniformis. Insuper Deus, in ea hypothesi, ut formidabilis tyrannus haberetur, et tamen ubique repræsentatur ut bonus et beneficus : sic ipsimet Scythæ, licet barbari, Alexandrum alloquuntur (Quint. Cur., lib. 7, n° 33) : *Si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere.* Ergo 2°, etc.

3° *Non ex ignorantia ;* nam 1° homines omnium locorum et temporum, docti sicut et indocti, mirabiles effectus in orbe conspectos Deo non ita tribuissent, si nullam illius ideam habuissent, et in tali sententia omnes ita perseverare non potuissent, etiam post maximum adhibitum examen. 2° Si Deus non existat, assignanda est causa mirabilium hujusmodi effectuum, quod certe rationabiliter non faciunt athei. 3° Sententia quæ eo firmior fit quo magis in cognitione rerum naturalium proficimus, ignorantiæ adscribi non potest : atqui talis est opinio de divinitatis existentia, ut observat *Bacon* (*de Atheismo*, pag. 183, edit. in-fol. ann. 1638) : « Deus nunquam edidit miraculum « ad atheismum convincendum, quoniam opera ejus or- « dinaria huic rei sufficiunt : verum est tamen parum

« philosophiæ naturalis homines inclinare ad atheismum, « at altiorem scientiam eos ad religionem circumagere. « Etenim intellectus humanus, dum causas secundas « intuetur sparsas, interdum eis acquiescere potest, nec « ulterius penetrare; verum, cum tandem catenam ea- « rum connexarum inter se et confœderatarum contem- « plari pergat, necesse habet confugere ad Providentiam « et Deitatem. »

2° *Non ex arte politica*, et quidem ob multiplices rationes : 1° enim auctores omnium ætatum qui originem artium nobis referunt, de origine theismi et religionis nihil dicunt; 2° repugnat omnes principes et legislatores in hujusmodi figmento tam perfecte sibi consensisse; si Deus non existit, est impossibilis, cum ab alio ente existentiam accipere non possit : quomodo ergo principes ideam rei impossibilis habere potuerint? 3° Multo magis adhuc repugnat eos talem ideam repugnantem, ex hypothesi, et cupiditatibus adversam, cunctis gentibus persuasisse. 4° Quidquid arbitrarium et a solis hominibus statutum est non est firmum et perseverans : « Opinionum enim com- « menta delet dies, naturæ judicia confirmat, » ait Cicero (de Natura deorum, l. 2, n° 5). 5° Fides in divinitatem viget apud populos agrestes qui nullas habent leges nullosque principes politicos, saltem qui artem fingendi ab aliis principibus ediscere potuerint, etc,; aliunde, etc. Ergo, etc.

Quis sensatus non videt hos aliosque similes atheorum conatus meras esse argutias seria confutatione indignas? Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Constat relationibus viatorum fide dignis plures exstitisse et etiam nunc existere populos barbaros qui nullum agnoscunt Deum : ergo consensus populorum in admittendo supremo Numine non est unanimis.

R. 1° *Nego ant.* Non facile enim adhibenda est fides relationibus viatorum : 1° quia sæpe non satis diu morati sunt apud populos ut veram opinionem eorum de Deo agnoscerent; 2° quia idiomata eorum non callebant, nec

idcirco sermonem de Deo et religione cum illis habere poterant : revera contigit aliquos populos exhibitos fuisse ut atheos, qui postea deprehensi sunt Deum agnoscere et venerari. 3° Communiter viatores crediderunt prædictos populos nullum venerari Deum, quia nec templa, nec altaria, nec ulla sacra apud eos viderunt : at fieri potest ut populus incultus, barbarus, vagus et palabundus, sine domibus et tectis existens, nulla templa, altaria aliaque signa religionis publica habeat, et tamen aliquam divinitatem admittat. Ex templorum, sacerdotum aut sacrorum rituum existentia recte concluditur populum agnoscere Deum : ex illorum vero defectu inferri non potest populum aliquam ideam Dei non habere. 4° Quia fieri potest ut illi viatores, mala fide, falsa narraverint. Ergo, etc.

R. Nego conseq. Etiamsi enim concederetur quosdam exstitisse et etiam nunc existere populos barbaros qui nullum agnoscerent Deum, non ideo concludendum foret consensum populorum circa Dei existentiam non esse moraliter unanimem : tales quippe gentes incultæ et barbaræ pro nihilo æstimandæ sunt respectu totius generis humani, habendæ sunt sicut infantes et amentes usu rationis carentes : Deum propter defectum attentionis aut tarditatem ingenii ignorant, non vero proprie negant. Ergo, etc. Eamdem difficultatem sibi proponit sicque eam diluit poeta gallicus pluries citatus (*chant* 1^er^ *v.* 375) :

> Ces épaisses forêts qui couvrent des contrées
> Par un vaste océan des nôtres séparées
> Renferment, dira-t-on, de tranquilles mortels
> Qui jamais à des dieux n'ont élevé d'autels :
> Quand d'obscurs voyageurs racontent ces nouvelles,
> Croirai-je des témoins tant de fois infidèles?
> Supposons cependant tous leurs rapports certains;
> Comment opposerais-je au reste des humains
> Un stupide sauvage errant à l'aventure,
> A peine de nos traits conservant la figure;
> Un misérable peuple égaré dans les bois,
> Sans maîtres, sans états, sans villes et sans lois?
> Qu'à bon droit, libertins, vous êtes méprisables,
> Lorsque dans ces forêts vous cherchez vos semblables.

Inst. 1° Tota *litteratorum* secta apud Sinenses aperte profitetur atheismum; ergo, etc.

R. 1° *Retorqueo argumentum.* Tota secta Sadducæorum apud Judæos immortalitatem animæ negabat : ergo populus judaicus vitam futuram non admittebat. Numerosa erat secta Epicureorum apud Romanos : ergo Romani erant athei.

R. 2° *Neg. ant.* Communiter enim *litterati* apud Sinenses summo in honore habent Confucium et ipsius libros, quos vocant canonicos : porro libri Confucii fidem unius Dei omnium conditoris et moderatoris sine ulla ambiguitate faciunt : ergo, etc. Vide P. *du Halde* (*Description de la Chine*, t. III, p. 1 *et suiv.*)

R. 3°. *Nego conseq.* Dicimus enim consensum omnium populorum circa Dei existentiam esse moraliter, non vero metaphysice, unanimem : porro quædam atheorum sectæ non impedirent quin consensus populorum circa Dei existentiam esset moraliter unanimis. Ergo, etc.

Inst. 2°. Ut consensus populorum circa Dei existentiam sit moraliter universalis, debet esse omnium temporum et omnium locorum : atqui præsagire non possumus quænam futura sit opinio populorum circa Divinitatem, nec quid nunc sentiant populi ignoti : ergo, etc.

R. 1°. Non necesse est ad futura tempora attendere ; eo ipso enim quod huc usque omnes populi crediderint Deum existere, illorum consensus est universalis et constans atque firmum veritatis argumentum, ut ostendimus.

R. 2°. *Nego min.* Quæ enim natura fundantur, semper sunt eadem : atqui opinio populorum circa Divinitatis existentiam natura fundatur. Omnes namque homines sic consentire non potuerunt in admittenda tali opinione sensibus impervia et cupiditatibus adversa, nisi ipsis tradita fuerit et ad eam natura duce impellantur. Per analogiam igitur judicare debemus eamdem opinionem apud populos nobis ignotos vigere, et in futuris sæculis perseveraturam sicut in præteritis exstitit. Ergo, etc.

Obj. 2°. Omnes populi fuerunt unanimes in admittenda deorum multiplicitate : atqui deorum multiplicitas est cumulus absurditatis : ergo, *a pari*, quamvis, etc.

R. Nego maj. Tota enim gens hebræa unicum agnosce-

bat et venerabatur Deum, nobiliores philosophi unitatem Dei agnoscebant, et inter gentes saltem multi supremum credebant Deum, cui cæteri dii erant subditi. Vide exquisitum opus inscriptum : *Religionis naturalis et revelatæ principia* (auctore *Hooke*), t. I, p. 228 ; *Essai sur l'indifférence*, etc., t. III, c. 24, etc.

R. 2°. *Nego consequentiam et paritatem.* Nam 1° consensus populorum circa deorum multiplicitatem non erat unanimis ; varii erant dii pro variis temporibus, regionibus et familiis ; unanimis vero fuit circa divinitatis existentiam. 2° Illæ opiniones a præjudiciis vel cupiditatibus oriri poterant ; sic plures deos finxerunt idololatræ, quia unicum Deum omnibus simul providentem animo non capiebant ; libido causa fuit cur altaria Veneri erigerentur, etc,; at consensus circa divinitatis existentiam a præjudiciis non oritur, quia præjudicia non sunt tam universalia, tam constantia et uniformia ; non a cupiditatibus, cum, e contra, fides in divinitatem cupiditatibus adversetur. Ergo, etc.

Inst. 1°. Credere Deum aliter quam est, idem est ac si non crederetur : ergo polytheistæ, revera Deum non agnoscebant. Ita *D'Alembert* (*Eléments philosophiques*, p. 63 et 66).

R. Nego ant. Ingens enim datur discrimen inter existentiam alicujus rei cognoscere, et proprietates ejus recte comprehendere ; quod optime sic explicat *Barruel*, t. II, p. 136, ipsum *D'Alembert* premens :

« *Supposons que deux mille personnes me disent avoir vu le philosophe que je réfute : les uns en font un homme très-savant, très-modeste, religieux, débonnaire, très-clair et très-profond métaphysicien ; selon les autres, c'est un homme très-léger, pointilleux, entortillé, glorieux, rusé, irréligieux et très-superficiel. Croirai-je pour cela qu'il n'existe point de D'Alembert ? et dirai-je que croire cet académicien ce qu'il n'est pas, c'est à peu près la même chose que de ne pas croire qu'il existe ? Non, sans doute. Quoique tous ces divers témoignages ne puissent m'autoriser à prononcer sur ses qualités personnelles, je serai au moins très-assuré de son existence, et voilà précisément sur*

quoi tombe la force de la preuve morale, ou le consentement de l'univers sur l'existence de Dieu. » Hac via solum demonstratur Deum existere, non vero quid sit, saltem sub omni respectu. Ergo, etc.

Inst. 2°. Admittere principium quo tollitur divinitas, idem est ac si Deus non admitteretur : atqui multiplicitas deorum tollit ipsam divinitatem, ait Tertull. (lib. 1 contra Marcionem, c. 3) : ergo, etc.

R. Dist. maj. Admittere principium quo, etc., idem est ac si Deus non admitteretur, si consectarium hujus principii advertatur, *conc.;* si non advertatur, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore, nego conseq.* Fateor equidem deorum multiplicitatem tollere ipsam divinitatem, quia prorsus impossibile est Deum esse multiplicem vel duplicem, ut volebat Marcio ; talis est sensus verborum Tertulliani. At consectarium hujus principii non advertebant nec concedebant gentiles. Ergo, etc.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex stimulis conscientiæ petitum.

PROPOSITIO.

Ex stimulis conscientiæ probatur Deum existere.

Prob. Unusquisque, post scelus patratum, aliquos conscientiæ stimulos experitur : *Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ quæ dies noctesque parentum pœnas a conscleratissimis filiis repetant*, inquit Tullius (Orat. 2 pro Sext. Roscio, n. 67) : at constantes illi conscientiæ stimuli probant Deum existere. Probant enim Deum existere, si a solo Deo proveniant : at prædicti conscientiæ stimuli a solo Deo oriuntur : vel enim a Deo oriuntur, vel ab anima, vel ab alio ente a mente distincto, quod non sit Deus. Atqui duo posteriora dici nequeunt : 1° non ab anima nostra ; nam tunc orirentur necessario vel libere : si necessario, omnes homines sive nocentes, sive innocentes, eos similiter experirentur ; si libere, nunquam inviti eos pateremur : at utrumque est falsum : ergo 1°, etc. 2° Non ab alio ente ab anima nostra distincto, quod non sit Deus ;

nam, præter animam, nihil admittere volunt athei nisi materiam. Manifeste autem repugnat materiam inertem, cæcam, esse causam efficientem stimulorum qui solos excruciant nocentes. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Stricte loquendo, hæc demonstratio ad universalem de existentia Dei persuasionem reducitur, et est ejus respectus specialis, in quantum, scilicet, Deus ut criminis vindicator habetur.

Nota. Si una ex præcedentibus demonstrationibus seorsim sumpta plenam tantæ veritatis convictionem in mente nostra imprimat, quantam lucem omnes adunatæ generare debent! Certe quilibet in societate educatus, a cupiditatibus liber et recta ratione utens, non magis Dei quam solis existentiam negare potest.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID SIT DEUS SEU QUÆNAM SINT EJUS ATTRIBUTA.

Nomine *attributi* id intelligitur quod de alio prædicatur seu dicitur: cum autem Deus sit ens perfectissimum, nihil de illo dici aut affirmari potest nisi habeat rationem perfectionis. Unde attributa Dei idem sonant ac ejus perfectiones.

Multa olim subtilissime disseruerunt metaphysici et theologi circa Dei essentiam et ejus attributa in genere, quæ tantum, finis intenti memores, indigitabimus, longius de divinis perfectionibus in specie dicturi.

DE ASEITATE SEU EXISTENTIA A SE.

Communius assigant ut primarium Dei attributum, cæterorum fontem et differentiam ejus specificam, *aseitatem* seu existentiam a se, et quidem merito; nam 1° ipse Deus hanc qualitatem ut specialem suum et incommunicabilem characterem assignat, dicens Moysi (Exod. III, 14) nomen ejus quærenti: *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Sensus est: Qui est a semet-

ipso, Qui sum a meipso ; quod omnes SS. Patres et Scripturæ interpretes adverterunt. 2° Sancti Patres et doctores *aseitatem* exhibuerunt ut primarium attributum et aliarum perfectionum divinarum fontem : *Si bonum*, inquit S. Bernardus, de Consid., l. v. cap. 6, t. I, p. 449, *si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est*, EST. *Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse.* 3° *Aseitas* seu existentia a se est attributum quod apprehenditur a mente ut primarium, ut fons omnium perfectionum, per quod Deus a cæteris entibus discrepat. Quærenti enim cur Deus sit justus, sit verax, sit omnipotens, etc., respondebitur quia est infinitus, et est infinitus quia est a se : petenti vero cur sit a se, nihil responderi potest.

Quidam notant *aseitatem* non sumendam esse pro ea proprietate qua Deus *a se* existit, abstracte sumpta, sed pro *ipso esse, esse perfecto, esse simpliciter*, quo recidunt citati textus, et a quo omnia attributa menti formaliter sese exhibent.

DE ATTRIBUTORUM DEI DISTINCTIONE.

Duplex agnoscitur distinctio : una *realis*, quæ rebus inest et existit independenter a mente, ut distinctio inter paternitatem et filiationem ; et altera *rationis*, quæ tota est in mente, ut distinctio inter sapientem et ejus sapientiam.

Inter attributa Dei alia sunt *absoluta*, quæ tribus personis sunt communia, ut omnipotentia, sapientia, scientia ; et alia *relativa*, quæ uni personnæ sunt propria, ut innascibilitas Patri, generatio Filio, spiratio Spiritui sancto. De solis attributis absolutis nunc acturi sumus, quia attributa relativa nobis sola revelatione sunt nota.

Aetius, et Eunomius ejus discipulus, in IV° sæculo, ut Verbi divinitatem, quam negabant, facilius tollerent, contenderunt nullam in Deo admittendam esse distinctionem, ne quidem rationis, sed Deum quoad totam naturam suam essentialiter concipi a mente ut ingenitum. Unde inferebant Filium, qui dicitur genitus, non esse Deum.

Quidam Gualterus, de quo celebris Augustinus Niphus, circa annum 1473 in Italia natus, volebat, e contra, attributa Dei absoluta tum a se invicem, tum ab essentia divina realiter esse distincta, et tamen Deum esse simplicem.

Palamitæ, in XIV sæculo, sic dicti a Gregorio Palamo, primum monacho, deinde Thessalonicensi episcopo, dicebant etiam realem dari distinctionem inter essentiam Dei et ejus operationes, per quas intelligebant attributa. Volebant existere lumen increatum ab essentia Dei distinctum, quo divinitas velut pallio tegitur, et arbitrabantur se, caput et mentem pectori vel umbilico certo modo deprimentes, lumen istud videre.

In concilio Lateranensi IV, anno 1213 celebrato, damnatus fuerat libellus abbatis Joachim, qui aliquam admittebat distinctionem inter essentiam divinam et personas divinas.

In sæculo præcedenti Gilbertus Porretanus (*Gilbert de la Porrée*), Pictaviensis episcopus, dicebat divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est; sicut humanitas non est homo, sed forma qua homo est. In concilio Remensi, cui assistebat S. Bernardus, anno 1148, fuit damnatus.

Constat igitur realem admittendam non esse distinctionem inter attributa Dei, sive absoluta, sive relativa, et ejus essentiam; neque inter attributa absoluta relative ad se invicem. Idcirco de Verbo divino legitur apud Joannem, I, 9: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem;* Christus de seipso dixit, ibid. XIV, 6: *Ego sum via, veritas et vita;* et B. Joannes, I, IV, 16: *Deus charitas est.* In quibus testimoniis, attributa a Verbo, a Christo vel a Deo non separantur.

Restat ergo sola distinctio rationis de qua inter catholicos disputari potest, et acriter olim disputatum est in scholis, inter *Nominales*, qui solam nominum distinctionem admittendam esse inter attributa Dei volebant; *Scotistas*, qui pro distinctione actuali formali, quæ scilicet formis vere diversis conceptibusque in se variis fundare-

tur, fortiter decertabant; et *Thomistas*, qui distinctionem virtualem et, ut aiebant, rationis ratiocinatæ, id est, in Deo ipso et non tantum a parte rationis fundamentum habentem, admittebant.

Inter ea quæ sic breviter exponimus, sunt errores graves qui revelationem et fidem lædunt, et quorum confutatio ad theologos pertinet. Sunt etiam meræ subtilitates quas indicare sufficit ; nunc enim ab omnibus merito negliguntur, velut inutiles. Certum est mentem nostram sub diversis conceptibus sibi exhibere posse divina attributa, v. g., omnipotentiam et sapientiam, bonitatem et justitiam, æternitatem et immensitatem, scientiam et providentiam ; ac proinde quamdam dari distinctionem in mente, licet realis non existat in re. Hoc sufficit.

« *Dieu est infiniment intelligent, dit Fénelon* (*Existence de Dieu*, 2e *partie. ch.* 5, *art.*2), *infiniment puissant, infiniment bon : son intelligence, sa volonté, sa bonté, sa puissance, ne sont qu'une même chose. Ce qui pense en lui est la même chose qui veut : ce qui agit, ce qui peut et qui fait tout, est précisément la même chose qui pense et qui veut ; ce qui prépare, ce qui arrange et qui conserve tout, est la même chose qui détruit ; ce qui punit est la même chose qui pardonne et qui redresse ; en un mot, en lui tout est d'une suprême unité.*

« *Il est vrai que, malgré cette unité suprême, j'ai un fondement de distinguer ces perfections, et de les considérer l'une sans l'autre, quoique l'une soit l'autre réellement. C'est qu'en lui l'unité est équivalente et infiniment supérieure à la multitude.* »

Itaque de attributis Dei seorsim spectatis disserentes, quædam dicturi sumus, tum ad augendam ejus notitiam, tum ad diluenda incredulorum objecta.

Dicemus ergo 1° de Dei unitate, 2° de æternitate, 3° de immutabilitate, 4° de libertate, 5° de independentia et omnipotentia, 6° de simplicitate, 7° de immensitate, 8° de intelligentia et scientia, 9° de sapientia, 10° de sanctitate et veritate, 11° de bonitate et beatitudine, 12° de justitia, 13° de providentia.

CAPUT PRIMUM.

DE DEI UNITATE.

Multiplicitatem deorum admiserunt pagani. Duo esse principia necessaria volebant Manichæi, unum summe bonum et alterum summe malum. Principium malum excogitaverant, quia originem mali in mundo existentis sub unico ente summe bono explicare non poterant. Præsens igitur caput in tres articulos dividemus : primus erit de Dei unitate, adversus gentiles; secundus, de dualismo seu de duobus Manichæorum principiis, et tertius, de origine mali sub unico ente summe bono.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DEI UNITATE, ADVERSUS GENTILES.

Quamvis apud gentes communius creditum fuerit supremum existere Deum, a quo omnia penderent, multi tamen simul admissi sunt dii inferiores quibus divina natura et propria potestas tribuebantur, quibus ideo divinus exhibebatur cultus soli veræ divinitati debitus, unde aderat vera idololatria. Tantus fuit eorum numerus ut Hesiodus, poeta græcus, qui nonagentis annis circiter ante Christum vixisse creditur, triginta millia jam recenseret. Omne ferarum genus et ipsa hortorum legumina divinis honoribus prosequebantur Ægyptii, de quibus Juvenalis lepide ait :

> Porrum et cepe nefas violare ac frangere morsu :
> O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
> Numina ! (*Satyra* 15.)

PROPOSITIO.

Deus est unicus, non vero multiplex, ut aiunt gentiles.

Prob. 1° *ex Scriptura sacra*, in qua ex principio usque ad finem Deus exhibetur ut unicus ; v. g., Deuteron., vi 4 : *Audi, Israel ; Dominus Deus noster Dominus unus est*

Videte quod ego sim solus, et non est alius Deus præter me (Ib., XXXII, 39) ; Eph., IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis.*

Prob. 2° *ex ratione :* Deus est ens necessarium et infinitum : atqui unicum est ens necessarium et infinitum. 1° *Unicum est ens necessarium :* ideo enim concluditur dari ens necessarium, quia repugnat omnia entia esse contingentia ; porro unicum ens necessarium sufficit ut cætera existere possint ; si unicum sufficit, cætera supponi possunt non existentia ; si supponi possint non existentia, non sunt necessaria : ergo unicum est ens necessarium. 2° *Unicum est infinitum ;* si enim plura essent infinita, aliqua inter ea daretur limitatio : ubi autem adest limitatio, adest perfectionis carentia : ergo si plura existerent entia necessaria, nullum in omni genere perfectionum esset infinitum. Ergo, etc.

3° Mirabilis ordo existens in mundo, mirificus omnium entium concentus, perfecta inter omnes partes harmonia, unicum creatorem, gubernatorem et conservatorem orbis arguunt : tam perfecta enim totius harmoniæ unitas unicum arguit Dominum, sive unicam intelligentiam mundo præsidentem. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DUALISMO, SEU DE DUOBUS MANICHÆORUM PRINCIPIIS.

Dualismus vel *dithcismus* vocatur systema eorum qui duo admittunt summa rerum principia, unum boni, et alterum mali auctorem.

In maxima populorum antiquitate duo celebrabantur omnium rerum principia, unum activum et alterum passivum, spiritus et materia. Duo hæc principia repræsentata fuerunt apud Ægyptios, per *Isis* et *Osiris ;* apud Persas, per *Ormuz* et *Ahrimanes*, etc.

Constat in II° æræ nostræ sæculo multos Gnosticos doctrinam duorum principiorum propugnavisse. *Manes*, Persia oriundus, in initio III^i^ sæculi eidem adhæsit doctrinæ

ut originem boni et mali explicaret ; discipuli ejus voca sunt *Manichæi*. Singularis hæc secta perdiu exstitit identidem fuit renovata.

Petrus *Bayle*, anno 1647 natus, in secta calvinian educatus, ad communionem romanam conversus, deinc calvinista iterum factus, et postea famosissimus incred lorum pater, multis congestis argumentis duo Manichæ rum principia defendere conatus est, aut saltem quæsi ostendere mali originem sub unico Ente summe bono e plicari non posse (*t.* III *de ses œuvres, p.* 634, et in vari aliis locis).

Plurimi scriptores *dualismi* immerito accusarunt quo dam veteres philosophos et antiquos populos : non eni proprie numerandi sunt inter *dualistas*, qui Dei et mat riæ æternitatem simul admiserunt, quod tamen nu multi affirmare non dubitant, accepta nomina immuta tes ; materia enim iners erat, nec in illa erat ullum act vum principium ; nec qui duos agnoscebant genios, bo et mali auctores, sed supremo Deo subjectos. Attamen his doctrinis ad sua consectaria deductis, quoddam du lismum secutum fuisset, quia materia necessario existe a Deo jam informari et regi non posse videtur.

PROPOSITIO.

Duo Manichæorum principia omnino repugnant.

Prob. 1°. Duo Manichæorum principia deberent es necessaria, summe perfecta, summe beata et omnip tentia : atqui repugnat duo existere principia necessari summe perfecta, summe beata, etc.

1° *Repugnat duo esse principia necessaria ;* modo eni probavimus unicum esse ens necessarium.

2° *Non essent summe perfecta*, tum quia seipsa lim tarent, et unum non haberet perfectiones alterius ; tu quia principium malum, non summe perfectum, sed p tius summe imperfectum foret ; et cum omnis perfect sit aliquid positivum, imperfectio ei opposita est negati ergo principium malum esset summa negatio, seu sur mum nihilum. Quid absurdius dici potest?

3° *Non summe beata* : nam essentialiter sibi forent opposita; bona contristarent principium malum, et mala excruciarent principium bonum. Nec tamen principium malum impedire posset bona, nec principium bonum repellere posset mala; utriusque igitur vota essent irrita. Cum autem supponantur æterna, et ex natura sua ad bonum vel ad malum determinata, nulla spes quietis ipsis affulgeret : ergo non beata, sed miserrima essent.

4° *Non omnipotentia*, cum principium bonum malo frustra obsisteret, et principium malum bono adversaretur, et illud impedire non posset : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Prob. 2°. In mundo multa sunt mala permixta bonis et bona permixta malis : at in hypothesi Manichæorum hæc bonorum et malorum commixtio non existeret. Vel enim duo principia sibi forent æqualia, vel non : si æqualia, nec bonum nec malum existeret in mundo ; nam vires oppositæ et æquales sese mutuo elidunt : si vero inæqualia, aut unice bonum, aut unice malum existeret, prout bonum vel malum principium prævaleret; principium enim debilius esset finitum ; ergo ab altero vinceretur. Insuper, vel duo principia sunt finita, et eo ipso Deus negatur, vel sunt infinita; sed, ex probatis, duo infinita actu repugnant; vel unum tantum est infinitum, et tunc alterum nihil potest. Ergo, etc.

Bayle ipse, gravibus adversariorum ratiociniis vehementer pressus, confessus est dogma duorum principiorum a cunctis hominibus sensatis abjiciendum esse (*Diction., Eclaircissement sur les Manichéens*, t. IV, p. 620).

Dices : Forte duo principia, cum viderent se nihil proficere posse, inter se pactum inierunt vi cujus unum aliquid de jure suo in gratiam alterius cessit: ergo, duobus principiis suppositis æqualibus, commixtio boni et mali in mundo existentis facile explicatur. Ita *Bayle* (*Dict.*, art. *Manich.*, n° 2).

R. Nego ant. Nam 1° in ea hypothesi homo nulla libertate gauderet, siquidem, juxta conditiones pacti inter utrumque principium initi, necessario determinaretur;

2° hæc duo principia supremam non haberent potestatem, cum principium bonum impedire non posset malum, nec principium malum impedire bonum; 3° istiusmodi pactum est absurdum; supponitur enim duo principia ad bonum vel ad malum ex natura sua esse determinata : atqui repugnat duo principia ex natura sua sic determinata aliquid de jure suo cessisse; 4° si principium bonum in tale pactum, illæsis suis attributis, consentire potuisset, jam non repugnat illud mali existentiam permisisse : inutile est ergo ad hypothesim principii summe mali recurrere ut origo malorum in mundo existentium assignetur. Ergo, etc.

Eodem modo, post citata Scripturæ testimonia unicum esse Deum asserentia, argumentabantur contra Marcionitas et Manichæos Tertull., S. Athanasius, S. Aug., S. Epiph. aliique Patres et doctores tam græci quam latini.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ORIGINE MALI SUB UNICO ENTE SUMME BONO.

Existentia mali sub unico ente summe bono semper visa est intellectu difficillima. Sed, etiamsi nullo plausibil argumento ostendere possemus quomodo mala quæ in mundo sunt, sub unico Deo summe bono existere possint neganda non esset ipsius unitas : non mirum est enim s profunda sapientiæ ejus arcana mente non capiamus.

Attamen non improbabiles afferuntur rationes ad ostendendum malum quodcumque sub unico ente summe bono existere posse. Triplicis enim generis distinguitu malum, scilicet *malum naturæ* quod dicitur metaphysicum, *malum morale* seu peccatum, et *malum physicum* id est, pœna hujus vitæ : at non repugnat triplex illu malorum genus sub unico ente summe bono existere, u per partes monstraturi sumus.

PROPOSITIO PRIMA.

Malum metaphysicum sub unico ente summe bono exister potest.

Prob. In eo consistit malum metaphysicum, quod crea

tura plus minusve a summa perfectione deficiat: atqui non solum possibile, sed necessarium est omnem creaturam a summa perfectione plus minusve deficere, siquidem creatura summe perfecta esset necessaria, æterna, Deo æqualis, et jam non creatura. Insuper necesse est ut creaturæ a se invicem differant, alioquin tolleretur varietas et ordo, quæ demiramur in mundo; v. g., si omnia corpora essent liquida, vel omnia solida, etc., numquid utiliora, pulchriora vel perfectiora forent? si omnes humanæ mentes sibi essent æquales, numquid ideo ordinatior foret societas? Nonne virtutes uberiores et magis nitentes ex inæqualitate conditionum et perfectionum naturalium eruuntur? nonne hinc præcipua societatis vincula? numquid concipi potest societas inter homines sub omni respectu æquales? Qui ergo malum metaphysicum repugnare asserunt, nesciunt quid dicunt : ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Deus æqualiter suas diligit creaturas : ergo æqualia dona eis conferre debet.

R. Nego ant. Creaturæ enim nihil habent ex se : Deus igitur propria dona in eis diligit; porro non repugnat Deum inæqualiter dona sua creaturis conferre, seu inæquales eas condere. Hinc minus perfectionis est in lapide quam in brutis, minus in brutis quam in hominibus, minus in hominibus quam in Angelis : ergo non repugnat Deum species diversas inæqualiter diligere.

Inst. Saltem cunctos homines Deus bonus æqualiter diligeret; ergo easdem mentis et corporis perfectiones illis conferret.

R. Dist ant. Cunctos homines æqualiter diligeret, habita ratione uniuscujusque meritorum, *conc.;* secus, *nego ant.* Deus enim videt in singulis hominibus dona quæ contulit, et merita quæ acquisierunt : ut summe perfectus, eos æqualiter diligit, habita ratione donorum et meritorum; sub hoc respectu *non est personarum acceptor* (Act., x, 34). Sed cunctos homines æqualiter diligere non tenetur eo sensu quod plus perfectionis uni quam aliis con-

ferre nequeat; a sola enim voluntate Dei libera accipiunt homines quidquid habent: ergo sine ulla injustitiæ umbra Deus potest eos perfectiores vel minus perfectos facere, sicut figulus ex eodem luto vas pretiosum et vas ignobile pro nutu suo plasmat, et ita eos necessario facere debuit, vel ad societatem illos non destinasset. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Malum morale seu peccatum sub unico Deo summe bono existere potest.

NOTA. Hic supponimus mentes humanas vera libertate gaudere, et Deum esse sanctum, bonum, justum, sapientem, etc.

Prob. 1°. Demonstravimus Deum esse unicum; aliunde constat peccatum existere: ergo, etiam si nulla ratione explicari posset quomodo sub unico ente summe bono peccatum existat, utraque veritas nihilominus firmiter tenenda esset.

Prob. 2°. Ideo peccati existentia cum fide unius Dei conciliari non posset, quia Deus optimus peccatum impedire teneretur: atqui Deus licet optimus peccatum impedire non tenetur; si enim ad id teneretur, vel propter suam sanctitatem, vel propter suam justitiam, vel propter suam bonitatem, vel propter suam sapientiam: atqui nihil horum dici potest.

1° *Non propter suam sanctitatem.* Sanctitas enim divina in eo consistit, quod Deus peccato non maculetur, illud odio habeat: at, licet Deus peccatum permittat, illo non maculatur, ut patet, illudque odio habet, siquidem illud absolute prohibet, et illo efficacioribus motivis avertit, et commissum atque non expiatum gravissimis pœnis plectit. Ergo 1°, etc.

2° *Non propter suam justitiam.* Nam justitia Dei exigit tantum ut homines in statu ex se bono constituat, eosque peccantes ultra culpam non puniat: atqui Deus constituit homines in statu ex se bono, idque negari non potest. Insuper Manichæi certe non demonstrabunt illos peccantes

et in peccato perseverantes, ut pœnis dignos non esse habendos, aut, e contra pœnis culpa gravioribus esse puniendos. Ergo 2°, etc.

3° *Non propter suam bonitatem.* Ad hoc enim sufficit ut, illæsa bonitate sua, concedere potuerit homini libertatem ad bonum et malum flexibilem : atqui Deus, illæsa bonitate sua, concedere potuit, etc. Deus namque illud concedere potuit homini quod est bonum, tum in se, tum in mente concedentis : atqui libertas ad bonum et malum flexibilis est bona tum in se, tum, etc. : *in se*, cum sit principium multarum virtutum ; 2° *in mente concedentis ;* certum est enim Deum libertatem hominibus non concessisse ut illa abuterentur, bene vero ut bonum eligerent, merita acquirerent et æterna præmia consequerentur. Ergo 3°, etc.

4° *Non propter suam sapientiam.* In eo enim suprema Dei sapientia consistit, quod nihil faciat quin finem bonum sibi proponat et apta media ad hunc finem conducentia semper eligat. Igitur probandum foret illum sibi proponere non potuisse reddere hominem beatum coronando in ipso virtutes libere acquisitas, aut hominem ab omni abusu libertatis speciali assistentia efficaciter avertere debuisse : atqui manifestum est neutrum probari posse : imo beatitudo sic obtenta naturæ intellectuali valde congruens videtur, et ex facilitate labendi, excellentia virtutis magis elucet. Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Deus nihil permittere potest sine legitima causa : atqui nullam habere potuit legitimam causam permittendi peccatum : ergo, etc.

R. Nego min. Nam 1° impie diceretur Deum, cujus infinita est intelligentia, legitimam hujusmodi causam nos latentem cognoscere non posse. 2° Permittere peccatum nihil aliud est quam concedere libertatem ad bonum et malum versatilem : at Deus, illæsis suis attributis, concedere potuit libertatem ad bonum et malum versatilem, ut ostendimus. 3° Deus cultu liberæ electionis honorari vo-

luit a creaturis : atqui non solum bonus, sed optimus est ille finis. Ergo, etc.

Inst. 1° Deus efficere potuisset ut homines cultu liberæ electionis ipsi servirent, et nunquam peccarent : ergo legitimam non habuit rationem permittendi peccatum.

R. Nego conseq. Quæstio enim non est an Deus hominem in statu perfectiori creare potuisset, hoc a nemine negatur ; sed an illum in præsenti statu, cum libertate ad bonum et malum versatili, creare potuerit. Adversarii autem contrarium minime probant, nec probare possunt, quia secreta sapientiæ Dei penetrare nequeunt. Ergo, etc.

Inst. 2° Tam bonus est Deus ut non melior excogitari possit : at, si quodcumque peccatum efficaciter impediret, melior esset : etc.

R. Dist. min. Melior esset respectu creaturarum, *conc.* : in se, *nego min.* Deus quidem melior esse potuisset respectu creaturarum, majora dona eis impertiendo : at secundum omnem bonitatem suam agere non tenetur, nec potest ; tunc enim creaturas infinitas facere deberet, quod repugnat. Si autem secundum omnem bonitatem suam agere non teneatur, in aliquo gradu sistere potest : porro hunc gradum ex solo beneplacito suo determinat, et, sive majorem, sive minorem eligat, non minus bonus et perfectus est in se. Ergo, etc.

Obj. 2°. Deus concedendo homini libertatem, prævidit multos ea abusuros esse : atqui repugnat Deum summum bonum homini concessisse libertatem cujus prævideba abusum : ergo, etc.

R. Nego minorem : si enim, per impossibile, Deus abusum libertatis non prævidisset, illam homini concedere potuisset : atqui ipsius prævisio in abusum non influit ergo, etc.

Inst. 1°. Deus optimus constituere non potuit homines in statu qui ipsis pejor est quam non-existentia : atqui status hominum libertate sua abutentium ipsis pejor est quam non-existentia : ergo, etc.

R. Dist. maj. Deus optimus constituere non potuit homines in statu qui ipsis ex natura sua pejor est quam non

existentia, *conc.;* qui eorum culpa ipsis pejor fit quam non-existentia, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore, nego conseq.* Itaque fateor Deum constituere non posse homines in statu qui ex natura sua ipsis pejor esset quam non-existentia; id bonitati ejus manifeste contrarium esset. At constituere potest homines in statu bono qui ex eorum culpa tantum ipsis pejor fit quam non-existentia, quia detrimentum inde proveniens, ipsis et non Deo tribuendum est: porro status in quem incidunt homines libertate abutentes ipsis et non Deo tribuendus est. Ergo, etc.

Inst. 2° Status cui homines anteferrent non-existentiam, si optio ipsis daretur, pejor est non-existentia; atqui non-existentiam homines statui libertatis ad bonum et malum versatilis anteferrent, si optio ipsis daretur: ergo, etc.

R. Nego min. Nam libertas ex natura sua bona est, ope illius multa acquiri possunt merita, quæ in alia hypothesi existere non possent: ergo quisque sapiens eam statui non-existentiæ sine ulla hæsitatione anteferret. Si tamen aliquis æternam damnationem certo prævideret, nullum est dubium quin non-existentiam horribili huic statui anteponeret; sed in ea extremitate non consideranda est libertas, ut de illius natura recte judicetur, cum hujusmodi malum ex sola culpa hominis proveniat: ergo, etc.

Inst. 3°. Principium homini infensissimum libenter concederet libertatem cujus abusum prævideret: ergo Deus summe bonus eam cum tali prævisione concedere non potest.

R. Dist. ant. Principium homini infensissimum libenter concederet libertatem cujus abusum prævideret, sed ad nocendum, *conc.;* secus *nego ant.* Verum Deus libertatem non concedit homini in ipsius perniciem, sed ut ea bene utens et merita acquirens, vitam æternam obtineat. Idcirco peccatores ad meliorem frugem amica sollicitatione invitat, patienter exspectat, eos pœnitentes benigne excipit, præterita delicta condonat, a futuris avertit, dimicantes adjuvat et perseverantes remunerat. Ergo, etc.

Inst. 4°. Medicus qui daret venenum ægroto, prævidens

illum inde moriturum, pater qui præstaret gladium filio, sciens illum se occisurum, mater quæ duceret filiam in locum ubi corrumpenda foret, non bonos, sed crudeles sese exhiberent : ergo, a pari, Deus constituens hominem in statu in quo certe peccaturus est, non bonum, sed crudelem se exhibet.

R. Nego conseq. et paritatem : plures sunt rationes disparitatis. 1° Deus cuncta bona possibilia creaturis conferre non tenetur; ergo quemlibet voluerit perfectionis gradum illis concedere potest; contra vero lex naturalis præscribit medico ut ea non præbeat ægroto quæ ipsi noxia forent, præscribit patri ut saluti filiorum invigilet, et matri ut periculum peccandi a filia removeat. 2° Libertas in se bona est : ope illius unusquisque perfectior fieri potest; non determinatur ad malum nisi ex mala voluntate sua. Porro nihil simile reperitur in comparationibus allatis. 3° Cum libertas ad bonum et malum versatilis in se bona sit, Deus, cujus intelligentia est infinita, legitimas habere potuit rationes nobis ignotas eam concedendi, quamvis abusum ejus prævideret. 4° Ex permissione peccati præstantissima sequuntur bona, nempe virtutes et æterna præmia; in allatis vero exemplis, ex malo permisso nullum sequitur bonum. Ut ergo comparationes allatæ forent accuratæ, supponendum esset Deum libertatem solis hominibus ea abusuris concessisse : at non est ita; libertatem omnibus concessit, prævidens multos illa bene usuros, alios vero abusuros esse : numquid locum merendi et præmia consequendi bonis auferre debuisset, propter aliorum perversitatem? hoc fateri non audent adversarii. Ergo id unum concludere licet, nempe rationes ob quas Deus peccatum permiserit forte nos latere; ergo, etc. Unde audiamus *Bayle* ipsum (*Œuvres*, t. III, p. 997) :

« *La permission du péché et les suites du péché sont des mystères au-dessus de la raison et par conséquent incompréhensibles à la raison : de sorte que nos idées naturelles ne peuvent point être la mesure commune de la bonté et de la sainteté divine, de la bonté et de la sainteté humaine ;*

n'y ayant point de proportion entre le fini et l'infini, il ne faut point se permettre de mesurer à la même aune la conduite de Dieu et la conduite des hommes ; et ainsi ce qui serait incompatible avec la bonté et la sainteté de l'homme est compatible avec la bonté et la sainteté de Dieu, quoique nos faibles lumières ne puissent pas apercevoir cette compatibilité. »

Obj. 3°. Multi homines, Deo ita disponente, parentes habent perversos, hæreticos, schismaticos, incredulos, impios, moribus corruptos, quorum exemplis, consiliis et auctoritate in errorem aut in vitium detruduntur ; alii vehementes experiuntur tentationes, sensibus subjiciuntur, voluptatum illecebris captivantur, irascibili natura arripiuntur ; alii vagabunda imaginatione deluduntur, ingenio destituuntur, objecta imperfecte sibi repræsentantes, male semper ratiocinantur : atqui libertas his non videtur concessa nisi ut noceat : ergo, etc.

R. Nego min. Vel enim isti homines expeditam habent facultatem a malo abstinendi, vel non : si prius, peccatum merito ipsis imputatur ; si posterius, non peccant nec plectentur.

Certum est quidem omnes homines non eamdem habere facilitatem a peccato abstinendi : at factum istud nullam arguit in Deo injustitiam. Cum enim Deus nihil debeat hominibus, bona sua unicuique pro nutu distribuere potest : qui plura accipiunt, gravius peccant si libertate sua abutantur : qui vero minora suscipiunt, non ideo murmurare debent ; Deus enim, ut pote summe justus, nihil ab eis ultra id quod possunt requirit. Caveant igitur ne sensibus deludantur vel præcipitatione abripiantur : primæ educationis documenta perpendant, frequenter ad se redeant, sapientes consulant, supremum auxilium implorent, et tunc ab erroris caligine et vitii fæce exibunt, aut saltem non peccabunt. Ergo, quidquid dicatur, peccatum solis hominibus tribuendum est, et quamvis Deus illud non impediat, libertas non desinit esse bona. Unde *J.-J. Rousseau* (*Emile*, l. 4, t. II, p. 50) :

« *Murmurer de ce que Dieu ne l'empêche pas* (*l'espèce*

humaine) de faire du mal, c'est murmurer de ce qu'il la fit d'une nature excellente, de ce qu'il mit à ses actions la moralité qui les ennoblit, de ce qu'il lui donna droit à la vertu. La suprême jouissance est dans le contentement de soi ; c'est pour mériter et obtenir ce contentement que nous sommes placés sur la terre et doués de la liberté, que nous sommes tentés par les passions et retenus par la conscience. Que pouvait de plus en notre faveur la puissance divine elle-même ? Pouvait-elle mettre de la contradiction dans notre nature, et donner le prix d'avoir bien fait à qui n'avait pas le pouvoir de mal faire ! Quoi ! pour empêcher l'homme d'être méchant, fallait-il le borner à l'instinct et le faire bête ? »

Obj. 4°. Deus infinito odio prosequitur peccatum : ergo illud impedire tenetur.

R. Nego conseq. Eodem modo enim Deus amat virtutem quo odit peccatum : atqui omnes virtutes possibiles efficaciter producere non tenetur : ergo nec omne peccatum efficaciter impedire.

Præterea odium quo prosequitur peccatum sufficienter innotescit ex minis et pœnis quibus plectit peccatores, et ex bonis quibus remunerat virtutem. Ergo, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Mala physica sub unico ente summe bono existere possunt.

Prob. Mala physica, nempe dolores, tristitia, ærumnæ, angustiæ, morbi, paupertas et omnis generis miseriæ, consectaria sunt præsentis hominum status : atqui Deus, illæsis suis attributis, præsentem hominum statum constituere potuit. Nam 1° bona, generaliter loquendo, præstant malis, cum miseriores ordinarie timeant mortem, et eam quantum possunt refugiant. Si forte contingit nonnullos plura experiri mala quam bona, id evenit per accidens, sicut formantur monstra : Deus autem legibus sapienter institutis derogare non tenetur, ut particularia hæc incommoda impediat. 2° Mala physica efficiunt ut homo a cupiditatibus se eximat, a peccatorum maculis se

abstergat, amore rerum sensibilium minus detineatur, et ad Deum omnis veræ felicitatis fontem magis accedat. 3° Præstantissimæ virtutes ex miseriis naturæ suam ducunt originem, nempe patientia et longanimitas in tribulationibus, liberalitas erga miseros, effusio charitatis erga afflictos et infirmos, perfecta sui abnegatio ad subveniendum aliis. 3° Sæpe mala physica ex malis moralibus, id est, ex propriis culpis proveniunt : quot enim homines morbis affliguntur, doloribus excruciantur, præmature fiunt paralytici, debiles, infirmi, meditationis incapaces, multis denique replentur miseriis propter intemperantiam, voluptates, aliosque hujusmodi graves excessus : porro ejusmodi mala in Deum refundere non licet. Hinc *Rousseau* (*Emile*, t. II, p. 51) :

« *Si nous nous contentions d'être ce que nous sommes, nous n'aurions point à déplorer notre sort ; mais, pour chercher un bien-être imaginaire, nous nous donnons mille maux réels. Qui ne sait pas supporter un peu de souffrance, doit s'attendre à souffrir beaucoup. Quand on a gâté sa constitution par une vie déréglée, on la veut rétablir par des remèdes ; au mal qu'on sent on ajoute celui qu'on craint : la prévoyance de la mort la rend horrible et l'accélère ; plus on veut la fuir, plus on la sent ; et l'on meurt de frayeur durant toute la vie, en murmurant contre la nature des maux qu'on s'est faits en l'offensant. Homme, ne cherche pas l'auteur du mal ; cet auteur, c'est toi-même.* »

Dices : Sæpe probi religiosique homines cunctis miseriis hujus vitæ afficiuntur, dum improbi et supremi Numinis contemptores multis deliciis affluunt : atqui tanta inversio ordinis sub unico Deo summe bono existere non posset : ergo, etc.

R. Nego min. Alibi enim demonstratur alteram post præsentem existere vitam summe beatam pro bonis, et summe miseram pro malis. Hac autem veritate supposita, prædicta inversio ordinis sufficienter compensatur; qui enim tribulationem propter Deum patienter sustinuerunt, proportionatam remunerationem in cœlesti patria recipient. Mala igitur physica viris religiosis et christiane vi-

ventibus per seipsa non nocent, sed e contra prosunt, siquidem pro momentanea et levi tribulatione *æternum gloriæ pondus* operantur in ipsis (*II Cor.*, IV, 17). Ergo, etc.

NOTA. Dogma peccati originalis est fundamentum religionis christianæ : atqui, hac veritate posita, existentia mali physici sub unico ente summe bono facile explicatur ; est enim pœna peccati. Unde illud dogma, quod sola ratio invenire et astruere non potuisset, quamvis satis clara videantur magnæ perturbationis moralis signa, a revelatione proveniens et in constanti traditione saltem confuse inventum, ipsis philosophis apparet tanquam ratio mysterii de quo hic agitur.

CAPUT SECUNDUM.

DE ÆTERNITATE DEI.

Deus, cum sit ens necessarium, nec initium habuit, nec finem habiturus est : ergo est æternus. Unde in Scriptura semper exhibetur ut æternus ; v. g., Deut., XXXII, 40 : *Vivo ego in æternum ;* Ps. CI. 13 : *Tu autem, Domine, in æternum permanes ;* II Mach., I, 24, sic orat sacerdos Nehemias : *Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors ; qui solus est bonus rex, solus præstans, solus justus, et omnipotens et æternus.* At circa naturam ipsius æternitatis non ita omnes sibi consentiunt : quidam enim dicunt illam esse *successivam* seu ex infinitis momentis sibi succedentibus coalescentem ; alii vero contendunt eam esse velut punctum indivisibile omnia tempora simul complectens. Ita veteres Academici, et nunc communius auctores cum divo Thoma. In duplici propositione stabiliemus 1° æternitatem Dei non esse successivam, et 2° eam soli Deo esse propriam.

PROPOSITIO PRIMA.

Æternitas Dei non est successiva.

Prob. 1°. Ante creationem solus Deus existebat : atqui solus Deus existens nullam experiebatur successionem ; nam vel ista successio ipsi fuisset extrinseca vel intrinseca : atqui neutrum dici potest : non extrinseca, cum nihil præter ipsum existeret ; non intrinseca, quia repugnat ens necessarium aliquam subire mutationem sibi intrinsecam : ergo æternitas Dei ante creationem non erat successiva. Porro ipsius natura per creationem non fuit mutata. Varias igitur successiones subeunt creaturæ relative ad se invicem, ex voluntate Creatoris : sed Creator successionem operibus tribuendo, eam sibi dare non potuit. Ergo, etc.

Prob. 2° Si æternitas esset successiva, dicendum foret effluxisse momenta et sæcula numero infinita, et tamen hanc infinitatem quotidie augeri : atqui successio infinita, quæ tamen augetur, est contradictio, Ergo, etc.

Hinc æternitas est velut punctum simplicissimum et prorsus immutabile circa quod omnes creaturæ versantur ; singulæ, licet brevi tempore existant, toti æternitati aliquo sensu respondent, et Deus omnis successionis expers, habet tamen relationes ad creaturas in variis quos subeunt statibus : cognoscit futuras et possibiles ; videt præsentes, et præteritas nunquam obliviscitur. Idem dicendum est de factis.

Sed in ipso nihil est futurum aut præteritum, nec unquam de illo recte dici potest, *Erat, fuit, erit, vidit, videbit, ante, post*, etc., quia hujusmodi locutiones assimilant Deum creaturis. Unde *Fénelon, Exist. de Dieu*, 2e partie, chap. v, art. 3 :

« *En Dieu, rien n'a été, rien ne sera, mais tout est. Supprimons donc pour lui toutes les questions que l'habitude et la faiblesse de l'esprit fini, qui veut embrasser l'infini à sa mode étroite et raccourcie, me tenteraient de faire. Dirais-je, ô mon Dieu ! que vous aviez déjà une éternité*

d'existence en vous-même avant que vous m'eussiez créé, et qu'il vous reste encore une autre éternité après ma création où vous existez toujours ? Ces mots, déjà *et* après, *sont indignes de celui qui est. Vous ne pouvez souffrir aucun passé ni aucun avenir en vous. C'est une folie que de vouloir diviser votre éternité, qui est une permanence indivisible.*»

Hæc idea æternitatis Dei in memoria semper retinenda est, eo magis quod, ex consueto loquendi modo et ex difficultate tantum mysterium intelligendi, quædam notio successivæ æternitatis identidem reduci videbitur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Æternitas soli Deo est propria.

Prob. Probavimus unicum existere ens necessarium; si ergo æternitas soli Deo non esset propria, non repugnaret creatura æterna : atqui repugnat creatura æterna; quod enim fuit creatum initium habuit, et quod initium habuit, non est æternum. Ergo, etc. Itaque in textu II Mach. citato, dicitur de Deo : *Qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, et omnipotens et æternus;* et in Symbolo S. Athanasii : *Unus omnipotens, et unus æternus.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Creatio ab æterno fuit possibilis : ergo creatura æterna non repugnat.

R. Nego conseq. Nam creatio fuit possibilis pro tempore, non autem pro æternitate.

Inst. 1° *Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi:* ergo, si ab æterno creatio sit possibilis, creatura æterna non repugnat.

R. Nego conseq. Ut valeret enim consequentia, non tantum sufficeret creationem ab æterno fuisse possibilem, sed requireretur ut creatura æterna foret possibilis: sed dici non potest creaturam æternam esse possibilem : implicat enim aliquid creatum esse æternum. Ergo, etc.

Inst. 2°. Non repugnat dari effectum causæ suæ coævum : ergo, etc.

R. Dist. ant. Non repugnat dari effectum causæ suæ coævum, in iis quæ necessario producuntur, *conc.;* in liberis, *nego ant.* Porro creaturæ non necessario producuntur; necessitas enim et creatio in eodem subjecto evidenter repugnant. Ergo, etc.

Jam probavimus creaturas esse mere contingentes, et optime non-existentes concipi, ubi supra de ente necessario. De libertate Dei in creando infra specialius agemus. Exhinc autem sequitur eas minime causæ suæ, sive Deo, posse esse coævas.

CAPUT TERTIUM.

DE IMMUTABILITATE DEI.

PROPOSITIO.

Deus est prorsus immutabilis.

Prob. 1° *Script. sacra.* Malach., III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Jacobi, I, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Prob. 2°. Si Deus mutabilis esset, vel ratione perfectionum, vel ratione decretorum : atqui neutrum dici potest.

1° *Non ratione perfectionum;* suas enim perfectiones ab alio ente non accepit, nec eas sibi donavit, sed eas necessario possidet : porro repugnat eas esse simul necessarias et mutabiles; repugnat pariter eas esse simul infinitas et mutationi obnoxias : infinitum sub omni respectu et quælibet mutatio sese mutuo excludunt. Ergo 1°, etc.

2° *Non ratione decretorum;* mutari enim non potest ratione decretorum, nisi vel quia ab æterno ea non tulisset, vel quia lata revocare posset : at utrumque repugnat. 1° Repugnat Deum sua decreta ab æterno non tulisse, tunc enim dicendum foret illum mansisse suspensum, aut ignarum fuisse : atqui hæc in Deo summe perfecto admitti nequeunt. 2° Repugnat Deum decreta sua revocare posse; si enim ea revocaret aut mutaret, vel propter nova motiva

sibi occurrentia, vel ex levitate : atqui nova motiva Deo occurrere non possunt, nec ulla levitas in eo admittenda est. Ergo, etc.; ergo 2° etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Deum facti sui olim pœnituisse legitur in Gen., VI, 6 : ergo, etc.

R. Dist. ant. Deum facti sui olim pœnituit metaphorice, *conc.;* proprie et stricte, *nego ant.* Ut enim captui nostro sese accommodet Scriptura, perfectiones et operationes Dei exprimens, figuratis utitur locutionibus : oculos ei tribuit ad pingendam infinitam ejus scientiam, brachia ad significandam fortitudinem et omnipotentiam illius; loquitur de ipsius dextera, de sede, de tabernaculo, quamvis dexteram non habeat, sedere aut in tabernaculo habitare nequeat. Sic pariter per metaphoram tribuit illi iram, dolorem, pœnitentiam, quia divinæ ipsius operationes quamdam similitudinem habere videntur cum actibus hominum his animæ sensibus affectorum. Ergo, etc.

Obj. 2°. Deus pluries sua decreta revocavit, v. g., decreta de morte Ezechiæ (IV, Reg. XX), de Ninivitarum destructione (Jon., III) : ergo, etc.

R. Nego ant. Nam decreta de quibus hic agitur, erant tantum conditionata : porro Ezechias et Ninivitæ conditionem apposuerunt, scilicet, Ezechias vitam cum lacrymis postulavit, et Ninivitæ pœnitentiam egerunt : ergo Deus decreta sua proprie non revocavit.

Inst. 1°. Ille decreta sua mutat qui eumdem hominem modo amat et modo odit, prout justus vel injustus est : atqui Deus eumdem hominem, etc.

R. Nego maj. Nam Deus ab æterno amat hominem quatenus justum, et ab æterno eum odit quatenus injustum : unde si idem homo sit modo justus, et modo injustus, ab æterno Deus eum dilexit in ordine ad justitiam, et odio habuit in ordine ad peccatum : ergo mutatio est in homine et non in Deo. Ergo, etc.

Inst. 2°. Duæ affectiones contrariæ non possunt esse simul in Deo; ergo, etc.

R. Dist. antecedens. Duæ affectiones contrariæ non possunt esse simul in Deo pro eodem tempore et eodem subjecto, *conc.;* pro diverso tempore, vel pro diverso subjecto, vel pro eodem subjecto in diverso statu spectato, *nego ant.* Tunc enim nulla enuntiatur contradictio, ut patet.

Obj. 3°. Deus de non creante factus est creans : ergo aliquam subiit mutationem.

R. Nego ant. Nam Deus ab æterno habuit voluntatem creandi; vi hujusmodi voluntatis ab æterno existentis mundus e nihilo prodiit : ergo Deus titulum creatoris acquisivit, sed idem semper remansit in se, et in ea absoluta permanentia quæ æternitatem ejus constituit. Ergo, etc.

Inst. Deus proprie factus est creans, quando mundus cœpit existere : ergo reipsa de non creante factus est creans.

R. Nego ant. Deus enim proprie factus est creans, quando tulit decretum efficax de mundi existentia : atqui decretum illud tulit ab æterno : ergo solummodo titulum creatoris accepit in tempore, respectu creaturarum.

Potuisset quidem mundi creationem non decernere, ac proinde in eo est decretum quod potuisset non existere : sed cum decretum istud ab æterno in Deo existat, nullam arguit in eo mutationem, et insuper probandum esset illud Deo aliquam perfectionem afferre.

CAPUT QUINTUM.

DE LIBERTATE DEI.

Duplex distinguitur libertas in genere, videlicet, libertas a coactione et libertas a necessitate.

Libertas *a coactione* est immunitas ab omni vi externa contra voluntatem illata ; v. g., foras exire volo, sed aliquis fortior me januam tenet occlusam, coactus sum ; januam aperit, liber sum a coactione.

Libertas *a necessitate* est immunitas a qualibet invinci-

bili determinatione, seu est facultas eligendi, diciturque libertas *electionis*.

Duplex iterum est libertas a necessitate, una quæ dicitur contrarietatis, et altera contradictionis. Libertas *contrarietatis* est facultas unum ex duobus contrariis eligendi, v. g., bonum vel malum. Libertas *contradictionis* est facultas alterutrum ex duobus contradictoriis eligendi, v., g., agendi vel non agendi, hoc bonum vel istud operandi.

Duplicis generis actus distinguuntur in Deo, interni, scilicet, et externi : actus *interni* sunt illi qui Deum ipsum habent pro objecto, ut se cognoscere et se amare ; *externi* vero ii sunt qui ad extra, ut ita dicemus, prodeunt, sicut creatio, creaturarum conservatio, mutatio, destructio, etc.

Certum est 1° Deum esse liberum a coactione ; cum enim sit ens necessarium et summe perfectum, a nullo alio ente cogi potest.

Certum est. 2° illum in actibus internis liberum non esse a necessitate ; necessario enim se cognoscit et amat. Item necessaria est generatio Verbi et processio Spiritus sancti.

Certum est 3° Deum libertatem contrarietatis non habere, siquidem repugnat illum eligere posse malum.

Tota igitur quæstio est an Deus in actibus externis habeat libertatem contradictionis, et ita mundum creaverit, ut eum potuisset non creare, vel perfectiorem aut minus perfectum facere.

PROPOSITIO.

Deus in actibus suis externis perfecte est liber.

Prop. 1° *ex Script. sacra.* Ps. XCIII, 1 : *Deus ultionum, Dominus, Deus ultionum libere egit.* I Cor., XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Eph., I, 11 : *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Prob. 2° *ex sanctis Patribus.* S. Hieron., in Epist. ad Philem., V, 14 (t. IV, col. 450), probat Deum fecisse hominem liberum, quia ipse est liber : *Qui ideo bonus est* (erga creaturas) *quia vult, non quia cogitur.*

S. Aug. de Civitate Dei, l. 22, cap. 30, n. 3, t. VII, p. 702, de libero arbitrio Dei et hominis longe disserit, et ait: *Certe Deus ipse numquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Ergo, etc.

Prob. 3° *ex ratione*. 1° Vel Deus libere creavit mundum, vel ad illum creandum ex natura sua fuit determinatus: atqui Deus ex natura sua ad creandum mundum non fuit determinatus; nam, in ea hypothesi, mundus et omnia quæ in eo sunt necessario existerent: atqui necessario non existunt, siquidem concipi possunt non existentia aut aliter existentia. Ergo, etc.

2° Deus est ens necessarium et infinite perfectum; ergo ex natura sua determinari non potuit ad educendas e nihilo creaturas quibus minime indigebat.

3° Repugnat creatura æterna, ex dictis: atqui tamen si Deus necessitate naturæ suæ ad actus externos determinaretur, omnes creaturæ forent æternæ; absurdum est enim causam æternam et necessario agentem effectus suos in tempore tantum producere. Ergo, etc.

4° Causa ex natura sua ad aliquid necessario determinata, secundum totam potentiam suam agit: atqui potentia Dei est infinita: ergo omnes creaturæ deberent esse infinitæ.

5° Ubi videmus fines certissime intentos et media ad eos consequendos arbitraria et recte disposita, ibi adesse causam intelligentem et liberam certo judicamus: at in mundo multos advertimus fines certissime intentos et media, etc.; v. g., certum est oculos factos esse ad videndum, aures ad audiendum, solem ad illuminandum, aves ad volandum, etc., et quamvis hæc ad finem consequendum aptissime sint disposita, sunt tamen arbitraria; evidenter enim percipimus ea alio modo disponi potuisse: v. g., sol sapienter ab occidente in orientem vel ab aquilone in meridiem verti posset, et nihilominus illuminaret, calefaceret, etc.

6° Tandem, Deus perfectiori et eminentiori modo possidet quidquid perfectionis est in creaturis: at in creaturis existit libertas.

Fieri autem potest ut hæc libertas in Deo sit absoluta, ut libertas creandi mundum; vel ut, data hypothesi, jam non existat; sic admisso peccato, Deus illud punire tenetur, alioquin cessaret esse Deus summe sanctus, summe justus, etc.

Vera Dei libertas evertitur a pantheistis creationem negantibus, et gravissime læditur a philosophis hodiernis creationem habentibus ut necessariam; sic D. *Cousin*(*Hist. de la Phil. leçon 3e, p. 26 et suiv.*) : « *Dieu, s'il est cause, peut créer, et s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer... son caractère éminent étant une force créatrice absolue qui ne peut pas ne pas passer à l'acte, il suit, non que la création est possible, mais qu'elle est nécessaire ; il suit que Dieu créant sans cesse et infiniment, la création est inépuisable et se maintient constamment.* »

Propter hæc et etiam propter principia vere pantheistica fortiter impetitus, D. *Cousin*, ad quamdam retractationem devenire volens, dixit (*Fragm. phil.*, 1838, *préface*, XXV) : « *Dieu, comme l'homme, n'agit et ne peut agir que conformément à sa nature, et sa liberté même est relative à son essence. Or, en Dieu surtout la force est toujours en acte. Dieu est donc essentiellement actif et créateur*, etc. » Hinc patet mutationem esse duntaxat in verbis.

Infra dicit Deum non esse liberum, nisi quatenus habet *spontaneitatem*, quæ ab ipso, more janseniano intellecta, non est immunitas ab omni necessitate, sed tantum a coactione. Unde sicut non invitus semper bonum eligit, sic eodem modo : « *Sa nature toute-puissante, toute juste et toute sage, s'est développée avec cette spontanéité qui contient la liberté tout entière, et exclut à la fois les misères et les efforts de la volonté.* »

Totum hoc systema manet confutatum ex eis quæ in probationibus thesis nostræ dicta sunt. Unicum quo nititur fundamentum, scilicet Deum essentialiter esse *causam absolutam*, ruit, si solum attendatur Deum esse quidem necessario causam, quatenus *absolutam* habet potestatem agendi, sed eum nec necessario, nec semper agere.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Deus est immutabilis : atqui non potest esse simul immutabilis et liber : ergo, etc.

R. Nego min. Nam 1° demonstravimus Deum esse immutabilem ; nunc probamus illum esse liberum : atqui veritates clare demonstratas negare non licet, quia vinculum quo inter se connectuntur non advertimus. 2° Immutabilitas in eo constitit quod Deus decreta semel lata non mutet; libertas vero in eo sita est, quod hæc decreta ex electione ferantur : at inter utrumque nulla est contradictio. Ergo, etc.

Consulto abstinemus a variis systematibus quæ excogitaverunt olim philosophi ac theologi ut libertatem Dei cum ejus immutabilate conciliarent, quia sufficit ut ostendamus nullam demonstrari nec percipi repugnantiam.

Inst. Deus ab æterno determinatur ad ea quæ facturus est in tempore : ergo non est liber.

R. Nego conseq. Ille enim est liber qui semper exsequitur consilia quæ libere iniit : atqui Deus, agens in tempore, semper exsequitur consilia quæ libere iniit, licet ab æterno; nunc quidem impossibile est ut ea non exsequatur, sed impossibilitas ista ex libera ipsius determinatione oritur; ergo libertati ejus non officit.

Obj. 2°. Actus liberi sunt contingentes : atqui nihil contingens esse potest in Deo ut pote necessario : ergo, etc.

R. Nego min. Si enim actus contingentes in Deo existere non possent, certe quia imperfectionem arguerent : atqui hujusmodi actus nullam imperfectionem arguunt in Deo. Ab æterno enim Deus libere sese determinavit, sua iniit consilia pro tempore : ea simul inita mutare non potest, quia nova ipsi occurrere non possunt motiva aliter sentiendi, volendi, et agendi : ergo hujusmodi actus nullam arguunt in Deo ignorantiam, nec levitatem: nec quamlibet aliam imperfectionem ; sed maximam, e contra, supponunt perfectionem, videlicet libertatem. Ergo, etc.

Obj. 3° Perfectiones Dei sunt necessariæ : sed actus

Dei externi, ut creatio, conservatio, etc., sunt perfectiones : ergo, etc.

R. Dist. min. Actus externi ostendunt Deum esse perfectum, *conc.;* perficiunt, *nego min.* Etiamsi nihil extra se fecisset Deus, non minus perfectus esset, ut patet : facultas creandi aliaque opera externa faciendi est in eo perfectio necessaria et infinita, non vero actus hujus facultatis. Res illustratur exemplo : peritia in homine est perfectio, sed opus peritiam manifestat, et opificem non perficit, nisi forte eum peritiorem reddat. Ergo, etc.

De optimismo.

Summatim hic exponenda sunt systemata duorum illustrium philosophorum, nempe *Leibnitz* et *Malebranche*, qui, licet Dei libertatem admittant et propugnent, eam tamen reipsa adimere videntur.

Leibnitz, indigne ferens atheos atque deistas bonitatem et providentiam Dei continuis blasphemiis impetere propter mala quæ in mundo sunt vel apparent, consueto ingenii acumine quæsiit medium difficultates ab eis excogitatas radicitus evertendi : ut finem hunc obtineret, sequentia statuit principia (*Essai de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, etc.* 2 *vol. in-8°*) :

1° Deus, ut pote sibi sufficiens, perfecte est liber in se : potest ergo creare, vel non creare, hoc vel illud statuere juxta beneplacitum suum.

2° Verum, ex hypothesi quod agere velit, optimum eligere tenetur : ad unum enim præ cæteris se determinare non potest sine ratione sufficienti qua moveatur, alioquin a suprema sapientia deflecteret : porro nulla excogitari potest ratio cur unum præ cæteris eligeret, nisi majo perfectio. Ergo, etc.

3° Ut opus Dei deprehendatur perfectissimum, non considerandæ sunt partes ejus seorsim sumptæ, sed earum consensio et ordo generalis : ubi enim de toto agitur certum est hujusmodi consensionem perfectionem ejus constituere.

4° Cum præsens mundus a Deo creatus sit, sequitu

illum esse perfectissimum : quæ igitur mala esse videntur, sunt velut umbræ in tabella, et a natura rerum, non vero a libera Dei voluntate, fluunt : ergo vanæ ac futiles sunt objectiones incredulorum ex malis physicis vel moralibus petitæ.

P. *Malebranche*, in libro scripto, *Traité de la nature et de la grâce*, systema *Leibnitz* adoptavit et perficere voluit. Dicebat et ipse, 1° Deum esse omnino liberum ad agendum vel non agendum; 2° nihil facere posse quin accurata sit proportio inter opus et ipsius actionem, quæ infiniti est pretii; 3° in hypothesi creationis, *incarnationem* unius e personis divinis fuisse necessariam, quia secus conveniens non exstitisset proportio inter opus finitum et actionem divinam; 4° ipsum non potuisse creare mundum nisi ob majorem suam gloriam; cum autem gloria ejus magis luceat in mundo perfectissimo quam in mundo minus perfecto, inde sequitur hunc mundum esse perfectissimum; 5° perfectionem mundi ex simplicitate et fecunditate legum quibus administratur, æstimandum esse : si ergo nonnulli deprehendantur defectus in orbe, non tribuendi sunt Creatori, sed legibus generalibus ab ipso institutis et quas interrumpi suprema sapientia ejus vetat.

Hinc systema *Leibnitz* nititur principio *rationis sufficientis* pro actione elicienda, et systema *Malebranche* principio *affectus* quo Deus necessario se diligit et suam gloriam prosequitur.

Sequentia autem advertenda sunt, et habenda ut totidem argumenta quæ utrumque systema impugnant :

1° Hypothesis mundi optimi falsa est et nullo modo admitti potest; repugnat enim mundus infinite perfectus; perfectio autem finita semper augeri potest.

2° Principia utriusque philosophi, si premerentur, libertatem Dei in creando mundo everterent : rationes enim quæ Deum ad creandum mundum optimum determinassent, eum determinare debuissent ad ipsam creationem : si ergo mundum optimum Deus necessario creare teneretur, ex hypothesi creationis, necessario creare debuit.

3° Si Deus mundum nunc existentem necessario opti-

mum creaverit, illumque semper optimum velit, ipsius hominis libertas salva permanere posse non videtur.

4° Tandem, principium unicuique systemati proprium, et supra expositum, sic speciali confutatione refelli potest : 1° Certum est quidem Deum agere non posse sine ratione sufficienti : at hæc ratio non deducitur ex objecto actionis, bene vero ex ipsa voluntate agentis. Qui minus bonum videt, illud eligere potest si placuerit : stat pro ratione voluntas : sic et Deus mundum minus perfectum eligere potuit unice propter suum beneplacitum. Imo minus perfectum eligere debet, quia perfectiones creatæ in infinitum augeri possunt, et nunquam de facto mundus optimus existere potest. 2° Certum est pariter Deum necessario seipsum diligere; sed intrinsecus amor ipsi sufficit, et prorsus liber est sibi externam gloriam in tali vel tali gradu procurare, aut nullam sibi procurare, non creando.

Sapientissimus est Deus : sed infinitam sapientiam suam meliori quo possit modo manifestare non tenetur; imo, non posset, ut jam advertimus. Ergo, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE INDEPENDENTIA ET OMNIPOTENTIA DEI.

1° Deus est ens necessarium, infinite perfectum, unicum ; cætera entia ab ipso creata sunt ; omnia igitur ab illo pendent, et ipse a nullo : ergo est summe independens.

2° Est omnipotens; qui enim omne possibile facere potest, merito dicitur omnipotens : atqui Deus omne possibile facere potest. Nam repugnat aliquid esse simul possibile et impossibile : at si Deus omne possibile facere non posset, aliquid esset simul possibile et impossibile : esset possibile, ut supponitur, et impossibile, siquidem ad existentiam determinari non posset. Ergo, etc.

Præterea, Deus creavit cœlum, terram et omnia quæ in eis sunt : atqui creatio omnipotentiam arguit in Deo. Sola

enim voluntate sua Deus creaturas e nihilo eduxit, sicut ait Psalmista : *Ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt* (Ps. XXXII, 9) : si autem sola voluntate sua mundum e nihilo eduxerit, quidquid possibile est similiter educere potest ; nulla quippe est ratio cur unum possibile potius quam aliud divinæ voluntati resisteret. Ergo, etc.

Non dicimus tamen Deum posse de facto adducere ad existentiam quidquid possibile est, quia collectio entium possibilium actu completa, est quid impossibile. Quantacumque supponatur creatio, sive ratione perfectionum, sive ratione numeri entium, semper augeri potest.

Fatemur omnipotentiam qua entia contingentia e nihilo educuntur nobis prorsus incomprehensibilem esse et creaturarum existentiam altum involvere mysterium. Sed earum existentia non ideo neganda est. Constat enim multa existere entia, quorum *non-existentia* supponi potest, quæ igitur sunt contingentia. Ergo per se non existunt. A substantia divina non emanant ; nam quidquid in ea reperitur, est necessarium, infinitum, immutabile. Aliunde Deus non habet partes. Ergo cuncta entia, præter unicum ens necessarium, existentiam acceperunt in tempore : existentiam autem habere non potuerunt nisi per creationem, seu per eductionem e nihilo, id est, substantiæ quæ nullam habebant existentiam, vi omnipotentiæ Dei, cœperunt existere. Prorsus extra quæstionem est D. *Cousin*, quando (*Histoire de la philosophie*, 1828) probare nititur nihilum esse quid contradictorium, et immerito dici creaturas e nihilo educi. Certe nihilum absolutum esset quid contradictorium, et absurde diceretur creaturas ex nihilo educi, tanquam ex aliquo. At dicimus Deum, ens necessarium, summme perfectum, existentiam, vi suæ omnipotentiæ, dare posse, et sic efficere ut entia e *non-existentia* ad existentiam transeant. Quomodo hæc fiat operatio ? nos latet : sed factum rationabiliter negari non potest.

Objicitur 1° ens quodcumque non nisi simile sibi producere ; 2° causam e seipsa tanquam principio causatum extrahere, non autem e nihilo ; 3° posito ente infinito, nullum aliud ens existere posse.

R. ad primum, hoc intelligendum esse de speciebus sese reproducentibus, ex voluntate Creatoris, non vero de causa intelligente, et maxime de causa omnipotenti. *Ad secundum*, eadem redit ratio. Aliunde, Deus eminenter in se continet quidquid perfectionis est in entibus a se creatis. *Ad tertium*, ens infinitum necessario in se continet *formaliter* vel *eminenter*, quidquid habet rationem entis, alioquin infinitum non esset : verum inde non sequitur existere non posse entia contingentia, quibus varii perfectionis gradus ab ente infinito communicantur, non autem ex propria sua substantia. Iterum de hac quæstione agemus in dissertatione de *Panthcismo*, gallice scripta, ad calcem Theodiceæ.

CAPUT SEXTUM.

DE SIMPLICITATE DEI.

Illud dicitur simplex quod ita unum est ut in partes dividi nequeat.

Gentiles deorum multiplicitatem admittentes, sæpe eos corporeos esse fingebant. In IV° sæculo nonnuli exstiterunt viri, præsertim monachi in Ægypto, ultra modum simplices, qui verba Scripturæ vultum, manus, pedes, etc., Deo tribuentis, ad litteram sumentes, eum sub hominis figura sibi repræsentabant, et ideo *Anthropomorphitæ* dicti sunt. De iis mentionem faciunt S. Epiphanius, *Hæresi* 70, et S. Aug., *Hæresi* 50.

PROPOSITIO.

Deus est substantia omnino simplex.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Joan. IV, 24 : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* II Cor. III, 17 : *Dominus autem Spiritus est : ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Ergo 1°, etc.

Prob. 2° *ratione.* Quod est compositum dividi potest;

quod dividi potest non est unicum : atqui Deus est unicus : ergo, etc.

2° Ens divisibile non est sub omni respectu infinitum : nam singulæ partes post divisionem existentes essent finitæ : partes autem finitæ simul junctæ ens sub omni respectu infinitum componere nequeunt. Atqui tamen Deus, ut pote ens necessarium, sub omni respectu est infinitus. Ergo, etc.

3° Deus cogitat et vult; atqui repugnat cogitationem et voluntatem existere in subjecto composito, ut infra probabimus, ubi *De simplicitate mentis humanæ*.

Dices : Nullam habemus ideam substantiæ simplicis : ergo affirmare non possumus Deum esse substantiam simplicem.

R. Dist. ant. Nullam habemus ideam substantiæ simplicis, id est, sub nulla imagine sensibili illam nobis exhibere possumus, *conc;* nullo modo eam percipimus, *nego ant.* Etenim illam substantiam percipimus, cujus existentiam demonstramus, et quam ab omni alia substantia secernimus : atqui Deum sic percipimus, ipsius existentiam demonstramus ; illum a quolibet alio ente secernimus; et invicte nunc probamus illum corporeum non esse. Ergo concludendum est illam esse substantiam simplicem, licet imperfecte sciamus quid sit substantia simplex.

Pessime ergo ratiocinatur auctor nefandi operis jam citati, *Système de la nature*, quando concludit, t. II, c. 4, omnia tolli media quibus existentia Dei demonstrari possit, asserendo illum sensibus nostris omnino impervium esse. Simili argumento enim probaretur materiam electricam, vim magnetis, etc., non existere; earum enim existentia, in se nobis prorsus ignota, non nisi quibusdam effectibus sensibilibus probatur.

Cum tamen sufficientes non habeamus voces quibus de Deo semper accurate loquamur, sæpe per metaphoram tribuimus illi membra humana et affectiones affectionibus nostris similes; hæc autem ad genuinum sensum reducta, simplicitati et immutabilitati ejus minime nocent.

Specialem de *Pantheismo* questionem, quæ hic agitari solet, ad calcem Theodiceæ remittimus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE IMMENSITATE DEI.

Illud dicitur immensum quod mensurari non potest, vel quod nullis limitibus circumscribitur. Inter philosophos et theologos christianos, alii dicunt Deum esse immensum *ratione operationis*, quia ubique operatur vel operari potest, quod quidem constat ex dictis; alii contendunt illum esse immensum *ratione scientiæ*, quod etiam verissimum est, ut patebit ex dicendis; alii docent præterea illum esse immensum *ratione substantiæ*. Hæc sola posterior sententia admittenda est.

Advertendum est utrumque præsentiæ modum prius expositum, si recte intelligantur, in hunc posteriorem recidere; nam ubi est operatio et scientia, ibi est ipsamet substantia, siquidem operatio absque operante et ab illo distincta, scientia absque sciente concipi nequeunt. Sed cum quidam auctores inter eas quamdam distinctionem astruere visi fuerint, ideo nos statuimus Deum immensum esse *ratione substantiæ*. Omnis autem idea loci et extensionis, a modo immensitatem Dei concipiendi sedulo abjici debet.

PROPOSITIO.

Deus est immensus, id est, ubique præsens ratione substantiæ.

Prob. 1° *ex Script.* Deut. IV, 39: *Scito hodie et cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius.* Ps. CXXXVIII, 7: *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*, etc. Apud Job, XI, 8, Sophar dicit de Deo: *Excel-*

sior cœlo est, profundior inferno, longior terra mensura ejus, et latior mari. Ergo, etc.

2° Deus, ut pote infinitus, immensus est, siquidem nullis limitibus circumscribi potest. Si abstrahatur a creaturis, immensitas est ipsa infinitas. Respectu creaturarum, ubique est quia omnia fecit, omnia noscit, in omni loco operatur, et proinde, ubique est substantialiter præsens : hæc enim omnia requirit infinita perfectio.

Sed audiamus clarissimum *Fénelon*, p. 261 : « *Il n'est en aucun lieu, non plus qu'il n'est en aucun temps ; car il n'a, par son être absolu et infini, aucun rapport aux lieux et aux temps, qui ne sont que des bornes et des restrictions de l'être. Demander s'il est au-delà de l'univers, s'il en surpasse les extrémités en longueur, largeur, profondeur, c'est, dans un sens, faire une question aussi absurde que de demander s'il était avant que le monde fût, et s'il sera encore après que le monde ne sera plus. Comme il ne peut y avoir en Dieu ni passé ni futur, il ne peut y avoir aussi en lui ni au-delà ni en deçà. Comme la permanence absolue exclut toute mesure de succession, l'immensité n'exclut pas moins toute mesure d'étendue. Il n'a point été, il ne sera point, mais il est : tout de même, à proprement parler, il n'est point ici, il n'est point là, il n'est point au-delà d'une telle borne ; mais il est absolument. Toutes ces expressions qui le rapportent à quelque terme, qui le fixent à un certain lieu, sont impropres et indécentes. Où est-il donc ? Il est, et il est tellement qu'il faut bien se garder de demander où. Ce qui n'est qu'à demi, ce qui n'est qu'avec des bornes, est tellement une certaine chose, qu'il n'est que cette chose précisément : pour lui, il n'est précisément aucune chose singulière. Il est l'Être, ou pour dire encore mieux, en disant plus simplement, il est ; car moins on dit de paroles, plus on dit de choses. Il est, gardez-vous bien d'y rien ajouter.* »

Hinc patet simplicitatem Dei ipsiusque immensitatem sibi minime contradicere, ejus ad omnes creaturas præsentiam nullo modo ad sensum corporeæ et localis præsentiæ intelligendam esse, nec hanc immensitatem esse

ipsum spatium, quod jam supra impugnavimus. Neque dicatur repugnare Deum esse *substantialiter*, præsentem in sordidis locis, in flagitiossimis peccatoribus : nam Deus prorsus impassibilis, nullum experitur incommodum nec ullo modo maculatur ex eo quod *substantialiter* sit præsens in locis pollutis, in peccatoribus fetidis. Sic radii solis fœdissima illuminant loca, nec ideo cessant esse mundi, puri et nitidi.

CAPUT OCTAVUM.

DE INTELLIGENTIA ET SCIENTIA DEI.

Intelligere, judicare, ratiocinari et scire, sunt operationes diversæ in nobis, quia mens nostra, ut pote finita, diverse operatur circa objecta. Verum unico intuitu Deus omnia conspicit et penetrat : apud ipsum intelligere et scire sunt quid unum et idem.

Deum esse summe intelligentem clamant aperte ipsius opera, Scripturæ et Patrum testimonia ; v. g. : *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes* (I Reg., II, 3) : « Absit ut dubitemus quod ei notus sit « omnis numerus, *cujus intelligentiæ*, ut in Psalmo ca- « nitur, *non est numerus.* » (S. Aug., de Civ. Dei, l. 12, cap. 18).

Hinc plurima apud omnes habentur ut certa, nempe :

1° *Certum est* Deum perfectissima scientia seipsum videre et cognoscere ; sed sibi soli ita notus est, et nulla alia intelligentia eum sic comprehendere potest ; quod sic exprimit B. Paulus, I Cor., II, 11 : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*

2° *Certum est* Deum omnia præterita cognoscere : quod enim Deus vidit oblivisci non potest, alioquin mutaretur et imperfectus esset : atqui præterita vidit, siquidem in conspectu ejus facta sunt.

3° *Certum est* Deum præsentia, etiam secretissima, ut occultas mentis nostræ cogitationes cognoscere : nam

Omnia corda scrutatur Deus, et universas mentium cogitationes intelligit (I Paralip., XXVIII, 9) : *Scrutans corda et renes Deus* (Ps. VII, 10). Aliunde, cum sit ubique præsens, nihil ex iis quæ existunt ipsum latere potest.

4° *Certum est* Deum omnia possibilia noscere : nam *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt cognita* (Eccli., XXIII, 29), *et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (Rom., VI, 17). Præterea possibilia operari potest, alioquin essent simul possibilia et impossibilia : at ignota operari non posset. Aliunde si ea actu non cognosceret, nunquam ea cognoscere posset; nulla enim excogitari potest causa a qua talem notitiam acciperet. Insuper perfectus non esset, cum limitaretur in scientia; nec immutabilis, siquidem novas acquireret notiones, novaque iniret consilia.

Quomodo Deus cognoscat possibilia ignoramus : ea unico intuitu videt. Potestne illa numerare absolute? Existeret infinitus numerus, quod tamen admitti nequit; nec magis existere potest in notione Dei numerus indefinitus, quia scientia Dei limitaretur : novum igitur in Deo, circa hoc punctum, profundum admittendum est mysterium.

5° *Certum est* etiam Deum futura necessaria cognoscere : ea quippe dicuntur futura necessaria, quæ ex legibus a Creatore statutis necessario fluunt, ut tempestates, pluvia, tonitrua, etc. Atqui dici non potest Deum futuros hujusmodi effectus ex legibus ab ipso conditis profluentes ignorare, aut aliquando ignorasse.

Cuncta hæc libenter nobiscum admittunt deistæ : at plurimi scientiam futurorum contingentium in Deo cum humana libertate conciliari non posse arbitrantes, horum notitiam Deo abnegarunt, ut in primis Cicero, quem S. Aug. scite, pro more suo, in opere de Civ. Dei confutat; vel docuerunt Deum futura libera conjecturaliter tantum cognoscere, quia hæc veritatem determinatam non habent. Ita *Sociniani*. Alii, e contra, ut Joannes *Hus*, dixerunt præscientiam Dei, cum sit infallibilis, libertatem hominis tollere.

Alii insuper distinguunt inter futura libera absoluta, id est quæ certo exstitura sunt, et futura conditionata, quæ, scilicet, posita conditione, existerent, et, defectu conditionis, nunquam de facto exstitura sunt; v. g., si tu in tali circumstantia positus fuisses, hæc aut illa fecisses, etc.

Catholici unanimi voce docent, tanquam de fide, Deum optime cognoscere futura libera, tum absoluta, tum conditionata.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus ab æterno infallibiliter cognoscit futura libera absoluta.

Prob. 1° *ex Script. sacra.* Ps. CXXXVIII, 3 : *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas prævidisti.* Apud Daniel, XIII, 42, Susanna injuste accusata, dicit Deo : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* Joan., VI, 65 : *Sciebat ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Ergo 1°, etc.

Prob. 2° *ex SS. PP.* Tertull. adversus Marcionem, l. 2, cap. 5, p. 384 : « De præscientia vero quid dicam? « quæ tantos habet testes, quantos fecit (*Deus*) prophe« tas. » S. Aug., de Civ. Dei, l. 5, cap. 9, t. VII, col. 123. Ciceronem confutans, ait : « Nos adversus istos sacrilegos « ausus atque impios, et Deum dicimus omnia scire, an« tequam fiant, et voluntate nos facere quidquid a nobis « non nisi volentibus fieri sentimus et novimus. » Ergo 2°, etc.

Prob. 3° *ex ratione.* 1° Ex probatis, Deus est summe perfectus et immutabilis : atqui talis non esset, si futura libera non nosceret; quotidie enim novas cogniliones acquireret, sicque perficeretur et mutaretur. Insuper ille non est summe perfectus, quo alter perfectior excogitari potest : at, si Deus futura libera certo non cognosceret,

aliud ens ipso perfectius excogitari posset, nempe ens cuncta futura cognoscens. Si enim futurum per conjecturam prævidere perfectio sit in homine, quanto magis perfectum est omnia futura libera infallibiliter cognoscere. Ergo, etc.

Ratio autem hujus argumentationis ex ipsa Dei æternitate repetenda est. Deus ab æterno infinitam habet præeminentiam qua omnia tempora simul et immutabiliter amplectitur, ita ut nihil proprie sit oculis ejus præteritum vel futurum, sed omnia præsentia. Unde non est in Deo *præscientia* vel prævisio, stricte loquendo, sed *scientia*, qua uno intuitu quidquid pro nobis futurum est jam sibi ut præsens conspicit.

Ratio illa valde inservit ad solvendas difficultates.

2° Consensus unanimis et constans populorum, qui a præjudiciis vel cupiditatibus oriri non potuit, est motivum certum judicandi : atqui omnes populi admiserunt Deum cognoscere futura libera ; nam omnes habuerunt oracula divina quibus futura libera prænuntiabantur. Ille consensus oriri non potuit a præjudiciis, quæ ita generalia esse non potuissent, nec a cupiditatibus cui præscientia Dei adversatur. Ergo, etc.

Similiter, et propter easdem rationes, Deus ab æterno infallibiliter cognoscit cogitationes hominum præsentes et futuras.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Quod a Deo prævidetur, necessarium est : ergo Deus futura libera non prævidet, aut non sunt libera.

R. 1°. Hic in mentem revocandum est quod pluries notavimus, scilicet, veritates clare demonstratas non ideo negandas esse quia eas secum conciliare non possumus : probavimus autem Deum futuras actiones et cogitationes hominum infallibiliter cognoscere ; demonstrabimus infra hominem vera libertate gaudere. Ergo concludere debemus futuras actiones hominum esse simul certo prævisas et tamen liberas.

R. 2°. *Nego ant.* Quod enim a Deo prævidetur, non

ideo necessarium est, si præscientia Dei actionibus prævisis nullam imponat necessitatem : atqui præscientia Dei, etc. Non ideo enim actiones hominum futuræ sunt quia Deus eas prævidit, sed Deus eas prævidet quia futuræ sunt, et quia futuræ sunt liberæ, sic eas futuras esse prævidet : ita S. Hieronymus in cap. XXVI Jeremiæ, t. III, col. 653 : « Non enim ex eo quod Deus scit futurum ali-« quid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus « novit, quasi præscius futurorum. » Ergo, etc.

Inst. 1°. Illud necessarium est quod non potest non evenire : sed quod Deus prævidit non potest non evenire : ergo, etc.

R. Nego min. Ut enim quod Deus prævidit possit non evenire, sufficit ut in agente remaneat potestas ab actu præviso abstinendi : atqui, non obstante divina præscientia, vel melius, uti diximus, scientia, remanet in agente potestas ab actu præviso abstinendi; nam divina scientia non lædit libertatem, sed illius exercitium supponit. Imo, ut observat S. Augustinus (De libero arb., l. 3, c. 3), nedum scientia Dei libertatem nostram destruat aut lædat, illam, e contra, quodam modo assecurat. Videt enim Deus nos hæc vel illa libere agere; atqui scientia Dei falli non potest : ergo certum est nos in his vel in illis actionibus esse liberos. Ergo, etc.

Inst. 2°. Deus falli non potest : ergo quod prævidit futurum, non potest non evenire.

R. Nego conseq. Deus enim falli non posset, nisi in quantum ipsius scientia desineret esse objecto suo conformis : atqui, licet quod Deus prævidit potuerit in se non evenire et fiat pro arbitrio agentis, non ideo ipsius scientia desinit esse objecto suo conformis; nam divina prævisio supponit exercitium ipsius libertatis, et ei ordine rationis consequens est. Respectu Dei, objectum præscientiæ est actio libera, ipsi insuper semper præsens, propter ejus simultaneam æternitatem, sicut notavimus. Objectio igitur supponit falsum, et in eo præcipue peccat, quod paritatem statuat inter scientiam divinam et nostrum concipiendi ac cognoscendi modum adeo imperfectum. Ergo, etc.

Inst. 3°. Si actus prævisus non eveniret, falleretur Deus : ergo si possit non evenire, falli potest Deus.

R. Distinguo consequens : si possit non evenire etiam consequenter, ordine rationis, præscientiæ Dei, *concedo ;* antecedenter et attenta sola agentis libertate, *nego.* Ratio patet ex dictis in solutione instantiæ præcedentis.

Inst. 4°. Si quod Deus prævidit possit non evenire, supponi potest non evenire : at in ea hypothesi falleretur Deus : ergo si quod prævidit possit non evenire, falli potest.

R. Nego maj. Nam duæ hypotheses sese mutuo destruentes admitti nequeunt : at quod Deus prævidit futurum, supponi non potest non evenire, quin admittantur hypotheses sese mutuo destruentes ; nam idem actus supponitur simul futurus et non futurus ; futurus quidem, cum a Deo prævideatur, et tamen non futurus, cum ex altera parte non eventurus supponatur. Ergo, etc.

Inst. 5° *Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi.* Ita fert axioma ab omnibus receptum. Ergo si actus a Deo prævisus possit non evenire, supponi potest illum reipsa non evenire.

R. Dist. axioma. Possibili posito in actu, nil sequitur absurdi, modo contraria hypothesis non præcesserit, *conc. ;* secus, *nego.* Itaque, cum duæ hypotheses contrariæ admitti nequeant, si semel admissum sit actum fuisse prævisum ut futurum, jam supponi non potest illum non eventurum, quamvis possit non evenire. Sic, v. g., possibile est Petrum non ambulare : at supposito quod deambulaturus sit, supponi non potest illum deambulaturum non esse. Ergo, etc.

Inst. 6°. Potentia quæ in actu supponi non potest sine absurditate, non est vera potentia : ergo, etc.

R. Dist. ant. Non est vera potentia, si, independenter a qualibet hypothesi, in actu supponi non possit sine absurditate, *conc. ;* si hæc impotentia ab anteriori hypothesi posteriorem destruente veniat, *nego ant.* Ratio distinctionis patet ex dictis. Porro res ita se habet ; ideo enim potentia ab actu prævisо abstinendi supponi non potest in actu, quia actus oppositus jam supponitur. Ergo, etc.

Obj. 2°. Hæc scientia Deo tribui non debet, ex qua sequeretur socordia hominum circa salutem : at si admittatur Deum futura libera certo cognoscere, inde sequeretur, etc.; ergo, etc.

R. Nego min. Nam scientia Dei speculativa est, et in futuras hominum actiones non influit, ut probavimus. Ergo, etc.

Inst. Posita infallibili Dei præscientia, sic unusquisque ratiocinari potest: Deus ab æterno prævidit me salvatum vel damnatum iri : at si prius, quidquid fecerim salvabor; si posterius quidquid egerim, damnabor: ergo, etc.

R. 1°. Absurdum illud argumentum non tantum circa salutem, sed circa quaslibet res futuras et ab operibus nostris pendentes similiter confici potest. Sic ratiocinabitur ægrotans : Deus certo prævidit me sanitatem recuperaturum, vel non recuperaturum esse : si prius, etiamsi venenum haurirem, sanabor; si posterius, quidquid tentaverim, non convalescam ; valeant ergo medici et medicamenta ; pereant pharmacopolæ. Ex eodem principio arator terram non coleret, miles non pugnaret, mercator otiosus maneret, etc. Atqui nemo non videt quam hæc sint absurda. Ergo, etc.

R. 2° *Nego min.* Ideo quippe ab æterno salvandus vel damnandus præscitus sum, quia simul præscitus sum bene vel male victurus : præscitus sum autem bene vel male victurus, quia bonum vel malum ex libera electione amplexurus sum : si ergo libertate bene utar, salvus ero; sin autem, damnabor. Standum est igitur huic B. Petri monito : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (II Epist. I, 10).

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus ab æterno infallibiliter cognoscit etiam futura conditionata.

Prob. ex Scriptura sacra, Patrum testimoniis, et ratione.

1° *Ex Script. sacra.* I Reg., XXIII, 10, David, cum rescivisset Saülem propositum habere cum exercitu veniendi

ad Ceilam ubi tunc erat, Dominum consuluit, dicens : *Domine Deus Israël, audivit famam servus tuus, quod disponat Saül venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me : si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, et si descendet Saül, sicut audivit servus tuus, Domine Deus Israël, indica servo tuo. Ait Dominus : Descendet... tradent.* Ibi certe agebatur de futuro conditionato, si nempe, ex hypothesi quod Saül descenderet, viri Ceilæ traderent David in manus ejus.

Sap., IV, 11 : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Noverat ergo Deus mutationem et fictionem futuram fuisse in justo, si longius vixisset.

Matth., XI, 21 : *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Sciebat ergo Christus quid contigisset in hypothesi quæ locum non habuit. Ergo 1°, etc.

2° *Ex testimoniis Patrum*, qui hanc scientiam in Deo omnes, data occasione, agnoverunt. Sic S. Aug., lib. de Dono persev., cap. 9, t. X, col. 381, ubi ostendit absurdum esse dicere judicandos esse mortuos de peccatis quæ perpetraturi fuerint si vixissent, dicit : « Certe « poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros, antequam « id fieret, auferre de hac vita. » Ergo supponit Deum perfecte noscere futura etiam conditionata. Ergo 2°, etc.

3° *Ex ratione.* 1° Deus ut pote infinitus in scientia, cognoscere debet quidquid cognoscibile est : at futura libera conditionata sunt possibilia, siquidem repræsentari possunt in mente ut cognita. 2° Si Deus ea non cognosceret, ipsius scientia non esset infinita, cum sub eo respectu limitaretur, et perfectior fingi posset, videlicet qui talia futura non ignoraret. 3° Dicendum foret Deum prævidere non posse quid acturi essent homines, si hæc vel illa naturæ aut gratiæ præstaret auxilia, si eos in talibus vel talibus circumstantiis constitueret, si diutius viverent, etc.; quod evidenter perfectioni Dei repugnat. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc.

Objicitur hæc futura non habere veritatem determina-

tum, cum pendeant a conditione numquam ponenda. *Respondetur* autem ea habere veritatem conditionalem, id est verum esse ea futura esse, si conditio poneretur, ac consequenter Deum ea videre inter futura a tali vel tali conditione dependentia.

De medio scientiæ Dei.

Quamvis homines etiam doctiores prorsus ignorent modum propriæ scientiæ suæ, v. g., quomodo, in quo medio videant objecta physica, in quo objecta pure intellectualia, determinare tamen voluerunt modum scientiæ Dei, aliaque subtilissima captum nostrum longe superantia. Quædam tantum hic paucissimis verbis annotare volumus, per modum historiæ potius quam doctrinæ.

1° Aliud est rem aliquam cognoscere in se, aliud est eam cognoscere per aliud : sic propriam existentiam nostram cognoscimus in se, et Dei existentiam per creaturas.

2° Deus seipsum cognoscit in se, et non per aliud proprias perfectiones videt immediate.

3° Res existentes videt in seipsis ; quia omnia quæ sunt, ipsius oculis nuda et aperta sunt.

4° Quoad res possibiles quidam volunt Deum eas cognoscere in sua omnipotentia ; alii in sua essentia, vel in ideis suis, quæ sunt velut omnium rerum archetypi ; alii in Verbo suo per quod omnia facta sunt et in quo omnia possibilia sunt; alii denique in seipsis, quia res mere possibiles habent per se veritatem et cognoscibilitatem.

5° Circa futura necessaria nulla movetur difficultas : omnes consentiunt Deum ea in decretis suis conspicere.

6° De futuris liberis absolutis non sic unanimiter affirmant theologi. *Thomistæ* volunt Deum ea videre in decretis suis prædeterminantibus, quibus ita moturus est voluntates ut eas efficaciter determinet ad libere volendum. *Molinistæ*, a Ludovico *Molina*, e Societate Jesu, anno 1535, in Hispania nato, sic dicti, præmotionem physicam ut libertati humanæ adversam rejicientes, tenent Deum ea videre in seipsis tanquam futuris, quia sub hoc respectu habent veritatem determinatam. *Augustiniani*, ita vocati,

quia doctrinæ S. Augustini se adhærere profitentur, dicunt Deum prævidere supernaturalia libera in suis decretis de danda gratia efficaci, et naturalia in seipsis, seu in libera voluntatis determinatione. Alii, contendentes omnia quocumque modo futura, eo ipso quod futura sint, æternitati correspondere, inferunt Deum totam æternitatem contemplando, præterita, præsentia et certo futura unico intuitu videre tanquam sibi præsentia, quia respectu ipsius nihil est præteritum aut futurum.

7° Ubi agitur de assignando medio quo Deus cognoscit futura conditionata, longiores adhuc et obscuriores sunt theologorum disputationes, quas hic nec referendas esse judicamus. Legant, qui voluerint, *Tournely* aliosve theologos.

Sequentia S. Aug. (Enar. in Ps. XLIX, t. IV, col. 454) verba semper retineamus, et dicamus cum illo : « Apud « quem summa potestas est, summa et secreta cognitio « est. Tribuamus hoc Deo, laudantes Deum. Non audea- « mus dicere : Quomodo novit Deus... hoc solum dico : « Non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut ange- « lus : et quomodo cognoscit dicere non audeo, quoniam « et scire non possum. »

De divisione scientiæ Dei.

Scientia Dei, respectu ipsius intelligentiæ spectata, est unica, simplex et invariabilis : ratione vero objectorum quæ attingit, plures admittit divisiones.

Dividitur 1° in necessariam et liberam. *Necessaria* habet pro objecto Deum ipsum, rerum essentias, seu omnes veritates æternas et invariabiles. Scientia *libera* respicit contingentia.

Dividitur 2° in scientiam *approbationis*, qua Deus cognoscit bona quæ approbat; et scientiam *improbationis*, qua novit mala quæ improbat.

Dividitur 3° in scientiam *simplicis intelligentiæ*, quæ versatur circa possibilia; et scientiam *visionis*, quæ attingit res existentes aut exstituras.

Quoniam autem hæc divisio scientiam futurorum conditionatorum complecti non videtur, plurimi theologi aliud

excogitarunt scientiæ genus, cui nomen *scientiæ mediæ* imposuerunt : hæc quippe scientia quasi medium tenet locum inter simplicem intelligentiam et visionem, quia futura conditionata sunt plus quam mere possibilia, et minus quam realiter existentia.

De hac scientia acriter et fuse olim disputatum est inter Thomistas, qui eam negabant, et alios theologos, qui eam totis viribus tuebantur. Ex utraque parte multa scripta sunt valde subtilia, obscura et prorsus inutilia, quæ certe nec volumus indigitare. Si quis harumce disputationum aliquam obtinere desideraverit notionem, consulat *Tournely*, v. g., et *Billuart* adversus eum pugnantem.

De usu scientiæ Dei.

Hic quærere solent theologi an et quomodo scientia Dei sit causa rerum.

Notant eam duplici modo in existentiam rerum influere posse, videlicet directive aut effective : *directive*, potentiam agentem illuminando et in operibus suis dirigendo; *effective*, imperando et rebus existentiam tribuendo.

Thomistæ, opinantes res omnes, etiam liberas determinationes nostras, ideo futuras esse, quia Deus eas influxu suo prædeterminat physice, affirmant illum eas ab æterno videre in suis decretis visione seu scientia approbationis efficaci et in tempore fixo existentiam tribuenti aut determinanti : sicque, juxta ipsos, scientia Dei est causa rerum *effectrix*.

Alii vero omnes docent hanc scientiam esse duntaxat causam rerum directricem.

Quidquid sit, certum est Deum cæco impulsu non agere, sed omnia perfecte cognoscere antequam ea faciat, eaque scite et sapienter, secundum beneplacitum suum, facere. Unde Psalmista, Ps. CIII, 24 : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. Omnia in sapientia fecisti;* et Ps. CXXXV, 5 : *Qui fecit cœlos in intellectu.*

CAPUT NONUM.

DE SAPIENTIA DEI.

PROPOSITIO.

Deus est summe sapiens.

Prob. 1° Sapientia, quantum eam cognoscere possumus, in eo consistit ut finis bonus semper intendatur, et media ad hunc finem assequendum aptissima eligantur : atqui hujusmodi sapientiam in gradu infinito Deus necessario possidet. Deus enim est summe perfectus : porro sapientia sic intellecta, vera est perfectio ; quicumque enim inter agendum nullum sibi proponeret finem, aut insulsa eligeret media ad hunc finem assequendum, certe non haberetur ut perfectus. Ergo, etc.

2° Ille est sapiens qui evidentissimos sapientiæ characteres in cunctis operibus suis impressit : atqui Deus evidentissimos sapientiæ characteres, etc. Ubique enim videmus in mundo fines intentos et media ad eos consequendos aptissime disposita : porro sapientia Dei finita et imperfecta esse non potest, quia nulla esse potest ratio cur limitaretur. Ergo concludendum est Deum esse summe sapientiem, et sic perpetuo exhibetur in Scriptura, ut sapientissimus et fons omnis sapientiæ : *Si quis autem vestrum indiget sapientia*, inquit B. Jacob., I, 5, *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*

CAPUT DECIMUM.

DE SANCTITATE ET VERITATE DEI.

PROPOSITIO.

Deus est summe sanctus et verus.

Prob. 1° *Script. sacra.* Exod., XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Is., VI. 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*, etc. Ergo 1°, etc.

Prob. 2° *ratione.* Ille summe est sanctus qui peccato nunquam commaculari potest illudque summo odio prosequitur ; et verus, qui nunquam falli aut fallere potest : atqui hoc utrumque attributum Deus necessario habet. 1° *Nullo peccato commaculari potest ;* non concipitur enim peccatum nisi quatenus est rebellio erga Deum, unde ipse peccare non potest. Insuper, illud summo odio prosequitur, quia ordinem moralem necessario diligit. Ergo, etc. 2° *Nec falli nec fallere potest ;* si enim falleretur, limitatus esset ac proinde imperfectus; si falleret, vitiosus esset, quia fallacia, juxta omnes, est vitium. Porro dici non potest Deum esse vitiosum. Ergo, etc.

CAPUT UNDECIMUM.

DE BONITATE ET BEATITUDINE DEI.

PROPOSITIO.

Deus est summe bonus et beatus.

Prob. 1° *ex Script. sacra.* Ubique in paginis sacris bonitas Dei celebratur, et Propheta regius, præsertim Ps. CXXXV, iterum atque iterum invitat omnes ad confitendum Domino *quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* I Tim., I, 11, Deus dicitur beatus : *Secundum Evangelium gloriæ beati Dei.* Item VI, 15, ejusdem Epistolæ : *Beatus et solus potens, rex regum et dominus dominantium.* Ergo 1°, etc.

Prob. 2° *ex ratione.* 1° *Deus est summe bonus.* Qui fons est omnis bonitatis, est summe bonus : atqui Deus est fons omnis bonitatis, solus enim est ens necessarium, et quælibet alia entia ab ipso procedunt ; nulla igitur possibilis est bonitas, nisi quatenus est in Deo. Ergo infinite est bonus. Præterea, ille est bonus qui libere et sine ulla utilitate propria creaturas innumeris beneficiis cumulat : atqui Deus innumeris beneficiis creaturas cumulat, ut patet; libere sic agit, cum in actibus suis externis nulla necessitate sit constrictus ; sine ulla utilitate propria ad

hæc beneficia concedenda sese determinat, quia sibi sufficit, et a quolibet alio ente est independens : ergo revera bonus est. Sed quidquid est in Deo, est infinitum; Deus igitur est summe bonus, quamvis ipsius bonitas finite tantum in creaturis luceat. Unde, sicut jam advertimus, non tenetur summum bonum creaturis suis concedere, nec omnibus æqualia fundere beneficia : sufficit ut, ex parte sua, det illis existentiam meliorem quam non-existentiam.

2° *Deus est summe beatus.* Beatitudo enim consistit in placida fruitione boni. Qui ergo placide summo bono fruitur, summe est beatus : atqui Deus summo bono placide fruitur. Summum bonum quippe habet in se, et nulla causa eum in fruitione infiniti hujus boni perturbare potest. Ergo, etc.

CAPUT DUODECIMUM.

DE JUSTITIA DEI.

Essentiale dari discrimen inter bonum et malum morale demonstrabimus infra ; nunc autem, hac veritate iterum supposita, sit

PROPOSITIO :

Deus est summe justus.

Prob. 1° *ex Script. sacra.* Nihil crebrius legitur in Scriptura quam hujusmodi veritas, scilicet Deum esse justum, criminis ultorem et virtutis remuneratorem. *Reddet unicuique secundum opera ejus* (Matth., XVI, 27, et ad Rom., II, 11).

Prob. 2° *ex ratione.* Justitia Dei, prout eam apprehendimus, in eo sita est ut bonos et malos pari oculo non cernat, sed pro meritis vel culpis eos remuneret aut puniat : atqui certum est Deum indifferenti oculo bonos et malos non cernere, sed pro meritis aut culpis eos remunerare

vel punire. Justitia enim sic intellecta, certe est perfectio: atqui omnis perfectio est in Deo modo infinito: ergo Deus summe est justus, ac proinde ipsius judicia respectu nostri sunt *abyssus multa* (Ps. XXXV, 7).

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Nomine divinæ Providentiæ intelligitur actus quo Deus universitati rerum jugiter est præsens eamque regit ac gubernat, tum in ordine physico, tum in ordine morali.

Plures religionis hostes, Deum negare non audentes, ipsius Providentiam sustulerunt, et ita cupiditatibus tam libere potuerunt indulgere quam athei. Sic 1° Epicurei, qui mundum fortuito atomorum concursui tribuebant, et tenebant Deum actiones hominum ut pote majestate sua indignas non curare; 2° Stoici, qui cuncta ipsumque Deum immani fato subjiciebant; 3° Marcionitæ et Priscillianistæ apud Christianos, plurimi etiam recentiores deistæ, variis de causis aut sine causis divinæ Providentiæ influxum, præsertim in res humanas, negarunt. Philosophi et theologi christiani divinam admittunt Providentiam, et, ea admissa, quærunt 1° quomodo Deus res omnes conservet; 2° quomodo actiones hominum liberas dirigat. Præsens igitur caput in tres articulos dividemus: primus erit de divinæ Providentiæ existentia; secundus, de rerum omnium conservatione; et tertius, de influxu Dei in liberas hominum actiones.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVINÆ PROVIDENTIÆ EXISTENTIA.

Sic alloquentem Epicureum inducit Cicero (de Natura deorum, l. 1, n. 54): « Imposuistis cervicibus nostris « sempiternum Dominum quem die et nocte timeremus; « quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem,

« et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, « curiosum et plenum negotii Deum? » Talis est adhuc ratio cur deistæ nostri divinam Providentiam rejiciant, dicentes cum omnium temporum impiis : *Quid enim novit Deus? Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat* (Job, XXII, 14).

PROPOSITIO.

Existit divina Providentia ad omnia etiam vilissima sese extendens.

Probatur ex Scriptura sacra, ex SS. PP. et ex ratione.

1° *Ex Scriptura sacra.* Sap., VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Ibid., XII, 31 : *Non enim est alius Deus quam tu cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injuste judicas judicium.*

Matth., VI, 26 : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Ibid. X, 29 : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos.*

Multa alia citari possent, ex quibus manifeste constat divinam existere Providentiam ad omnia se extendentem, omnibus invigilantem, omnia dirigentem, etiam liberos actus hominum, v. g., Prov. XXI, 9 : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Ibid., XX, 24 : *A Domino diriguntur gressus viri.* Hæc tamen Providentia libertati humanæ non nocet, quia naturæ uniuscujusque rei se accommodat, et ipsum malum vertere potest in bonum. Unde Joseph ad fratres suos, Gen., L, 20 : *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis... Ego pascam vos et parvulos vestros.* Ergo 1°, etc.

2° *Ex SS. Patribus.* Innumera eorum allegari possent testimonia. Tertull., Apol., cap. 17, p. 17, veri Dei exis-

tentiam demonstrans, illum repræsentat ut omnibus providum : « Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus « continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, « etiam quibus exterremur? vultis ex animæ ipsius testi- « monio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, « licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidi- « nibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis « exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex « somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam po- « titur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio « Dei veri, Deus magnus, Deus bonus, et, quod Deus de- « derit, omnium vox est, judicem quoque contestatur, « illum Deus videt, Deo commendo, et, Deus mihi reddet. « O testimonium animæ naturaliter christianæ! »

S. Aug., lib. de Utilitate credendi, cap. 16, t. VIII, col. 67 : « Si enim providentia non præsidet rebus huma- « nis, nihil est de religione satagendum. »

Lactantius, Inst. divinarum lib. 1, cap. 2, cui titulus : *De Providentia*, etc.

Salvianus toto opere in octo libros diviso, sub inscriptione : *De Gubernatione Dei*. Ergo 2°, etc.

3° *Ex unanimi consensu*. Universi populi Deum agnoscentes, nunquam illum sibi finxerunt, sicut Epicurus, otiosum et rebus humanis extraneum; semper arbitrati sunt, e contra, illum cuncta regere et gubernare, non solum in ordine physico, sed et in ordine morali, modo libertati nostræ accommodato : « Si enim est Deus, inquit « Lactantius (de Ira Dei, cap. 9), utique Providens est; « alterum sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi po- « test. » Porro unanimis hæc populorum consensio non minus invictum est veritatis argumentum circa Dei providentiam, quam circa ipsius existentiam, quia non minus est cupiditatibus adversa. Ergo, etc.

4° *Ex ratione*. 1° Ex mirabili totius mundi concentu demonstratur Deum existere; atqui præclarus ille concentus non solum Dei existentiam, sed supremam ipsius Providentiam evidenter arguit. Quis enim videns duos exercitus secum pugnantes, non credet ibi adesse duces

qui eorum motus respective dirigant? Quis naves super fluctus maris navigantes et a portu ad portum recte tendentes conspiciens, sibi persuadere poterit eas casu fortuito sic impelli? Nonne ex earum directione tam evidenter concludet ibi adesse rectorem, quam ex earumdem compagine inferet adfuisse opificem qui eas construxerit? Atqui mirabilis ordo ubique relucens in mundo, multo clarius ostendit præpotentem et sapientissimam ibi adesse causam quæ omnia disponat, regat ac gubernet : quod luculenter, pro more suo, describit Cicero, lib. 2 de Natura deorum, n. 73 et seq. Ergo, etc.

2° Si cunctis rebus Deus non provideret, vel quia non posset, vel quia nollet : atqui neutrum dici potest : non prius, quia est omnipotens; non posterius, nam si cunctis rebus providere nollet, maxime quia tanta cura ipsi fastidiosa, gravis vel indecora esset, ut quidam deistæ clamitare non dubitant : atqui id admitti non potest ; cum enim Deus sit infinitus, unico et simplicissimo actu voluntatis omnibus simul providet, magnis et parvis, nec magis divinam ipsius majestatem dedecet omnia sic administrare, quam omnia fecisse. Ergo, etc.

3° Deus creando mundum, et utrumque ordinem physicum et moralem constituendo, aliquem finem necessario sibi proposuit ; impie namque diceretur Deum temere et sine ullo proposito egisse : atqui omnes creaturas earumque actus et effectus ad finem sibi propositum per media ipsis proportionata ducere debet ; secus enim dicendum foret illum aut finem a se intentum serio non voluisse, aut difficultates occurrentes non prævidisse, aut eas superare non posse. Porro nihil horum dici potest, ut patet. Ergo, etc.

Hinc 1° variæ circumstantiæ in quibus singuli constituuntur homines independenter a propria voluntate sua, sunt effectus divinæ Providentiæ, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, vel saltem ab ea permittuntur, et deinde ad bonum nostrum dirigunt.

Hinc 2° qui libertate sua male utuntur, Providentiam

non ideo fallunt, quia Deus actus eorum ab æterno prævidit, et bona vel mala eis retribuere statuit, sicque finem a se intentum infallibiliter obtinet, libertate humana prorsus illæsa.

Hinc 3° facta politica, eventus belli, fœdera pacis, prosperitates et calamitates nationum, etc., jugi Providentiæ divinæ imperio subjiciuntur modo humanæ libertati accommodato : unde omnes populi Deum ante hujusmodi eventus deprecantur, et, post exitus felices, gratias illi rependunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Si Deus summe bonus omnibus sapientissime provideret, non permitteret pios ipsius cultores multis vexari miseriis, dum impii et perditi homines cumulantur beneficiis, affluunt deliciis : ergo, etc.

R. Nego ant. Nam 1° Deus, illæsa bonitate sua, existentiam mali, sive moralis, sive physici, permittere potuit, ut contra Manichæos ostendimus. 2° Demonstrabimus infra alteram post præsentem existere vitam, beatam vel miseram, prout quisque bene vel male se gesserit : at, supposita alterius vitæ existentia, Deus permittere potest pios ipsius cultores miseriis vexari, dum impii deliciis affluunt; nam præstantissimæ virtutes, v. g., patientia, constantia, magnitudo animi, charitatis prodigia, etc., ex hujusmodi miseriis ortum ducunt : nemo autem negare potest Deum alios fines æque sapientes sibi proponere potuisse. Ergo, etc.

Obj. 2°. Si Deus omnibus provideret, nihil esset fortuitum in mundo : atqui tamen multa sunt fortuita in mundo. Ergo, etc.

R. Dist min. Multa sunt fortuita in mundo, respectu nostri, *conc.;* in se vel respectu Dei, *nego min.* Illud dicitur fortuitum quod præter exspectationem accidit, quia causam illius ignoramus : at nihil præter exspectationem Dei contingit, cum ipsum nihil lateat, et nihil fiat sine causa. Ergo revera nihil est fortuitum in se aut respectu Dei.

Obj. 3°. Supposita generali Providentia, quamcumque curam negotiorum, tum propriorum, tum alienorum, abjicere possumus : atqui tamen id nemo admittet : ergo, etc.

R. Nego maj. Divina enim Providentia res omnes modo ipsis proprio gubernat, ut diximus : qui ergo a consuetis prudentiæ regulis recederent, eo ipso contra divinam Providentiam agerent, postularentque a Deo ut legibus suis derogaret. Unde merito damnata sunt probationes ignis et singularia certamina quibus causæ civiles et etiam criminales in sæculis ignorantiæ definiebantur : nulla quippe naturalis erat connexio inter victoriam in singulari certamine reportatam et innocentiam victoris; nulla ratione Deus tenebatur efficere ut innocens non succumberet, aut per ignem transiens, vel in aquam calidam demersus, evaderet illæsus.

Sequens *objicitur* textus : *Numquid de bobus cura est Deo ?* (I Cor., IX, 9). Sed hic B. Paulus solum intendit dicere prohibitionem de qua agitur principaliter intuitu hominis factam fuisse.

Super eo et similibus magis immorandum non judicamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE RERUM OMNIUM CONSERVATIONE.

Sicut res contingentes potuissent non existere, sic possunt in existentia non perseverare; quemadmodum igitur aliqua requiritur causa ut e nihilo educantur, ita exigitur ratio ut pergant existere. Petitur ergo an ex seipsis virtutem habeant in existentia semel accepta perseverandi, an vero perpetuo Dei influxu semper indigeant, ut plerique philosophi contendunt. Perpetuus ille Dei influxus dicitur conservatio positiva.

An autem sit actus duplex a parte Dei, creationis, scilicet, et conservationis, vel an conservatio non sit nisi actus creationis perseverans, dissentiunt philosophi. Nos autem simul perpetuum Dei influxum et actus unitatem propugnamus in propositione sequenti; pars vero prior ab omnibus moraliter admittitur.

PROPOSITIO.

Solo influxu Dei positivo omnes creaturæ in existentia conservantur.

Prob. 1° Vel positivo Dei influxu conservantur creaturæ, vel in existentia semel accepta ex natura sua perseverant : atqui posterius dici non potest. Si enim creaturæ ex natura sua in existentia semel accepta perseverarent, tunc necessaria esset connexio inter præsentem et futuram existentiam earum : atqui id admitti non potest, alioquin creaturæ jam destrui non possent, nec supponi non existentes, quod evidenter repugnat. Ergo, etc.

2° Voluntas et actio sunt in Deo quid unum et idem. Unde Deus positivo influxu creaturas conservat, si positive velit eas in existentia perseverare : atqui Deus positive vult singulis momentis creaturas in existentia perseverare : vel enim positive vult eas in existentia perseverare, vel ab eis existentibus abstrahit : atqui ab illis abstrahere non potest, quia nulla est abstractio in Deo qui omnia uno intuitu videt. Ergo, etc.

3° Deus creaturas suas e nihilo producens in voluntate sua, omnia simul complectitur momenta quibus exstituræ sunt : atqui generalis hæc voluntas post creationem non cessat, cum nulla sit mutatio apud Deum, sed tamdiu perseverat, quamdiu durat creatura, sicque creatio et conservatio ex parte Dei sunt unus et idem actus. Ergo, etc.

Ut ergo creaturæ desinant existere, sufficit quod Deus cesset earum existentiam actu positivo velle ; statim evanescunt sicut lapis in aere suspensus proprio pondere labitur, si vis eum positive detinens cesset, si funiculus, v. g., abscindatur : quod sic exprimit S. August. (de Genesi ad litteram, l. 4, c. 12, t. III, 1 parte, col. 107) : « Creatoris « potentia et Omnipotentis virtus causa subsistendi est « omni creaturæ. Quæ virtus ab eis quæ creata sunt regen- « dis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret « species, omnisque natura concideret. » Illa autem ces-

satio ipsa aliquo sensu esset actus voluntatis Dei positivus, quia supponi non potest Deum oblivisci aut abstrahere.

Dices: Res in aliquo statu constituta in eo remanet donec per causam externam inde depellatur, v. g., corpus quiescit, donec ab alio moveatur; opificium subsistit, donec destruatur, etc.; ergo a pari creaturæ e nihilo semel eductæ per seipsas subsistunt.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod situs corporis, opificia aliaque hujus generis opera sint tantum qualitates vel modificationes substantiarum quarum naturam sequuntur : contra vero agitur in creatione de ipsismet substantiis quæ sola Dei voluntate producuntur, et non in seipsis, sed in eadem voluntate tantum rationem existentiæ suæ perseverantis habent. Positiva Dei conservatione supposita, facile concipitur quomodo substantiarum modificationes permaneant donec destruantur; cum enim nihil sint a substantiis distinctum, in ipsis existere pergentibus remanebunt, donec ab aliqua causa reformentur. Sed inde concludi non potest creaturas positiva Dei conservatione non indigere. Ergo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INFLUXU DEI IN LIBERAS HOMINUM ACTIONES.

Examinabimus 1° an Deus in ipsas actiones liberas hominum influat; 2° qualis sit ille influxus.

§ I. — An Deus in liberas hominum actiones influat.

Videtur primo intuitu Deum liberas actiones hominum gubernare non posse, quin humanam lædat libertatem, ideoque sub hoc respectu providentiam ejus restringendam esse; attamen sit

PROPOSITIO :

Deus in cunctas actiones hominum liberas positive influit.

Prob. 1° Omnes populi semper et ubique Deum invocant ad obtinendos aut avertendos quosdam eventus, non solum physicos, sed et morales, qui a libera hominum

determinatione omnino pendent : v. g., quotidie petitur a Deo ut recte sapere nos faciat, ut bona consilia nobis infundat, ut optimos nos reddat, ut proposita inimicorum nostrorum confundat, ut strenuos magistratus, beneficos principes, etc., nobis concedat : si autem Deus in liberas actiones hominum non influeret, hæc omnia frustra postularentur ab ipso. Populi autem persuasum habent non tantum Deum influere posse, sed continuo influere, in etc. Ergo, etc.

2° Determinationes et actiones hominum a Deo summopere pendere debent; absurdum quippe foret aliquid existens a Deo non pendere : attamen determinationes et actiones hominum a Deo non penderent, si positive in eas non influeret. Insuper, Deus adducere non posset homines, illæsa eorum libertate, ad fines quos vellet : atqui hoc repugnat et universali hominum persuasioni adversatur. Ergo, etc.

3° Nulla dari potest perfectio realis quæ a Deo non veniat ; at, nisi Deus in actiones hominum liberas positive influeret, dicendum foret realem dari perfectionem ab ipso non venientem : nam in ea hypothesi virtutes etiam præstantissimæ, non Dei, sed solius hominis essent opus. Attamen illæ virtutes sunt perfectiones : imo quilibet actus voluntatis quamdam rationem bonitatis habet hominemque suo modo perficit.

Homo tamen sub influxu Dei remanet liber, ut probabimus infra, sicque concursu illius bene utens, Deo placet, meritum acquirit, dum, e contra, eo male utens, fit peccaminosus. Ergo, etc.

4° Constat, ex supra dictis, divinam Providentiam ad actus liberos se extendere atque ordinem moralem sicut ordinem physicum regere : porro inde sequitur illam in liberas hominum determinationes influere ; secus eas non regeret. Quomodo autem hoc fiat, illæsa nostra libertate, ignoramus ; sed 1° ob aliquam obscuritatem tenuitati nostræ impenetrabilem veritates rejici non debent ; 2° Deus, qui mentes humanas creavit liberas, eas in cunctis actibus tam sapienter gubernare potest ut earumdem liber-

tati minime noceat. Ergo, etc. Vide *Bossuet*, *Traité du libre arbitre.*

§ II. — Qualis sit ille divinæ Providentiæ influxus in actiones hominum liberas.

Nulla unquam fuit quæstio, in tota philosophia et theologia, quæ tam longas, tam acres tamque interminabiles genuerit disputationes in scholis. Ut supremum Dei dominium in actiones hominum cum ipsorum libertate conciliaretur, varia excogitata sunt systemata. Duo præcipue celebrantur, quæ fama sua totum repleverunt mundum, scilicet, systema Molinistarum et systema Thomistarum.

Molinistæ admittunt Deum in actus voluntatis nostræ liberos directe et positive influere, non vero in ipsammet voluntatem quam non movet, nec determinat, nec ad actum applicat, sed tantum juvat atque cum illa ad quemlibet actum perficiendum concurrit. Dicunt concursum esse generalem, vagum, ad producendam talem vel talem actionem ; non tamen dicendum est hunc concursum paratum esse ad producendam actionem *formaliter* malam, sed tantum positivam et proinde in se bonam. Idem applicandum est ad mox exponendum systema Thomistarum.

Cum autem systema istud sufficienter enuntiare non videatur Deum in cunctas mentis humanæ determinationes reipsa influere, *Suarez*, celebris ex societate Jesu religiosus, quoddam ei addidit supplementum; dicebat Deum, naturam mentis ejusque propensiones perfecte noscentem, eam per ambientes circumstantias, quas juxta beneplacitum suum disponit, quo vult inclinare, et tamen libertati ejus non nocere, quia moralibus tantum utitur mediis fere similibus iis quibus uti solent homines, cum alios ad rem aliquam inclinare vel ab aliqua determinatione retrahere sibi proponunt, v. g., exhortando, consulendo, excitando, etc. Hinc *Molinistæ* vocati sunt etiam *Congruistæ*, propter media libertati nostræ congruentia quibus volebant Deum nobiscum concurrere.

Thomistæ contra Molinistarum opinionem fortiter insurrexerunt, contendentes eos supremum Dei dominium

nimis restringere. Non tantummodo in actiones, sed in ipsasmet determinationes nostras, inquiebant, Deus positive influat necesse est, ut nihil positivum et reale existat quod ab ipso non proveniat. Hæc igitur docuerunt et propugnaverunt principia, scilicet, 1° concursum Dei cum creaturis suis liberis debere esse prævium, non quidem tempore, sed natura et ratione, sicut causa prior est effectu; 2° illum non tantum moralem, ad sensum *Suarez*, sed physicum esse, id est, efficaciter producere quidquid entis et perfectionis est in actibus nostris liberis; idcirco eum vocant præmotionem physicam; 3° illum esse specialem et mentes nostras ad singulos actus efficaciter applicare et tamen libertati nostræ non officere, quia expedita potestas ad oppositum semper remanet in nobis etiam agentibus.

Omnes scholæ, per multos annos, inter duo hæc systemata valde fuerunt divisæ. Contendebant Thomistæ Molinistas libero arbitrio nimium concedere; respondebant Molinistæ Thomistas humanam libertatem tollere: acriter utrinque et privatim, et in publicis exercitiis pugnabatur. Ingentes compositi sunt libri qui nunc in pulvere dormiunt.

Hujusmodi disputationes hic longius exponere inutiles judicantes, eas prætermittimus; quamvis ad ipsam philosophiam, ut e supra dictis videtur, spectent, de iis tamen melius et fusius agetur in theologia. Aliunde fieri potest ut utrumque systema pariter sit falsum, et Deus alio modo nobis ignoto ad actus liberos concurrat. Certum est eum positive et efficaciter in actus nostros influere; non minus certum est, ut infra ostendemus, nos esse liberos: has veritates firmiter teneamus, de naturali illarum connexione parum solliciti.

DISSERTATION

SUR LE PANTHÉISME.

Nous avons remis à traiter ici, à cause de son étendue, la question du *panthéisme*, cette monstrueuse erreur qui remonte jusqu'aux âges les plus reculés. Des esprits égarés travaillent encore à la répandre avec une déplorable activité. Il est, par conséquent, nécessaire de la connaître, au moins dans ses traits principaux et dans ses phases les plus remarquables.

Afin de procéder avec plus d'ordre, nous ferons d'abord l'exposé des formes diverses du *panthéisme ;* puis, après un court *résumé,* nous le réfuterons par des arguments communs, ou propres à ces formes distinctes; nous ferons connaître enfin comment il a pénétré parmi nous, et quels défenseurs ou propagateurs il a rencontrés en France.

I. Exposé. — 1° C'est chez les Indiens que le *panthéisme* apparaît d'abord. Leurs plus anciens livres sacrés en contiennent-ils réellement la doctrine ? Quelques auteurs disent qu'on peut et qu'il faut les interpréter bénignement. D'autres soutiennent qu'ils ont été altérés. Toujours est-il que plusieurs sectes philosophiques professent ouvertement ces doctrines, et qu'on les trouve clairement exprimées dans les *Védantas,* commentaires des *Védas*[1]. Depuis ce temps aucun philosophe ne les a formulées d'une manière plus hardie. En voici le résumé :

Brahma seul existe, et tout le reste, sous le nom de *Maïa,* n'est qu'illusion. *Brahma* est infini ; en vertu même de son infinité, il ne peut rien produire. Lorsque l'esprit attribue une existence distincte à ces apparences qui ne sont que les formes diverses de la substance de *Brahma*, c'est un songe, un rêve. Mais il peut s'affranchir de cet état trompeur, faire abstraction de ces noms et de ces formes, concevoir *Brahma* en lui-même, la substance pure, unique, absolue, en qui tout est identique et se confond. Dès qu'il est arrivé à cette science, il n'y a plus pour lui d'erreur, plus d'ignorance, plus de devoir, plus d'action, plus de désirs : car en *Brahma* il a tout, il jouit en lui du repos absolu de l'unité.

La vie est toujours pleine de ces illusions, dont le sage cherche à se dégager de plus en plus. La mort est le moment heureux où il en est délivré ; il rentre et s'abîme pour jamais en *Brahma.*

2° Trois écoles chez les Grecs professèrent le panthéisme sous des formes différentes : l'école *Italique,* l'école *Éléatique* et l'école *Stoïcienne.*

Selon l'école *Italique* ou *Pythagoricienne,* de la *Monade,* qui est Dieu, est émanée la matière ou *Diade,* principe aveugle, ténébreux, muable, etc., qui enveloppe l'esprit, produit en lui toutes

[1] *Védas*, livres sacrés des Indiens.

sortes d'illusions, d'idées sans réalité extérieure, jusqu'à ce qu'enfin affranchi, après plusieurs migrations ou métempsychoses, l'esprit rentre et s'absorbe dans la grande monade dont il procède.

Xénophane, fondateur de l'école *Éléatique*, niant la possibilité de la création, voulait que l'univers existât de toute éternité, qu'il fût un, infini, immobile, immuable, Dieu. Parménide, l'un de ses disciples, soutint que l'on ne peut admettre l'existence que de ce qui est conçu comme un, infini, éternel, immuable, que le reste n'est qu'illusion. Rien ne se faisant de rien, ce qui est existe nécessairement. Il n'y a donc qu'une seule substance, objet de la pensée et ne formant qu'une seule chose avec elle. Voilà bien le panthéisme idéaliste.

Zénon l'Éléatique, et non le chef du Portique, chercha par d'incroyables subtilités à soutenir ce système.

Melissus, regardant l'idéalisme de Parménide, son maître, comme trop exclusif, soutint que l'on devait reconnaître l'existence de l'étendue.

D'après les *Stoïciens*, la matière seule existe : elle est animée par un fluide primitif, subtil, qui est Dieu. De lui émanent les génies et les âmes humaines qui, à la fin, sont absorbées en lui, et s'y perdent pour toujours. Le monde lui-même tout entier se transformera un jour pour faire place à un autre monde sorti du chaos comme le premier ; après celui-là, en viendra un autre, et ainsi de suite pendant l'éternité.

3° Aux premiers siècles de l'Église, parmi les sectes nombreuses des *Gnostiques*, les unes embrassèrent le dualisme, et les autres le système des *émanations*, véritable panthéisme.

A peu près dans le même temps, les *Néoplatoniciens*, qui formèrent une célèbre école, recueillirent les doctrines orientales, toutes pleines de la même erreur. Parmi ces philosophes, *Plotin* et surtout *Proclus* enseignèrent le Panthéisme le plus absolu.

Au moyen-âge surgirent encore quelques systèmes empreints des mêmes erreurs : nous ne ferons que nommer *Scot Erigène*, *Amaury de Chartres*, *David*, *de Dinan* et plus tard, dans le seizième siècle, *Jordan Bruno*.

4° Nous abordons le panthéisme moderne, formulé et défendu de la manière la plus expresse.

Spinosa, né à Amsterdam, en 1632, de parents juifs, professa d'abord le judaïsme, embrassa la réforme, puis renonça à toute religion, afin de se livrer plus librement à ses spéculations philosophiques.

Son point de départ est une fausse notion de la substance ; confondant la définition de la substance en général avec la définition de l'être nécessaire et infini, il attribue à la substance tout ce qui convient à l'être nécessaire et infini ; puis, raisonnant avec une grande rigueur, il tire, sous des formes géométriques, toutes les conséquences du principe qu'il a posé.

Il n'existe donc, selon lui, qu'une seule substance infinie et éternelle, dont les deux propriétés essentielles sont l'étendue et la pensée. Les corps et les êtres intelligents sont ses formes et

ses manifestations ; tout ce monde visible est Dieu et n'est que Dieu : les changements que nous y voyons ne sont qu'accidentels, et son être reste toujours immuable en lui-même.

Ce système fut universellement repoussé comme monstrueux ; Bayle lui-même s'efforça de le flétrir avec une grande énergie. Pouvait-on croire que des erreurs si choquantes trouveraient plus tard des apologistes et des défenseurs ? C'est cependant ce qui est arrivé parmi les philosophes allemands de nos jours, et même, quoique d'une manière plus déguisée, chez quelques-uns de nos philosophes français.

Fichte, *Schelling* et *Hégel* sont les trois grands représentants du panthéisme allemand,

Pour exposer avec exactitude et d'une manière intelligible le fond de leurs pensées à cet égard, nous croyons ne pouvoir mieux faire que d'extraire littéralement des passages d'une dissertation du *R. P. Perrone*, traduite de l'italien, et publiée dans les *Annales de philosophie chrétienne*, t XXV. p. 289 et suiv.

« Tout en ôtant à la *raison théorétique* toute possibilité de con-
« naître l'existence de Dieu, la spiritualité et l'immortalité de l'âme,
« la vie à venir, en un mot, toutes les vérités métaphysiques, Kant
« les admettait d'ailleurs, en vertu de la *raison pratique*, comme
« *postulats*, et les tenait pour certaines à cause des besoins pra-
« tiques, c'est-à-dire, parce que, dans la pratique de la vie, on
« ne peut s'en passer...

« Mais il était facile de prévoir que tous les esprits ne s'ac-
« commoderaient pas de ces *postulats* arbitraires de Kant ; une
« fois l'impulsion donnée, il n'était plus possible de s'arrêter sur
« ce penchant. Un esprit hardi, *Fichte*[1], parut et se présenta pour
« tirer toutes les conséquences du système de son maître et pour
« lui donner ainsi son parfait développement. Le *moi* phénoménal
« de Kant devint, dans la doctrine de Fichte, le *moi absolu*,
« hors duquel il n'y a aucune réalité, même *phénoménique* ou
« apparente. En vertu de sa propre activité, le *moi* se pose lui-
« même, ce qui revient à dire qu'il se crée ; puis, par cette même
« activité, en se repliant par un acte identique sur lui-même, il
« trouve une limite, un *non-moi* par lequel il a conscience de lui ;
« mais ce *non-moi* n'existe pas avant le *moi*, ni indépendam-
« ment du *moi*. C'est l'activité même du *moi* qui le pose et le
« crée, pour ainsi dire ; de sorte que l'existence de toutes les
« choses convenables dérive de l'activité primitive du *moi* ; or,
« parmi ces choses il faut ranger Dieu même, Dieu qui appartient
« au *non-moi* ; de là cet acte de délire de Fichte, qui promit un
« jour à ses auditeurs que pour sa prochaine leçon, *il serait prêt*
« *à créer Dieu*, dernière expression, comme on l'a dit avec tant
« de justesse, de l'orgueil d'une créature intelligente, formule la
« plus abrégée de la malice de l'ange réprouvé, si la légèreté de
« l'âge et l'irréflexion du jeune homme qui l'a proférée ne méri-
« taient pas plus de pitié que d'indignation...

« En combinant d'une façon bizarre l'objectivité *phénoménique*

[1] Né en 1762, mort recteur de l'université de Berlin en 1814.

« de Kant, l'idéalisme absolu de Fichte, et le réalisme absolu de « Schelling, son maître, Hégel [1] a produit un nouveau système, dont » le point de départ est l'idée.

« Cette objectivité, qui pour Kant était phénoménique, pour « Fichte une limite du *moi* inconnue, Hégel l'a placée dans l'idée « même, où l'esprit la contemple comme un être distinct de lui ; « ainsi la pensée est l'existence, et l'existence est la pensée. « L'idée qui, au principe, n'est qu'une essence logique, se « transforme en réalité au moyen de ses *moments* ou de ses « *mouvements*, et produit la nature universelle, l'esprit et *Dieu*. « L'esprit humain en tant qu'il pense, est donc pour Hégel la « réalité spirituelle et absolue. .

« Nous ne dirons rien des systèmes qui se sentent plus ou « moins du panthéisme, comme ceux de Schelling, de Boverwech, « de Krug et autres. Les détails que nous avons donnés sur les « trois systèmes qui viennent d'être indiqués nous suffisent. Il en « résulte évidemment que leurs auteurs ont voulu, chacun à sa « manière, construire le monde et Dieu *à priori*, avec de pures « conceptions de raison; Kant avec ses formes *subjectives* né- « cessaires, Fichte avec l'activité du *moi*, Hégel avec les mou- « vements de l'*idée :* mais à part quelques avantages indirects et « accidentels, que leurs spéculations ont fourni à la science, il « est certain qu'en général il ne nous ont donné que des théo- « ries vaines et absurdes, et, qui pis est, irréligieuses et impies.

Jusqu'ici c'est la traduction du P. Perrone, qui, comme on vient de le voir, ne dit qu'un mot de Schelling. Schelling [2], voyant l'impossibilité d'arriver logiquement du *moi* à l'existence du *non-moi*, de l'idéal au réel, posa en principe l'être absolu, qui n'est ni fini, ni infini, ni sujet, ni objet, dans lequel se confondent les oppositions, les diversités, les séparations, comme celles de sujet et d'objet, d'être et de savoir, d'esprit et de nature, d'idéal et de réel. Tout dérive de cette unité absolue dans laquelle tout est contenu. L'idée de cette unité est l'idée de l'être absolu, idée générale. L'être absolu ne peut être non plus conçu sans exister : il y a donc identité entre lui et l'idée que nous en avons. De cette identité absolue, qui est Dieu, dérive par développement tout ce qui est fini. L'être absolu s'affirme lui-même, parce que son existence est essentiellement liée à l'idée que nous avons de lui : il se révèle par les divers objets qui découlent de lui et sont les formes de sa manifestation : la totalité de ses formes constitue l'univers.

« L'univers est éternel et ne diffère pas réellement de Dieu ; « c'est Dieu considéré comme être infini, comme totalité absolue. « Toutes les *positions* de Dieu sont absolument identiques *avec* « *Dieu*, mais ne sont pas absolument identiques *entre elles*. Elles « diffèrent par la forme, par le nombre, par le plus et le moins ; « le fond est et demeure le même. La diversité et la multiplicité « des existences relatives et finies consistent dans la *non-identité*

[1] Né à Stuttgart, en 1770, professeur en différentes universités ; mort du choléra, à Berlin, en 1832.

[2] Né au royaume de Wurtemberg, en 1777.

« des positions divines comparées entre elles, mais non dans la « différence de leurs rapports avec Dieu, avec l'unité absolue qui « reste invariable, toujours égale à elle-même. Dieu seul est « toujours le seul être existant. Ni le fini ni l'infini ne sont réel- « lement ; il n'y a que l'identité du fini et de l'infini ; cette iden- « tité est Dieu, hors de Dieu il n'y a rien. »

Ce petit tableau des doctrines de Schelling est extrait d'une note écrite par le docteur *Ubaghs*, professeur à l'université de Louvain dans sa *Théodicée*, édit. de 1841, p. 318.

II. Résumé. — Ainsi, trois formes principales de panthéisme : panthéisme *matérialiste*, panthéisme *idéaliste*, et panthéisme *réaliste*, tenant des deux, lequel, s'il était rendu plus clair, se rapprocherait vraisemblablement du panthéisme matérialiste ; car, dans ce système, l'existence objective n'est pas niée, mais tout être, matière et esprit, est confondu, abîmé dans l'être absolu, *unité primitive d'où tout dérive*.

On voit aussi, d'après ce qui précède, que le *Panthéisme* se présente sous un double aspect : 1° comme *dogme* religieux, accepté par des peuples entiers, dont il règle les croyances et les devoirs ; 2° comme *système philosophique* dont les formes diverses semblent d'abord renfermées dans les limites de la science, étudiées comme des abstractions curieuses, étrangères au plus grand nombre des esprits, incapables d'en saisir même l'exposé ; mais qui ne laissent pas de produire de déplorables conséquences pratiques, dont la première est évidemment la négation de toute doctrine religieuse.

III. Réfutation. — Exposer de tels systèmes, n'est-ce pas les réfuter ? Comment ne pas gémir en face d'un pareil délire ? Et ce sont des hommes distingués par leurs études, par leurs talents, par leurs emplois et les honneurs dont ils ont été environnés, qui sont tombés dans de telles aberrations, et ont osé publier eux-mêmes, comme des titres de gloire, les ouvrages où elles sont contenues !

Nous allons néanmoins établir en peu de mots quelques principes à l'aide desquels il sera facile de voir combien sont ruineux les fondements de ces orgueilleuses théories.

Ces systèmes reposent sur des hypothèses gratuites, sur de fausses notions, et conduisent à des conséquences absurdes.

1° Ils reposent sur des hypothèses gratuites : Spinosa et ses adhérents posent en principe, contre le sens commun des hommes, qu'il n'y a qu'une substance, dont la pensée et l'étendue sont les propriétés. Ils tâchent ensuite de justifier par des sophismes cette assertion, qui n'a aucune base, même spécieuse. Les panthéistes idéalistes partent du *moi* comme d'un fait constant, et rejettent toute *objectivité*, comme non constante, sans en donner de raison. Ne sommes-nous pas aussi invinciblement et aussi raisonnablement portés à admettre la réalité de certains objets que la certitude des affections *subjectives* ?

2° Ils s'appuient sur des notions fausses : ainsi, 1° Spinosa, considérant la substance dans sa notion abstraite, sans l'appliquer à aucun être en particulier et y joignant néanmoins l'idée d'existence,

se trouve amené à ne voir qu'un seul être ou une seule substance. 2° Confondant la distinction numérique avec la diversité des attributs, il dit qu'où il n'existe pas d'attributs *divers*, il y a unité. 3° Faussant encore la notion des rapports, il soutient qu'il ne peut y avoir rien de commun entre les êtres *divers*, qu'en conséquence l'un ne peut être la cause de l'autre. 4° S'il y avait deux substances, ou elles différeraient essentiellement, et alors l'une d'elles cesserait d'être substance, ou elles différeraient accidentellement, mais une différence seulement accidentelle ne constituerait pas une autre substance. Donc il n'y a et ne peut y avoir qu'une substance. 5° L'infini repousse toute autre existence que la sienne. Dès qu'il est infini, il renferme tout. Il ne peut donc pas y avoir d'autres êtres en dehors de lui ou co-existant avec lui.

Ces principes sont pleins d'équivoques et ne peuvent conduire qu'à des sophismes. Spinosa définit la substance, *Ens per se subsistens :* cette définition est juste si on l'entend de la *substance*, par opposition au mode qui a besoin d'un sujet dans lequel il réside ; mais elle est fausse si elle est entendue de ce qui a en soi le principe d'existence, ou de l'être nécessaire. Des choses peuvent avoir les mêmes attributs, et avoir une distinction de nombre, comme deux hommes, deux arbres, deux pierres : elles peuvent avoir des attributs divers, et cependant conserver quelque attribut commun comme une maison et une forêt ont l'attribut commun de substance, quoique ne se ressemblant pas sous les autres rapports. L'infini contient la plénitude des perfections en tout genre, mais pas formellement ; autrement il cesserait d'être parfait : par exemple il a la vertu de produire des corps, mais il ne peut être corporel.

3° Les systèmes panthéistes conduisent à des conséquences absurdes : 1° s'il n'y a dans l'univers qu'une substance unique, ayant deux propriétés essentielles, l'étendue et la pensée, il faudra dire avec Spinosa que les corps sont les modes de l'étendue, et les esprits les modes de la pensée. Mais qu'est-ce que l'étendue séparée des corps, et comment concevoir qu'elle soit modifiée par les corps ? Ne sont-ce pas les esprits qui pensent et non la pensée qui reçoit les esprits ? 2° L'être existant par lui-même est infiniment parfait, comme nous l'avons démontré et comme l'avancent les panthéistes eux-mêmes : or, la substance unique de Spinosa, loin d'être infiniment parfaite, serait un composé monstrueux de toutes les imperfections et de tous les vices ; elle serait tout à la fois esprit et matière, unique et multiple, joyeuse et triste, heureuse et malheureuse, vertueuse et criminelle, vivante et morte, etc. 3° Dès qu'on admet l'étendue, on admet par là même la pluralité des êtres : car la division ressort nécessairement de l'étendue. On pourrait donc dire que Dieu est divisible, et qu'il l'est d'une manière indéfinie comme l'étendue ; qu'il est sujet à des fluctuations sans fin, qu'il éprouve de la douleur, se hait lui-même, est son propre bourreau dans les exécutions capitales, son meurtrier et son vainqueur dans la guerre : qu'il veut à la fois et ne veut pas, qu'il rit et pleure, affirme et nie, etc. Car ces diverses actions ne se rapportent pas aux modes seulement, mais à la substance qui est le sujet.

C'est la plus monstrueuse hypothèse qui se puisse imaginer, dit Bayle (*Dict.*, art. *Spinosa*), *la plus absurde et la plus diamétralement opposée aux notions les plus évidentes de notre esprit. On dirait que la Providence a puni d'une façon particulière l'audace de cet auteur, en l'aveuglant de telle sorte que pour fuir des difficultés qui peuvent faire de la peine à un philosophe, il se soit jeté dans des embarras infiniment plus inexplicables et si sensibles que jamais un esprit droit ne sera capable de les méconnaître.*

Ceux qui voudraient trouver le système de Spinosa plus longuement réfuté, peuvent voir Cuper, *Arcana atheismi revelata ;* Jacquelot, *Dissertations sur l'existence de Dieu ;* Fénelon, *Existence de Dieu, part.* 2e, *ch.* 3, etc.

Quant aux idéalistes, voici, en substance, ce que nous pouvons dire : 1° Ils partent d'un point faux, savoir : la négation de toute réalité objective. 2° L'esprit humain ne se sent-il pas renfermé dans les limites qui lui sont imposées et qu'il ne peut franchir ? Ne lui est-il pas évident qu'il n'est ni nécessaire, ni éternel, ni infini ? Comment donc peut-il, dans son orgueil, se poser lui-même comme point de départ, se créer lui-même, puis *créer Dieu*, selon le langage des panthéistes allemands ? 3° Le panthéisme, quel qu'il soit, froisse évidemment le sens commun, fait violence à tout notre être intellectuel, conduit au scepticisme, à l'athéisme, à l'impiété, et bouleverse l'ordre moral. Sans doute, *Fichte*, *Schelling*, *Hégel* et autres ne sont pas allés jusque-là ; mais ils ne le doivent qu'à une heureuse inconséquence qui ne peut justifier leurs principes.

Nous devons dire que *Fichte*, attaqué de toutes parts, modifia peu à peu son système, qu'il le repoussa même à la fin, quoiqu'il fût loin encore du terme où la foi et la raison eussent dû le conduire.

Schelling semble aussi être maintenant dans une voie de retour. Arrivera-t-il à désavouer complétement l'extravagant système dont il s'éloigne de plus en plus ? Dieu le sait ; nous faisons des vœux pour qu'il en soit ainsi.

IV. Du Panthéisme en France. — De l'Allemagne, le panthéisme moderne est passé en France, et sa fatale influence, malgré les déguisements dont on l'enveloppe, est assez reconnaissable dans plusieurs de nos écoles philosophiques, comme nous allons le voir par quelques extraits :

M. Cousin parle ainsi de Dieu (*Fragm.*, 1re *édit.*, *préf.*, xl) : « Le Dieu de la conscience n'est pas un Dieu abstrait, un roi so- « litaire, relégué, par-delà la création, sur le trône d'une éternité « silencieuse et d'une existence absolue qui ressemble au néant « même de l'existence. C'est un Dieu à la fois *vrai* et *réel*, à la « fois *substance* et *cause*, toujours substance et toujours cause ; « n'étant substance qu'autant que cause, et cause qu'autant que « substance ; c'est-à-dire étant cause absolue, *un* et *plusieurs*, « *éternité* et *temps*, *espace* et *nombre*, *essence* et *vie*, *indivisibi-* « *lité* et *totalité*, *principe*, *fin* et *milieu*, *au sommet de l'être* et « *à son plus humble degré*, *infini* et *fini tout ensemble*, triple « enfin, c'est-à-dire, *à la fois*, *Dieu*, *nature* et *humanité*. En effet,

« *si Dieu n'est pas tout, il n'est rien.* S'il est absolument indivi-
« sible en soi, il est inaccessible, et par conséquent il est incom-
« préhensible, et son *incompréhensibilité* est pour nous *sa des-*
« *truction*. Incompréhensible comme formule et dans l'école,
« *Dieu est clair dans le monde* qui le *manifeste* et pour l'âme
« qui le possède et le sent. Partout présent, il revient en quel-
« que sorte à lui-même dans la *conscience de l'homme*, dont il
« constitue indirectement le mécanisme et la *triplicité phénomé-*
« *nale*, par le reflet de sa propre vertu, et de la *triplicité*
« *substantielle*, dont il est l'identité absolue. »

Dans le corps du même ouvrage, t. II, p. 165 et 166, il dit encore : *Loin d'être un athée, Spinosa a tellement le sentiment de Dieu qu'il en perd le sentiment de l'homme; son livre est au fond un hymne mystique, un élan et un soupir de l'âme vers celui qui, seul, peut dire légitimement :* JE SUIS CELUI QUI SUIS : *l'auteur auquel ressemble le plus ce prétendu athée est l'auteur inconnu de l'Imitation de Jésus-Christ.*

Sans revenir sur ce que M. Cousin a dit touchant la création, ainsi que nous l'avons rapporté plus haut, il est clair que cette impossibilité de ne pas créer, d'où résulte que le monde est nécessaire et éternel, renferme le germe d'un vrai panthéisme.

Ému des accusations qui dès le commencement s'élevèrent contre lui, M. Cousin a positivement reconnu, dans la préface de la 2e et de la 3e édition de ses *Fragments philosophiques*, l'existence de plusieurs substances contingentes distinctes. Mais il n'en est pas moins impossible de justifier le texte cité tel qu'il est, et de ne pas y reconnaître les traces malheureuses de cette philosophie allemande, pour laquelle il manifestait, comme tout le monde sait, un si vif enthousiasme à l'époque où il écrivait ses *Fragments*.

Les jeunes disciples de *H. de Saint-Simon*, réunis dans la pensée de réformer le monde, de relever la société sur de nouvelles bases et de procurer à tous la plus grande somme de bonheur possible, émirent des idées panthéistiques.

« Dieu est un : Dieu est tout ce qui est. Tout est en lui ; tout est
« pour lui ; tout est lui. Dieu, l'être infini, universel, exprimé dans
« son unité vivante et active, c'est l'amour infini, universel, qui se
« manifeste à nous sous deux aspects principaux, comme esprit
« ou comme matière, ou ce qui n'est que l'expression variée de
« ce double aspect, comme intelligence et comme force, comme
« sagesse et comme beauté. » (Exposition, 2e année, p 88.)

« L'homme est en Dieu ; l'homme est Dieu lui-même dans
« l'ordre fini : mais il n'est point Dieu tout entier. Il n'est point
« l'être infini. L'homme, manifestation finie de l'être infini, est
« comme lui dans son unité active, amour ; et, sous les modes,
« dans les aspects de sa manifestation, esprit et matière, intelli-
« gence et force, sagesse et beauté. » (Exposition, 2e année.)

Quelquefois les saint-simoniens ont cherché à repousser les accusations de panthéisme dirigées contre eux ; mais ils ne se défendaient que de ce panthéisme qui fait de Dieu *une abstraction et lui ôte la vie.*

Ce n'est point ici le lieu de développer leur théorie du progrès, leurs appréciations des religions diverses, formes passagères, de plus en plus parfaites, mais devant faire place à une ère nouvelle de liberté, de fraternité, de toutes sortes de jouissances, sans trouble ni inquiétude pour l'avenir.

Déjà, dans une dissertation précédente, nous avons parlé de *Pierre Leroux* et de ses idées de progrès continu. Lui aussi est panthéiste, quoiqu'il repousse cette qualification. En effet, Dieu, selon lui, est la vie dans les êtres particuliers et dans l'être universel. Tout ce qui vit a quelque chose de divin, et cette vie, qui est Dieu, embrasse et pénètre la nature entière.

Le monde a été créé, mais créé nécessairement. Il est la manifestation nécessaire et éternelle de la vie absolue. C'est surtout par l'humanité que cette manifestation s'est faite. L'humanité, d'après lui, est une espèce d'être universel auquel tous les hommes appartiennent; ils puisent en lui leur portion d'une vie commune, par laquelle ils communiquent en quelque sorte à l'éternité : *Vous êtes éternel, puisque vous vivez.*

M. de Lamennais, emporté d'égarements en égarements, défend aujourd'hui ce progrès continu, qui déclare le christianisme une forme déchue à jamais, et pose le principe d'un véritable panthéisme.

« Nous attachons, dit-il, dans le cours de cet ouvrage (*Esquisse « d'une philosophie*, liv. 1^er^, chap. 5), au mot *substance* pris en « un sens général et absolu, la même notion qu'au mot *être*, pris « aussi dans un sens général et absolu. »

« Quelques-uns ont admis une véritable production d'être ou de « substance qui n'existait en aucune manière auparavant : hypothèse d'où il résulte, entre autres conséquences, qu'il existe une « plus grande somme d'être après qu'avant la création, car « l'idée de substance ou d'être est une, absolue, invariable ; que « dès lors l'Être divin, auteur de la création, n'est pas infini, « qu'il ne saurait l'être, et qu'ainsi sa notion implique contradiction. » (*Idem*, t. 1^er^, p. 110).

Nous pourrions trouver des principes analogues dans les ouvrages de quelques autres philosophes de nos jours. Plusieurs protestent contre l'accusation de panthéisme dont ils sont l'objet. Il peut se faire qu'en effet, par une heureuse inconséquence, ils rejettent cette erreur. Mais, si leurs principes doivent y conduire, on est en droit de les combattre et de montrer le terme où ils tendent sans le vouloir.

Tous ces nouveaux fauteurs de panthéisme n'alléguant pas, en faveur de leurs systèmes, d'autres raisons que celles qui ont été réfutées plus haut, il ne nous reste qu'à gémir sur l'espèce de vertige dont tant d'esprits distingués semblent frappés en punition de la téméraire confiance qu'ils ont dans leurs prétendues lumières. C'est ainsi que de tout temps Dieu s'est plu à confondre les superbes, en les abandonnant à leur sens réprouvé, afin de convaincre les âmes droites que toute sagesse vient de lui et que c'est en lui seul qu'il la faut chercher.

PARS SECUNDA PNEUMATOLOGIÆ.

DE ANGELIS.

Angelorum existentia et natura ratione apprehendi nequeunt. Revelatio nobis tradit quidquid de illis certo asseri potest. Ideo plerique auctores, qui de elementis philosophiæ scripserunt, de Angelis omnino silent. Nos tamen aliam viam sequi statuimus, ut diximus in præfatione, et præcipue quia, in ordine substantiarum spiritualium post Deum, apparent Angeli, natura præcellentes mentem humanam, quam Deus, juxta verba Psalmistæ, *paulo minus minuit ab Angelis* (Ps. 8, 6).

Vox *Angelus* oritur a voce græca idem significante ac nuntius, et ex natura sua officium exprimente : unde S. Joannes Baptista apud Malachiam, III, 1, et Matth. XI, 10, vocatur angelus, quia Christum annuntiaturus mittitur. Usu tamen receptum est, ut per angelos intelligantur substantiæ spirituales hominibus superiores, quarum ministerio Deus communiter utitur ad voluntates suas hominibus nuntiandas.

De hujusmodi substantiis ratio sibi derelicta nihil affirmare potest, præter earum possibilitatem : at fides multa nos docet. Dicemus itaque 1° de Angelorum existentia; 2° de eorum numero; 3° de variis eorum ordinibus; 4° de illorum essentia; 5° de illorum intellectu, voluntate et locutione; 6° de eorum peccatis et pœnis; 7° de eorum ministeriis; 8° de eorum potentia.

CAPUT PRIMUM.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

Olim Sadducæi apud Judæos dicebant *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum* (Act., XXIII, 8). Nonnulli antiqui philosophi et omnium temporum mate-

rialistæ in eadem opinione versantur. Cæteri vero Judæi, Christiani et ipsimet Mahumetani Angelos esse firmiter credunt.

PROPOSITIO.

Existunt Angeli.

Illa propositio tenenda est, quæ probatur Scriptura sacra, concil. Later. III. SS. Patrum testimoniis et traditione : atqui talis est propositio nostra.

1° Prob. *ex Script. sacra.* In multis locis, tum Veteris tum Novi Testamenti, fit mentio de Angelis, v. g. Gen., XVI, 7 : *Cumque invenisset eam* (Agar) *Angelus Domini.* Ibid., XIX, 1 : *Veneruntque duo Angeli Sodomam vesperc.* Exod. XXIII, 20 : *Ecce ego mittam Angelum meum...* Job., IV, 18 : *Et in Angelis suis reperit pravitatem,* Sap., XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Matth., XXVI, 53 : *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum ?* etc. Ergo 2°, etc.

2° Prob. *Concil. Later. III.* Sic enim definitum est in concilio Lateranensi III, anno 1213, can. 1 : « Unus est « Deus indivisus in essentia et discretus in personis ; « creator omnium... Is ab initio temporis utramque de « nihilo condidit creaturam, corporalem et spiritualem, « angelicam scilicet et mundanam : deinde humanam « quasi communem, ex spiritu et corpore constitutam. » Ergo 1°, etc.

3° Prob. *ex SS. Patribus.* Innumera eorum citari possent testimonia ; nam in hoc articulo sunt unanimes : v. g. S. Cypr. vel potius Firmilianus, Epist. 73 ad Cypr. (p. 42) : « Adunatio et pax concordia non solum homi- « nibus fidelibus et cognoscentibus veritatem, sed et « Angelis ipsis cœlestibus voluptatem maximam præs- « tat. »

S. Aug., Enarr. in Ps. CIII, t. IV, col. 1140 : « Quamvis « non videamus apparitionem Angelorum... tamen esse « Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum

« legimus et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est. » Ergo 3°, etc.

4° Prob. *traditione*. Non solum enim Christiani, Judæi et Mahumetani, sed et plures philosophi, ut Platonici, Angelos seu substantias spirituales creatas agnoverunt : at talis opinio non ita potuit esse generalis et constans nisi ex primæva revelatione, vel ex Scripturæ sacræ notitia ortum habuerit : aliter certe explicari non potest.

Nunc non dubium est quin Indi ut certam habuerint Angelorum existentiam. Doctrina de Angelorum, sive bonorum, sive malorum, existentia, est velut fundamentum totius veterum et recentiorum Orientalium theologiæ, nec desunt hujus doctrinæ vestigia apud ipsas sylvestres Americanas gentes. Vide *Annales de phil.*, t. XV, p. 85.

Angeli autem existere non potuerunt nisi per creationem, alioquin Deo essent coæterni, quod manifeste repugnat. Unde B. Aug., de Civit. Dei, l. 11, cap. 9, t. VII, col. 278 : « Opus Dei esse Angelos hic etsi non prætermissum, non « tamen evidenter expressum est (ubi de creatione mundi « agitur) : sed alibi hoc sancta Scriptura clarissima voce « testatur. » Deinde notat S. Doctor in hymno trium Puerorum apud Danielem et in Ps. LXXVIII, Angelos inter opera Dei numerari. Ergo, etc.

De tempore creationis Angelorum.

Disputant inter se theologi an Angeli ante mundum corporeum fuerint creati, vel simul cum ipso mundo. S. Thomas, 1 part., q. 61, art. 3, docet ut probabilius eos simul cum mundo fuisse creatos, quia ad perfectionem universi erant destinati, velut nobilior pars ad totum ; et eo sensu intelligenda esse hæc Geneseos verba : *In principio creavit cælum et terram*, subintelligendo, et omnia quæ in eis sunt. Multo communius theologi huic divi Thomæ sententiæ adhæserunt, nituntur que 1° his Ecclesiastici verbis, XVIII, 1 : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* ; 2° canone Concil. Lateran. supra citato, ubi legitur (*Labbe*, t. II, p. 142) : « Qui sua omnipotenti vi

« tute simul ab initio temporis utramque de nihilo condi-« dit creaturam... » 3° Auctoritate S. Aug. qui eamdem opinionem docet pluribus in locis et præsertim lib. 11 de Civ. Dei, cap. 32; item S. Epiphanii, Theodoreti, etc.

Verum plerique antiqui Patres, ut Origenes, S. Basilius, S. Greg. Nazianz., S. Joannes Damasc., S. Hilarius, S. Ambros., Cassianus, tenuerunt cœpisse quidem Angelos, sed jam exstitisse quando hic mundus factus est. Iis suffragari videntur hæc verba Dei ad Job, XXXVIII, 5 et 7 : *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ... cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Per *filios Dei* intelligendi sunt Angeli, ut patet ex cap. I, ỳ. 6 ejusdem libri, et expresse habent Septuaginta interpretes.

Quidquid sit, quæstio manet dubia.

CAPUT SECUNDUM.

DE NUMERO ANGELORUM.

Certum est maximam existere Angelorum multitudinem : 1° *Ex Scriptura :* Daniel, VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Juxta omnes, ibi agitur de Angelis thronum Dei circumstantibus eique ministrantibus. Luc, II, 13 : *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium.* Apoc., V, 11 : *Vidi et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum ; et erat numerus eorum millia millium.* Ergo 1°, etc.

2° *Ex. SS. PP.* S. Hieron., in Isaiam proph., cap. XL, t. III, col. 305 : « Universa gentium multitudo supernis « ministeriis comparata et Angelorum multitudini, pro « nihilo ducitur. » S. Aug., de Civ. Dei, lib. 15, t. VI, I, p. 379, dicit loquendo de Angelis : *Quorum numerus ignoratur a nobis.* S. Th., 1 p., q. 50, art. 3, dicit, post S. Dionys. quem citat, Angelos omnem multitudinem materialium specierum transcendere.

3° Ex doctrina infra exponenda, quæ tenet singulos homines suos habere Angelos custodes : ergo saltem tot sunt Angeli quot existunt, aut, ex prævisione Dei, simul exstituri sunt homines.

Dicimus *saltem*, quia, præter Angelos custodes, alii sunt multi ad alia ministeria deputandi.

CAPUT TERTIUM.

DE VARIIS ANGELORUM ORDINIBUS.

1° Varia esse Angelorum nomina aperte docent sacræ Scripturæ, et omnes in hoc sunt concordes. Angelos enim et Archangelos frequenter nominant paginæ sacræ : Cherubim et Seraphim in pluribus locis Pentateuchi et Prophetarum designantur; v. g., Gen., II, 24; Eccli., XLIX, 10; Is., VI, 2; Ezech., X, 7, etc. B. Paulus, ad Eph., I, 21, nominat Principatum, Potestatem, Virtutem et Dominationem; et ad Colos., I, 16, omittit Virtutes, sed Dominationibus, Principatibus et Potestatibus jungit Thronos. Novem igitur sunt, in Scripturis sacris, spirituum cœlestium nomina, videlicet : Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim et Seraphim. Eo præcise ordine hæc nomina a S. Greg. Magno describuntur, Homil. 34 in Evang., n. 7.

2° Summa consensione græci et latini Patres arbitrantur his nominibus certos designari Angelorum ordines, ut S. Ignatius, S. Irenæus, S. Athanasius, S. Cyril. Hierosolym., S. Basilius, S. Epiph., S. Greg. Naz., S. Greg. Nyss., S. Chrysost., S. Ambros., S. Hieronym., S. August., Cassianus, etc.

3° S. Dionysius Areopagita, vel auctor libri *De cœlesti Hierarchia*, qui V° sæculo prodiit et S. Dionysio fuit attributus, ac post eum communiter Doctores catholici, omnem Angelorum multitudinem in novem ordines seu choros distinctam, ad tres revocant hierarchias, quarum unaquæque tres habet ordines : in prima, juxta S. Dionys., cap. 6, sunt Throni, Cherubim et Seraphim; in secunda,

Potestates, Dominationes et Virtutes; et in tertia, Angeli, Archangeli et Principatus.

Distributio Angelorum saltem in novem ordines seu choros certa est et ab omnibus tenenda, ut pote expressis Scripturæ locis a Patribus interpretatis fundata : sed hierarchiarum distinctio et divisio non ita constat, quia neque Scripturæ, neque Patrum testimoniis apertis fulta videtur.

4° Doctissimus P. *Petau* quid per varia Angelorum nomina intelligendum sit explicat, de Angelis, lib. II. cap. 3. videlicet :

Seraphim, id est, juxta vim nominis, ardentes vel incendentes, sic vocantur, quia vel amore Dei flagrant, vel illum in cordibus aliorum excitant.

Cherubim, id est plenitudinem scientiæ habentes, ut communiter volunt Patres et Scripturæ sacræ interpretes.

Throni, sic vocati quia sublimem tenent locum et Deum quodammodo portare videntur.

Dominationes, hoc nomen habent ob potentiam qua quinque inferioribus choris supereminent, ut ait S. Bernardus, de Consid., lib. v, cap. 4.

Virtutes sic appellantur ob singularem suam fortitudinem ; et quia præcipuum tenent locum in *exercitibus* Domini ; de quibus Is., VI, 3 et alibi.

Potestates, ita vocatæ, quia continue sunt ordinatæ, ad excipienda et exsequenda divina mandata paratæ, ac spiritibus malignis salutis nostræ hostibus superiores.

Principatus hoc nomen obtinent quia supremam Dei majestatem præcipue imitantur, et ducatum inferioribus præstant.

Angeli sic dicuntur quia a Deo mittuntur ad exercenda quædam officia ; item et *Archangeli*, qui insuper aliquo modo Angelorum sunt principes, ut fert ipsorum nomen. « Qui minima nuntiant, *Angeli*, inquit S. Greg., et qui « summa annuntiant *Archangeli* vocantur. »

Notandum quosdam Patres docuisse plures esse quam novem Angelorum ordines, annumerantes videlicet inter illos *Æones*, et alia spirituum genera : imo nonnulli, inter quos S. Joannes Chysost., homil. 4, de incompre-

hensibili Dei natura, t. I, col. 473, sentiunt infinitos esse beatorum spirituum ordines mortalibus incognitos, et hos B. Paulum significavisse dicens. Eph., I, 21 : *Supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro;* quod sufficienter indicat alia esse inter beatos spiritus nomina nunc ignota, quæ in futuro sæculo tantum revelabuntur. Vide P. *Petau*, loco citato, n. 11.

CAPUT QUARTUM.

DE ANGELORUM ESSENTIA.

Præcipua quæstio in hoc capite movenda, est an Angeli puri sint spiritus ab omni materia secreti, an corporei sint.

Plures antiqui Patres arbitrati sunt eos esse corporeos, vel corporibus alligatos, ut S. Justinus, S. Clemens Alexandrinus, Methodius, Origenes et probabiliter S. Basilius apud Græcos; Tertull., S. Ambros. et dubie. S. Aug. apud Latinos. At sibi non consentiebant in assignanda natura hujus corporis, quod plerique tamen volebant ex tenuissimo aere, ex purissimo igne, vel ex alia subtilissima materia constare. Sic etiam plures recentiores philosophi, ut *Leibnitz, Bonnet, Cudworth*, etc., rati spiritum activum dari non posse sine corpore.

Alii vero Patres, ut S. Ignatius, S. Greg. Thaum., S. Greg. Nazianz., S. Epiph., S. Chrysost., Theodoret., Procopius, S. Joannes Damasc., apud Græcos, et fere omnes Latini semper tenuerunt Angelos esse substantias omnino incorporeas; quibuscum sit

PROPOSITIO.

Angeli sunt omnino incorporei.

Prob. Scriptura sacra, concilio Lateranensi III et traditione.

1° *Scriptura sacra.* B. Paulus, Hebr., I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Ibi Apost. loquitur de Angelis, eosque vocat simpliciter *spiritus.* Ad Eph., VI, 12, ait : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Alibi dæmones dicuntur immundi spiritus, v. g., apud Luc., VI, 18. Ergo 1°, etc.

2° *Concilio Lateran. III*, cap. *Firmiter* supra citato, p. 359, in quo dicitur Deum esse creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium ac corporalium... « Qui « de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, « angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam « quasi communem ex corpore et spiritu constitutam. » Natura spiritualis Angelorum clarius exprimi non potest.

Merito tamen observat Petavius hanc propositionem non esse de fide catholica, quia hic potius supponitur quam expresse definitur, siquidem Patres Concil. Lateran. in eo capite novos condemnare volebant Manichæos negantes Deum unicum esse creatorem omnium visibilium et invisibilium. Unde, non obstante concilio, plures catholici oppositam tenuerunt sententiam, inter quos card. Cajetanus, Eugubinus, Sixtus Senensis, etc. Nihilominus hæc propositio, licet indirecte tantum definita, habenda est ut certissima. Ergo, 2° etc.

3° *Traditione.* Judæi, ut fidem faciunt Philo, Maimonides, *Aben-Ezra,* contendunt Angelos neque corpore neque materia aliqua constare, sed substantias esse ab utroque separatas; eumdem habuerunt sensum plerique Patres, ut notavimus, et idem nunc ubique docetur in Ecclesia ac in variis societatibus christianis. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Addi posset ratio convenientiæ : sicut Deus fecit substantias materiales sine spiritu, et substantias spirituales cum materia unitas, sic congruentissime facere debuit substantias spirituales ab omni materia segregatas.

Hinc 1° Angeli sunt incorruptibiles : corruptio enim

alicujus substantiæ fit per dissolutionem partium : ergo Angeli, qui nullas habent partes, corrumpi nequeunt.

Hinc 2° sunt immortales ab intrinseco, id est perire non possunt, sicut corpus nostrum, per dissolutionem partium. Procul dubio Deus, qui eos creavit et conservat, eos pariter *annihilare* posset : sed constanti traditione et universali persuasione constat eos nunquam de facto ad nihilum reducendos esse. Non defuerunt tamen antiqui opinantes et dicentes Angelos non esse immortales, quia, ex B. Paulo, I Tim., I, 17, immortalitas tribuitur Deo tanquam ipsi propria : sed, ut optime dicit S. Hieron. in Epist. ad Tit., sub initio, t. IV, part. 1, p. 410, hoc intelligendum est eo sensu quod solus Deus immortalitatem habeat ex se, Angeli vero ex largitione Dei eam consequantur.

Hinc 3° Angeli non resident, nec moventur in loco, modo corporibus proprio, cum partes non habeant quibus diversis locorum partibus correspondere possint. Concludendum est igitur illos hic vel illic præsentes fieri, moveri, seu de locis ad loca transire modo spiritibus competenti, nobis ignoto, et absque mora sensibili.

Hinc 4° Angeli sunt indivisibiles et nulla ratione sub sensibus nostris cadere possunt, quia substantia omnino spiritualis sensus corporeos afficere non potest.

Hinc 5° habenda sunt ut fabulæ dicta quorumdam veterum Patrum, pluribus Alexandrinæ versionis exemplaribus et libro apocrypho Enoch deceptorum, Angelos corporibus præditos esse arbitrantium, et narrantium eos carnale habuisse cum filiabus hominum commercium ex quo nati essent gigantes, atque eo sensu intelligendos esse primos versus cap. VI Geneseos, præsertim hæc verba : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Sacræ Scripturæ interpretes per *filios Dei* hujusce loci communiter intelligunt non Angelos, ut volebant antiqui supra memorati, sed filios Seth in cultu veri Dei permanentes; et per *filias hominum*, filias ex Caïn descendentes et perversas. Ex hujusmodi connubiis ob solam voluptatem initis magna et universalis exorta est corruptio, propter quam

Deus dixit : *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Quoad vocem quam Vulgata *gigantes* interpretatur, intelligi potest de viris fortibus, violentis, prædonibus, vel defectoribus, ut observare est in diversis versionibus. Non tamen necesse est, ait S. Aug., ut Vulgatam nostram deseramus.

DE APPARITIONE ANGELORUM.

Certum est Angelos, licet incorporeos, sæpe hominibus apparuisse et locutos fuisse : innumera citari possent exempla ex Scripturis sacris deprompta.

Duplici modo apparere et loqui potuerunt, nempe 1° per visionem, sensus externos et internos, vel solum internos commovendo, et eodem modo afficiendo ac si corporeum objectum et sensibilis sonus existerent. Sic *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens* (Matth., II, 3). 2° In realitate corporis ad hoc assumpti : communissime docent auctores plures Angelorum apparitiones aliter explicari non posse, videlicet quando tales fuerunt apparitiones ut plures personæ ratione et sensibus præditæ unanimiter et constanter judicarent vera adesse corpora, alioquin illæ personæ in invincibilem conjicerentur errorem, Deo ita ordinante, siquidem Angeli hæc agere nequeunt, nisi ex concessione Dei : atqui hoc repugnat : ergo, etc. Tales judicandæ sunt apparitiones trium Angelorum excidium Sodomæ et Gomorrhæ nuntiantium Abrahæ, et præsertim Archangeli Raphaelis filium Tobiæ comitantis sub nomine Azariæ.

Communius sentiunt Doctores corpora sic ab Angelis assumpta ex aere densato, vaporibus diversorum generum immixto, coloribus induendis apto, a Deo vel ab ipsis Angelis præparato, et, obtento fine, statim dissolvendo, fuisse composita. Certum est aliquam existere unionem inter Angelum et corpus sic assumptum, alioquin ipsa assumptio subsistere non posset; sed hæc unio non est personalis seu hypostatica; patet ex dictis. Quid est ergo, in quo præcise sita est natura ejus? ignoramus.

Probabilius videtur Angelos hujusmodi corporibus uten-

tes, functiones vitales reipsa non exercere, v. g., non manducare, non bibere, non dormire, etc., nam tales functiones hypostaticam, id est personalem, supponunt unionem. Unde S. Raphael, apud Tob, XII, 19, ait : *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor.*

CAPUT QUINTUM.

DE ANGELORUM INTELLECTU, VOLUNTATE ET INTER SE LOCUTIONE.

Statim ac creati fuerunt angeli, tanquam præstantissimum donum et ornamentum, sanctificantem acceperunt gratiam juxta communiorem Patrum et theologorum sententiam. Unde S. Aug., de Civit. Dei, lib. 22, cap. 9, n. 2 : *Deus erat simul in eis et condens naturam et largiens gratiam : unde sine bona voluntate, id est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.*

Præter gratiam sanctificantem, Angeli auxilio actuali ad perseverandum indiguerunt, juxta communiorem sententiam. Quodnam autem fuerit hoc auxilium acriter inter se disputant variæ scholæ. Ab illis quæstionibus consulto abstinemus. De Angelorum autem intellectu, voluntate ac locutione nobis agendum est.

De intellectu Angelorum.

Certum est Angelos, quantumvis perfectos, omnia præterita, præsentia, futura, existentia et possibilia non cognoscere, alioquin essent infiniti et Deo similes. Quid ergo cognoscere, vel non cognoscere possint, exquirunt theologi; ac 1° certum est eos seipsos cognoscere, sicut mens humana seipsam cognoscit, id est, certo scire se esse et cogitare. An propriam substantiam videant; an vero eam per abstractionem tantum cognoscant, sicut nos mentem nostram, non sibi consentiunt auctores. Probabile tamen videtur eos intuitiva visione seipsos cognoscere.

2° Certum est eos cognoscere res existentes, ut ex variis Angelorum apparitionibus, locutionibus et actionibus in Scriptura relatis patet: an singuli Angeli omnes res creatas et singulas earum partes simul cognoscant, definire non valemus.

3° Certum est eos cognoscere Deum per creaturas, quæ ipsius existentiam Angelis perspicacitate longe superioribus sicut et nobis aperte manifestant, juxta hæc Apostoli verba (Rom., I, 20): *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Hinc innumera et mirabilia Dei opera nobis ignota, non ideo judicanda sunt inutilia, quia, seclusis aliis rationibus, multæ cœlestium intelligentiarum multitudines ea contemplari et ex illis Deum glorificare possunt.

4° Certum est Angelos beatos Deum etiam cognoscere per visionem intuitivam; nam *Angeli eorum*, inquit Christus apud Matth., XVIII, 10, *in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Probabilius est aliquod supernaturale auxilium ipsis necessarium esse ad beatissima hac visione fruendum, non autem ad Dei notitiam per creaturas assequendam.

5° Dubitari non potest quin Angeli se invicem cognoscant; legitur enim in Isaia, VI, 3: *Seraphim clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus*, etc.; in Daniel, VII, 10: *Millia millium ministrabant ei;* Luc., II, 13: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium*, etc. Porro supponi non potest tales cantores et ministros secum agentes, se invicem non cognoscere. Ergo, etc. Quomodo vero se invicem cognoscant, nescimus: probabiliter per visionem intuitivam.

6° Angeli secretas hominum et cæterorum Angelorum cogitationes non cognoscunt: nam in I Paralip., XXVIII, 9, habetur: *Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit;* in II Paralip., VI, 30: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum;* in Jerem., XVII, 9: *Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans*

renes. Peculiare est igitur Deo secretas mentium cogitationes et voluntates investigare et certo cognoscere : ergo hæc facultas non tribuenda est Angelis.

7° A fortiori, futuras et liberas hominum determinationes certo prævidere non possunt : sequitur ex dictis. Insuper Deus per Is., XLVI, 9, dicit : *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt.*

Si quid ergo Angeli per seipsos de secretis hominum aliorumve Angelorum cogitationibus aut futuris determinationibus liberis sciant et prænuntient, id fit tantum per conjecturam, ut facere solent sagaciores homines, minime vero per intuitionem aut aliam cognitionem certam.

8° Certum videtur omnes Angelos cognitionibus non esse æquales : inter eos enim varii sunt ordines et varii gradus ; ergo et diversi intelligentiæ modi, saltem secundum diversos ordines. An individua ejusdem ordinis inter se differant aliter quam numero, nescimus.

De Angelorum voluntate.

Angeli nobis exhibentur in Scriptura ut agentes : agere non possunt sine voluntate : ergo habent voluntatem.

Angeli, ut pote intelligentes, cognoscunt quid sit bonum aut malum, quid eligendum vel omittendum. Ex ea autem cognitione, in substantia activa, nascitur facultas eligendi seu liberum arbitrium quod omnes theologi unanimiter tribuunt Angelis.

Hinc evidenter sequitur in Angelis esse facultatem amandi et odio habendi, id est, bonum prosequendi et malum aversandi. Angeli autem seipsos et Deum necessario diligunt, quia nullam videre possunt rationem seipsos aut Deum odio directe habendi. Si dæmones sui destructionem exoptent, non ex odio, sed potius ex amore sui, quia æstimant melius sibi non esse quam in tanti versari suppliciis : si Deo maledicant, non quia judicant illum esse odio dignum, sed propter rigorosam ejus justitiam.

De Angelorum locutione.

Locutio in genere est cogitatio unius substantiæ intelligentis alteri certo indicio manifestata. Hinc homines secum loquuntur per verba, per scripta, per alia signa, quia sic diversis modis suas cogitationes aliis manifestant.

Certum est Angelos expeditam habere facultatem loquendi : in pluribus enim Scripturæ locis repræsentantur ut hominibus vel aliis Angelis loquentes ; v. g. : *Seraphim clamabant alter ad alterum* (Is., VI, 3) ; *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum, etc.* I Cor., XIII, 1 : ergo Angeli, sicut homines, habent linguam sibi propriam.

Admitti non potest Angelos cogitationes aliorum Angelorum sicut suas videre ; nam 1° secretas hominum cogitationes non vident ; cur magis aperte viderent quod in cæteris intelligentiis geritur? 2° Si res ita esset, nulla inter eos existeret locutio, quod Scripturæ adversatur. Ergo, quemadmodum homines secretas cogitationes suas pro nutu his aut illis, non vero aliis manifestant, sic et Angeli modo sibi proprio facere possunt, sive respectu hominum, sive respectu cæterorum Angelorum.

Quis autem sit iste modus, quomodo exerceatur, subtilissime agitant theologi, et definire nequeunt.

Quod de locutione Angelorum diximus, animabus humanis a corporibus separatis applicari potest.

CAPUT SEXTUM.

DE CULPA ET POENA ANGELORUM.

De fide est Angelos peccare potuisse, et multos de facto peccasse. Sic enim Christus, apud Matth., XXV, 41, ait : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* Apud Luc., VIII, 2, legitur : *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus ma-*

lignis. II Petr., II, 4 : *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

Multis in aliis locis fit mentio de diabolo, de dæmoniis tanquam de spiritibus malignis, et universa, clara ac constans Judæorum, Christianorum ipsorumque Mahumetanorum traditio, imo et apud infideles sæpe non obscure reperta, tenet malos existere Angelos : porro Deus eos non fecit malos : ergo peccaverunt et culpa sua facti sunt mali; dein miseri, quia, Deo sic ordinante, gravissimas subeunt pœnas peccato suo debitas, ut patet ex verbis Christi et B. Petri superius citatis et ex his B. Judæ, v. 6: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.*

Communius docetur primum Angelorum peccatum fuisse actum superbiæ, qui sibi super excellentia propria placentes, honorem Deo debitum non reddebant; et hæc communis sententia nititur, 1° verbis Scripturæ; v, g., (Tob., IV, 14 : *In ipsa enim* (id est, in superbia) *initium sumpsit omnis perditio;* Eccli., X, 15 : *Initium omnis peccati est superbia;* Is., XIV, 12, sub figura regis Babylonis loquitur ad diabolum juxta multorum sententiam, dicens: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer ?... qui dicebas in corde tuo...* quibus verbis alludere videtur Christus, dicens apud Lucam, X, 18 : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* 2° Unanimi Patrum et doctorum consensu; v. g., S. Hieron., Epist., 18, t. IV, part. 2, col. 40 : « Novi apud te et apud matrem tuam superbiam, per « quam diabolus cecidit, penitus locum non habere; » S. Aug., de Civ. Dei, l. 22, cap. 1. t. VII, col. 655 : « Qui cum præsciret Angelos quosdam per elationem... « tanti boni desertores futuros, etc. » 3° Quia non videtur quomodo puræ intelligentiæ aliter peccare potuissent, Ergo, etc.

Sed cujus generis fuit hæc superbia? Quidam dicunt Angelos ægre tulisse humanam naturam ad consortium Divinitatis elevandam esse : sed non constat incarnatio-

nem eis manifestatam fuisse. Alii volunt eos fuisse offensos ex eo quod homo ad imaginem Dei creatus fuerit : hoc certe non facile intelligitur. Alii vero, cum P. *Petau,* asserunt illos cupide ambiisse dominationem super creaturas et plenam animi independentiam. Hæc sententia non videtur contemnenda. Plerique, post S. Thomam, sentiunt superbiam in eo constitisse, quod Lucifer beatitudinem sibi propositam vi propria assequi voluerit, expetiveritque fieri similis Altissimo.

Ecclesia autem circa has diversas sententias nihil definiit.

Quo tempore et quo numero lapsi fuerint Angeli, nescimus.

Sequitur ex dictis 1° Angelos creatos fuisse beatos, saltem beatitudine naturali, quæ in perfecta Dei cognitione et amore consistebat; 2° non fuisse in beatitudine supernaturali consummata, id est visione Dei intuitiva non fruitos fuisse, alioquin non peccassent, nec peccare potuissent; 3° eos beatitudine supernaturali inchoata seu gratia sanctificante donatos esse : hoc generaliter admittunt Patres et doctores; 4° multos non perseverasse, et gravibus suppliciis esse affectos; 5° multos alios perseverasse, merita acquisiisse et pro remuneratione in beatitudine supernaturali per visionem intuitivam consummata constitutos fuisse.

CAPUT SEPTIMUM.

DE ANGELORUM MINISTERIIS.

Paucis verbis hic dicendum occurrit, 1° de missione Angelorum in genere, 2° de Angelis custodibus, et 3° de impugnatione ex parte malorum Angelorum.

De missione Angelorum in genere.

De fide est Angelos ad ministerium esse destinatos, ut fert ipsorum nomen genericum : sic enim habetur in

Scriptura, Exod., XXIII, 20 : *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat et custodiat te in via;* Tob., XII, 20 : *Tempus est ergo,* inquit Raphael, *ut revertar ad eum qui me misit;* Matth., XIII, 41 : *Mittet Filius hominis Angelos suos;* Luc., I, 26 ; *Missus est Angelus Gabriel a Deo,* etc. Sic etiam unanimiter Patres et totius Ecclesiæ fides. Ergo, etc.

Videtur, ex Daniel., VII, 10, inter Angelos, alios ministrare et alios Deo assistere : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Hinc inferunt doctores, cum S. Th., I parte, q. 112, art. 2, solos inferiores Angelos, ex lege communi, mittendos esse, superiores vero non nisi ex speciali commissione, ob specialem et gravem causam, v. g., ad ducendum juniorem Tobiam, ad exterminandum Sennacherib exercitum, ad annuntiandum Incarnationis mysterium, etc. Nihilominus dicere licet cum B. Paulo, Hebr., I. 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi ?* quia hic spectantur Angeli relative ad Christum Dominum cujus omnes sunt servi et ministri.

De Angelis custodibus.

1° De fide credendum est hominibus datos esse Angelos custodes; nam 1° id evidenter docet Scriptura, in Ps. XC, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* Matth., XVIII, 10; *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est ;* et in aliis pluribus locis. 2° Circa hoc punctum unanimes sunt Patres. 3° Praxis totius Ecclesiæ est docere Angelos custodes existere, honorandos et invocandos esse. Ergo, etc.

2° Cum illæ rationes sint generales et nullam admittant exceptionem, sequitur omnes homines, sive justos, sive injustos, sive fideles, sive infideles, in statu innocentiæ et in statu naturæ lapsæ, Angelos custodes ab ortu suo semper habuisse et nunc habere. Disputant theologi an infantes in utero matris adhuc exstantes speciales jam

habeant Angelos custodes, an vero custodiæ Angeli matris committantur : pars affirmans probabilior videtur, quia infantes semel animati jam sunt individua rationabilia.

3° Attamen, inter veteres, nonnulli docuerunt Angelos custodes solis destinatos esse fidelibus et non dari ante baptismum ; alii duos tribuebant Angelos unicuique homini, unum bonum et unum malum : alii, confitentes omnes homines sub custodia Angelorum esse constitutos, negant unumquemque specialem Angelum suum habere, aut saltem dicunt non constare plures curæ ejusdem Angeli non esse commissos. Fatendum est igitur Angelorum custodum existentiam in dubium revocari non posse, sed multa alia ad hanc veritatem attinentia non ita esse liquida.

4° Certum nihilominus aut saltem longe probabilius videtur singulos homines singulis commissos esse Angelis : nam 1° in Act. XII, 15 puella annuntiante Petrum esse ad januam, qui domi erant responderunt : *Angelus ejus est;* 2° S. Hieron., in cap. XVIII Matth., t. I, col. 83, sic habet : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat « ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delega- « tum. » Et S. Bernardus, Serm. in Ps. CXXIII : « In « quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reve- « rentiam habe... Si fidem consulas, ea tibi angelicam pro- « bat præsentiam non deesse. » 3° Universalis est fidelium persuasio unumquemque suum habere Angelum custodem, ac proinde saltem tot esse Angelos bonos quot simul exstituri sunt homines in terra : porro talis persuasio a nullo pastore reformata, est signum veritatis. Ergo, etc.

5° Præter Angelos custodes singulis hominibus a nativitate deputatos, communiter docent theologi alios esse præpositos imperiis, regnis, provinciis, regionibus, civitatibus, diœcesibus, parochiis, sodalitiis, ecclesiis, imo et singulis sacerdotibus Missam celebrantibus, ut supponunt hæc Canonis verba : *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum.*

6° Angelorum autem custodum præcipua officia erga nos

sunt : 1° intellectum illuminare, veritates capacitati ejus aptando vel sub congruis imaginibus præsentando, aut bonas cogitationes suggerendo; 2° voluntatem adjuvare, eam ad bonum excitando, exhortando, occasiones bene faciendi subministrando, male agendi removendo; 3° preces nostras Deo offerre, non ut eas cognoscat, sed ut ratas habeat et exaudiat; 4° damna externa avertere, in periculis, v. g., in bello, in naufragio, in insidiis, in casu, in morte, juvare; morbos, pestilentias fugare, etc.

Neque idcirco dicendum est Angelos hominibus inferiores fieri, quia, ipsos juvando, soli Deo serviunt; nec pariter eos visione beatifica privari; nam, ut ait S. Thomas, I parte, q. 11, art. 1, ad tertium : « Angelus per solam in« tellectualem operationem regulat suas actiones exterio« res. Unde actiones in nullo impediunt ejus contempla« tionem, quia duarum actionum, quarum una est regula « et ratio alterius, una non impedit, sed juvat aliam. »

Ex iis quæ infauste accidunt non tristantur, nec ipsorum voluntas contrariatur, quia divinæ voluntati semper concordat. Mala quæ committuntur, a malo libertatis usu provenientia, ipsis nullo modo imputari possunt.

7° Angeli custodes nunquam, juxta S. Th., part. 1, q. 113, art. 6, suos clientes penitus deserunt, quia sunt divinæ Providentiæ ministri, et nullus homo divinæ Providentiæ penitus subtrahi potest; sed interdum eos deserunt secundum quid, permittendo scilicet ut libero suo arbitrio male utentes, in tribulationem cadant, in peccata labantur, etc.

De malorum Angelorum impugnatione.

Mali Angeli vocantur diaboli, dæmones, maligni spiritus : habent principem, qui in pluribus Evangelii locis vocatur *Beelzebub*, v. g., Matth., XII, 24 : *Non ejicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum;* et Marc., III, 22 : *Beelzebub habet, et in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Dicitur etiam simpliciter 1° *diabolus*, id est, detractor vel calumniator, quia male de Deo locutus est Evæ, et probabiliter Angelis ut eos in suam apostasiam adduce-

ret; 2° *Satanas,* seu adversarius, quia nobis adversatur; 3° *Lucifer,* quia, secundum plerosque Patres et doctores, cap. XIV Is. et XXVIII Ezech. innixos, ante peccatum suum inter cæteros Angelos eminebat, sicut stella quæ appellatur Lucifer eminet inter alias stellas; 4° *Serpens antiquus,* et *Draco,* quia sub forma serpentis apparuit Evæ, et velut serpentes ac dracones horrorem excitat.

Certum est de fide homines viventes diversis modis a dæmonibus vexari, tentari, ad peccatum et æternam damnationem sæpissime induci : hoc enim patet seductione Evæ, tentatione Job et Christi; expressis Scripturæ verbis, v. g., Eph., VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* I Petr., V, 8 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide,* etc. Ergo, etc.

Cur autem Deus permiserit nos a dæmonibus sic vexari et tentari, quærere periculosum et definere temerarium foret. Sciamus hoc monitum Apostoli (I Cor., X, 13) : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Quemadmodum enim Angeli custodes sua assistentia libertatem humanam non lædunt, nec diaboli tentantes, necessitatem imponunt.

Ostendimus bonos Angelos per se non certo cognoscere secretas mentium cogitationes, nec futura libera : ergo a fortiori nec dæmones, nisi per conjecturas.

Plures, ut Origenes, S. Greg. Nyss., Cassianus, censuerunt unumquemque hominem suum habere dæmonem sicut et Angelum custodem : verum hæc opinio communiter rejicitur, quia ex superstitione gentilium duos genios unicuique homini tribuentium oritur, et nullum habet fundamentum, neque in Scriptura, neque in traditione, neque in ratione.

CAPUT OCTAVUM.

DE ANGELORUM POTENTIA.

Quando Angeli nomine Dei et velut ipsius ministri agunt, omnia possunt, quia si propria virtus non sufficiat, Deus ipsis infundit virtutem supernaturalem ad agendum sufficientem : si vero infinita necessaria sit potentia, Deus per seipsum operatur Quoniam ad creandum infinita requiritur potentia, et cum aliunde ratio existendi omnis creaturæ in solo Deo reperiatur, Angeli creare nequeunt, et erraverunt, contrarium dicentes, antiqui Gnostici, et recenter D. *Guiraud, Philos. de l'histoire*, t. I.

Petitur quid possint Angeli virtute potentiæ sibi naturalis.

Certum est eos nihil ex se habere, sed omnem suam potentiam, virtutem et efficaciam a Deo tenere, ac proinde supremæ ipsius voluntati semper esse subjectos. Hinc potestatem non habent dictatricem, nec aliquid possunt contra generales naturæ leges a Deo conditas; quia repugnat Deum eis concessisse facultatem omnia turbandi. Omnes inde concludunt Angelos potestate sibi naturali non posse mortuos suscitare, solem sistere, eclipsem tempore plenilunii patrare, morbos solo nutu curare, etc.

At, quemadmodum mentes humanæ quamdam ex virtute sibi naturali exercent potestatem, sive physice, sive occasionaliter, ut infra dicetur, in proprium corpus, et mediante suo corpore, in materiam extraneam sibi proportionatam, quæritur an Angeli aliquam habeant potestatem naturalem in materiam, vi cujus quædam operari valeant prodigia vires humanas superantia.

Circa hanc quæstionem multum inter se dissentiunt philosophi et theologi christiani.

1° Jacob *Serces*, ecclesiæ anglicanæ presbyter, in speciali de Miraculis tractatu, anno 1729 edito, contendit dæmones nulla hujusmodi patrare posse prodigia, etiams

boni Angeli id possent, quod æstimat probabile. Præcipuæ ejus rationes sunt: 1° quia verisimile est potestatem eorum naturalem, in pœnam suæ defectionis, omnipotentia Dei vel bonorum Angelorum ministerio coerceri; 2° quia, in ea hypothesi, divina miracula a diabolicis secerni non possent, nisi per doctrinam, sicque miracula per doctrinam et doctrina per miracula probarentur, quod est circulus vitiosus, ut advertit *Rousseau, Émile*, l. 4.

Hinc concludebat magorum Pharaonis prodigia meras fuisse fraudes humanas : *Custodiebant*, inquit, *serpentes quadam arte incantatos, et eos tam solerter virgis substituebant, ut astantes eas in tot serpentes versas judicarent; ranas aliunde accersitas prodebant, sanguinem in aquam fundebant*, etc. Idem sentiendum esse volebat de cæteris prodigiis quæ apud paganos celebrabantur. Vel tot erant fabulæ, vel humanæ fraudes. Hanc opinionem amplexus est *Bergier* in opere dicto : *Traité de la Religion*, t. v. ed. in-12 anni 1786.

2° *Clarke, Existence de Dieu*, cap. 9, docet Angelos, sive bonos, sive malos, potestate sibi naturali multa et vera operari posse miracula, Deumque permisisse ea abusos fuisse potestate ad confirmandum errorem, quod exemplo magorum Ægyptiorum aliorumque incantatorum probare intendit.

3° Doctissimus *Cudworth*, alter Anglus, in opere cui titulus, *Système intellectuel de l'univers contre les athées*, et ejus interpres *Mosheim*, theologus et prædicator lutheranus, ex Germania oriundus, affirmant etiam Angelos bonos, nec non dæmones, vera operari posse, modo supra dicto, prodigia.

Idem communissime tenent doctores catholici, et quidem præstantiores, quorum hic nomina referre longius esset. Advertunt autem semper existere viam ad errorem detegendum et ad falsa prodigia a veris secernenda. Cum iis sit

PROPOSITIO PRIMA.

Probabilius videtur Angelos potestate sibi naturali vera operari posse prodigia vires humanas superantia.

Prob. Ad hoc quippe duo tantum requiruntur, videlicet, 1° ut Angeli naturalem habeant potestatem in materiam, et 2° ut hæc potestas ipsis sufficiat ad dicta prodigia : atqui hæc duo saltem probabilia sunt.

1° Probabile est Angelos naturalem habere potestatem in materiam; certum est enim, tum ex Scriptura sacra, tum ex traditione eos sæpissime in materiam egisse : at verisimile est eos ex potestate sibi naturali id fecisse. Nam Deus mirabilem instituit ordinem inter omnes creationis partes : substantiæ excellentiores quamdam potestatem in inferiores naturaliter exercent : sic animantia quodam modo creaturis inanimatis dominantur; homo cunctis animantibus dominatur; mens humana corpori suo immediate dominatur, et, eo mediante, potestatem in materiam sibi subjectam naturaliter exercet. Cum autem dubitare non liceat quin Angeli sint substantiæ spirituales, mente humana longe præcellentes, nonne saltem probabile est eos quamdam habere potestatem sibi naturalem in materiam ?

Quidquid in contrarium objicitur, id unum probat, scilicet nos mente capere non posse quomodo hæc potestas spiritualis in objectum materiale exercetur : sed modum quo Deus simplicissimus mundum corporeum creavit, illum gubernat et conservat, modum quo membra nostra ad voluntatis imperium moventur vel quiescunt, prorsus ignoramus, et tamen ista negari non possunt quia incomprehensibilia sunt. Ergo, a pari, etc.

Præterea omnes populi persuasum semper habuerunt Angelos multa in natura corporea operari posse : porro hæc universalis persuasio est argumentum saltem probabile veritatis. Ergo, etc.

2° Hæc potestas sufficit ut Angeli quædam operari possint prodigia modo supradicto intellecta : illa enim prodigia

ad tres revocari possunt species, videlicet ad transformationes, alterationes et translationes. Per transformationes intelligimus novas organisationes quibus fit ut corpora non sint intrinsecus eadem, v. g., si virga in serpentem mutetur; per alterationes designantur mutationes qualitatum sensibilium, v. g., coloris, saporis, figuræ, etc.; translationes autem consistunt in mutationes situs et loci. Porro si affirmare non possimus Angelos hæc tria prodigiorum genera operari posse, saltem dicere possumus non imprudenter eos virtute sibi naturali habere potestatem mirabiles effectus viribus humanis longe superiores operandi; v. g., radios solis detorquendo, oculos lædendo, corpora ex uno loco in alium locum celerrime transferendo, aliis invisibiliter substituendo, etc. Ergo, etc.

Non tamen inde concludendum est hæc prodigia vera esse miracula seu derogationes consuetis naturæ legibus; fiunt enim, ex hypothesi, per causarum secundarum applicationem. At conforme est naturæ ut, causis secundariis applicatis, effectus producantur, v. g., qualitates corporis mutentur, sicut artis chymicæ periti quotidie eas suo modo mutant.

PROPOSITIO SECUNDA.

Probabile est dæmones quædam etiam operari posse prodigia vires humanas superantia.

Prob. Constat dæmones ejusdem esse naturæ ac Angelos, et solummodo a justitia et beatitudine culpa sua excidisse : porro fieri potuit ut, justitiam amittendo et a beatitudine decidendo, vires suas naturales totaliter non amiserint. Homines enim a primæva justitia delapsi, viribus suis naturalibus non sunt omnino exspoliati; ergo, a pari, etc. Hæc autem possibilitas ad maximum transit probabilitatis gradum, si spectentur Scriptura sacra, traditio et ratio.

1° *Scriptura sacra.* De magis enim ægyptiis legitur in Exodo, VII, 12 : *Projeceruntque singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones;* et 22, postquam Moyses aquam

fluminis vertit in sanguinem, dicitur de magis : *Fecerunt*que *similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis;* et VIII, 7 : *Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram.* Unde sic : vel hæc facta vera erant prodigia ope dæmonis patrata, vel humanæ solertiæ effectus : at posterius dici non potest ; 1° quia vera prodigia clariori modo exprimi non potuissent ; quia dicitur magos *similiter* fecisse, id est prodigia prodigiis Moysis saltem apparenter similia ; 3° *Eduxerunt ranas super terram Ægypti*, proindeque non tantum intra, sed etiam extra aulam Pharaonis : at talis operatio excludit mere humanum prodigium ; 4° tria hæc prodigia immediate, sine intervallo et coram multis testibus operati sunt magi : quomodo, antea non moniti, præparare potuissent media humana requisita ut numeroso cœtui tam efficaciter illuderent? 5° Ciniphes producere voluerunt et non potuerunt (Exodi, VIII, 18) ; si autem prævidissent se talem effectum producere non posse, contemptui et ludibrio Ægyptiorum se non tradidissent : attamen si per solertiam et fraudem tantummodo egissent, ignorare non potuissent sibi deesse necessaria ad tales producendos effectus. Ergo, etc.

Dicitur quidem eos per incantationes egisse, id est per quasdam operationes externas quibus dæmones opem suam adnectere solent, et in hoc thesis nostra confirmatur.

Aliunde Antichristus venturus est *secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus*, juxta Apost., II Thess., II, 9. Porro hæc verba naturali sensu accepta non designant meras fraudes humanas. Ergo 1°, si spectetur Scriptura sacra, saltem valde probabile est, etc.

2° Item, si consideretur *traditio ;* innumera enim referuntur prodigia apud paganos in idololatriæ ejusque superstitionum confirmationem patrata : gentiles non suspicabantur ea meras esse fraudes humanas ; Patres Ecclesiæ et scriptores ecclesiastici ea, sine ulla hæsitatione, tribuebant diabolo. Nonne repugnat omnes populos, omnesque scrip-

tores, tum profanos, tum ecclesiasticos, ita jugiter delusos fuisse? Hanc sententiam fortiter tuitus est P. *Baltus*, e societate Jesu contra *Fontenelle*, in opere cui titulus : *Réponse à l'Histoire des oracles*. Ergo 2°, etc.

3° Si consulatur *ratio*, idem constare videtur. Ideo enim adversarii veritatem prodigiorum a dæmonibus patratorum negant, quia, juxta ipsos, Deus permittere non potest ut diabolus potestate naturali homines sic decipiat; sed diffiteri nequeunt Deum, illæsis suis attributis, permittere posse ut perversi homines et dæmones naturali sua abutantur potestate, non solum ad decipiendos, sed etiam ad inducendos homines in scelera, in cæcitatem spiritualem, in obdurationem et damnationem. Ergo similiter permittere potest ut dæmones vera operentur prodigia in confirmationem erroris; sufficit ut omnibus convenientia tribuat media seductionem præcavendi. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc.; insuper, etc. Ergo, etc.

Hinc facile explicantur miracula in honorem diaconi *Pâris* tantopere recantata, ex hypothesi quod effectus fraudis humanæ non fuerint.

PROPOSITIO TERTIA.

Naturalis Angelorum et dæmonum potestas, qua operantur prodigia, intra certos limites valde constricta est.

Prob. Eorum enim potestas valde constricta est, si solus Deus leges naturales suspendere aut eis derogare possit : atqui res ita se habet, et probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra :* Psal. LXXI, 18 : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus ;* Psal. LXXVI, 15 : *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia ;* Psal. CXXXV, 4 : *Qui facit mirabilia magna solus*. Potestas operandi mirabilia seu vera miracula (ibi enim agitur de prodigiis quæ Deus patraverat in egressu populi de Ægypto) exaltatur tanquam Deo propria. Ergo 1°, etc.

2° *Traditione*. Multi SS. Patres, inter quos Origenes,

Theodoretus, S. Aug., negant realitatem prodigiorum olim a magis patratorum in Ægypto, dicentes ea mera fuisse præstigia, quia non arbitrabantur hæc intelligi posse ad sensum a nobis expositum; sed, factis suppositis veris, persuasum habebant derogationes legibus naturæ admittendas esse, et negabant Angelis potestatem talia operandi miracula. Vide S. Aug., de Trinitate, l. III, c. 9. Præterea omnes populi semper arbitrati sunt potestatem leges naturæ suspendendi Divinitati esse propriam : miracula a supremo Deo petebant, gratias ei pro miraculis patratis agebant. Ergo persuasum habebant, etc. Ergo 2°, etc.

3° *Ratione*. Miracula proprie dicta fiunt sine interventu causarum secundarum, id est solo nutu voluntatis : at solus Deus sic agere potest, 1° quia solus instituit leges quibus reguntur corpora, illarumque est dominus; 2° quia illæ leges nihil aliud sunt quam divina voluntas perseverans : porro nulla creatura naturalem habet potestatem voluntati supremæ derogandi. 3° Si Angeli et præsertim si dæmones naturalem haberent potestatem legibus naturæ derogandi, naturam corpoream mutare, corrumpere et subvertere possent, v. g., frigus continuum inducendo, pluvias supprimendo, solem obscurando, terram e loco suo in alium locum transferendo, motum ejus consuetum invertendo, etc. Atqui hæc admitti nequeunt. Ergo 3°, etc. : aliunde, etc. Ergo, etc.

Hinc 1° sicut homines moles materiæ viribus suis proportionatas, non alias, movere possunt; ita Angeli, sive boni, sive mali, quasdam massas et non alias transferre queunt.

Hinc 2° formas corporum mutare aut alterare non possunt, nisi applicando causas naturales ad hos producendos effectus idoneas.

Hinc 3° novas species rerum corporearum creare nequeunt et reipsa nullæ species novæ ab origine mundi creatæ sunt, ut observatores rerum naturalium fatentur.

Hinc 4° magi Pharaonis virgas in veros serpentes non mutarunt, aquam in sanguinem non verterunt, ranas e nihilo non eduxerunt; sed dæmones ope incantationum

oculos aspectantium fascinaverunt, vel serpentes modo celerrimo et invisibili virgis substituerunt, colorem sanguineum in aquas fuderunt; ranas e paludibus vicinis in terram sparserunt, vel alio modo sibi naturali, nobis incognito, operati sunt. Nec dici potest hanc explicationem textui sacro esse oppositam; nam in ea hypothesi, nullum erat discrimen exterius inter prodigia Moysis et prodigia magorum : revera magi faciebant *similiter per incantationes suas*, quod naturaliter dici non potuisset, si per fraudem astantes sic delusissent.

Hinc 5° non timendum est ne dæmones, potestate sua abutendo, ordinem physicum vel moralem perturbare valeant : 1° quia inter limites determinatos stricte coercentur; 2° quia naturalis eorum potestas potius imminuta quam aucta est per peccatum; 3° quia boni Angeli eis adversantur, eosque inter statutos limites coercent; 4° quia nihil possunt, nisi Deo permittente : porro Deus non permittet eos sua potestate sic abusuros esse.

Hinc 6° dæmones eadem forsan non possunt in omnibus circumstantiis et erga omnes homines, quia vel boni Angeli magis obsistunt, vel Deus non permittit, vel aliud intercedit impedimentum : sic Satan petivit a Deo licentiam nocendi Job. (Job, I et II.)

PROPOSITIO QUARTA.

Angeli et dæmones quosdam prædicere possunt eventus intelligentiam humanam superantes.

Notandum duplicis generis futuros eventus distingui posse, alios scilicet qui in causis naturalibus nullo modo prævideri possunt, si nempe a libera Dei vel hominum voluntate pendeant, et alios qui ex causis naturalibus secuturi sunt. Constat Angelos et dæmones eventus primi ordinis prævidere et certo prædicere non posse : cum enim tales eventus, a liberis Dei vel hominum actibus pendeant, nulla creatura, etiam perfectissima, eos certo prospicere potest, nisi Deo revelante; ergo non facultate

sibi naturali. Sensus ergo propositionis est Angelos et dæmones eventus secundi ordinis prædicere posse.

Prob. Traditione et ratione. 1° *Traditione;* multa celebrata sunt oracula apud paganos : plurima quidem fuerunt ficta, alia obscura aut ambigua; sed impossibile videtur contendere omnia fuisse humanas fraudes, quod satis solide ostendit P. *Baltus* in opere supra citato, et quod plerique SS. Patres admiserunt vel supposuerunt ut certum. Ergo 1°, etc.

2° *Ratione.* Ut enim Angeli, sive boni, sive mali, tales prædicere valeant eventus, sufficit ut, potestate sibi naturali, eos prævidere et suam prævisionem hominibus manifestari possint : atqui hæc duo saltem probabilia sunt. 1° Angeli et dæmones intelligentiam humanam valde superant naturali sua perspicacitate, indefessa attentione, longa experientia, incessabili rerum investigatione, tenaci memoria, eaque mirabili facilitate e natura eorum defluente, qua simul aut brevissimo tempore multa in variis locis penetrant. Quis ergo negare valet eos potestate sibi naturali multos eventus futuros nos prorsus latentes cognoscere posse vel cum omnimoda certitudine, vel cum majori, vel minori probabilitate, habita ratione motivorum quibus fundantur conjecturæ! 2° Non repugnat eos talem prævisionem hominibus manifestare posse, vel humanam vocem imitando, vel quamdam visionem menti præsentando, vel somnium in imaginatione excitando, etc. Ergo, etc.

Aliquando eventus non est futurus nisi respectu nostri; v. g., qui cognoscit talem personam in naufragio periisse annuntiat illam non esse redituram.

Notandum tamen prædictiones ab Angelis vel a dæmonibus factas non esse certas, nisi moraliter vel physice : vel enim eventus futuri a libero hominum arbitrio pendent, et non nisi per conjecturas plus minusve probabiles spiritibus creatis innotescunt; vel ex causis naturalibus secuturi prævidentur; sed Deus has causas semper invertere aut suspendere potest. Ergo, etc.

Non ideo boni Angeli falluntur, quia, seclusa speciali

revelatione, ab absoluto judicio se continent. Probabile est, e contra, dæmones non tantum esse deceptores, sed frequenter malitia excæcatos, furore abreptos, vel non satis attendentes, in suis conjecturis decipi.

Notæ quibus judicatur prodigia vel oracula, ex hypothesi quod existant, dæmonibus esse tribuenda.

Merito pronuntiatur prodigium vel oraculum esse diabolicum, 1° si sit inutile, ridiculum, indecorum, aliquid crudelitatis, obscenitatis, fraudis alicujusve criminis mixtum exhibeat, sive in ipsa operatione, sive in effectibus externis : Deus enim non agit ut meras perficiat nugas, quia *sanctus est in omnibus operibus suis*, Psal. CXLIV, 13. Hinc dæmoni tribuenda sunt quædam paganorum prodigia, ex hypothesi quod sint vera : v. g., aqua in criblo delata, cos novacula incisa, mensæ divinantes (*Tertul. Apol., cap.* 23), etc. Item quæ tendunt ad solam curiositatem, ostentationem, superbiam, quales fuisse refertur ascensionem Simonis magi per aerem coram Nerone, *convulsiones* in tumulo diaconi *Pâris* factas, etc. 2° Si praxis intrinsece illicita usurpetur, quia Deus per media illicita operari non potest. 3° Si prodigiorum auctores alienatione mentis laborent, ut olim aruspices et sibyllæ, aut sub dæmonis potestate per possessionem vel obsessionem visibiliter constituantur : repugnat enim Deum per hujusmodi vias se manifestare. 4° Si prodigia aliis prodigiis evidenter divinis superentur, ut contigit coram Pharaone, quando virga Moysis comedit virgas magorum in serpentes versas, vel quando magi qui aquam verterant in sanguinem et ranas produxerant, ciniphes educere non valentes, coacti sunt dicere : *Digitus Dei est hic*, Exodi VIII, 19. 5° Si doctrina prodigiis vel oraculis confirmata evidenter sit absurda aut falsa : certissimum est enim Deum absurditatem aut falsitatem confirmare non posse. Hinc SS. Patres universa paganorum prodigia et sibyllarum oracula affirmabant esse diabolica, ex eo quod nomine falsorum deorum fierent. Pariter signa quæ operaturus est Antichristus, *in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus*, II Thess.,

II, 9, statim erunt rejicienda, tanquam revelationi jam existenti contraria.

Multa alia curiose expendi solent in scholis; v. g., an omnes Angeli prævaricatores in infernum fuerint detrusi, an statim post peccatum, an æqualiter torqueantur, qualia subeant tormenta, an majora post ultimum judicium toleraturi sint, quomodo licentiam habeant carcere suo exeundi, per aerem et circa nos vagandi; an nihilominus sic vagantes pœnas inferni patiantur et secum trahant, sicut boni Angeli nos custodientes faciem Patris cœlestis vident, etc. Sed cum hujusmodi quæstiones certo solvere non valeamus, eas consulto prætermittimus.

PARS TERTIA PNEUMATOLOGIÆ.

DE MENTE HUMANA.

Pars Metaphysicæ quæ de mente humana tractat, dicitur *psychologia*, a duobus verbis græcis ψυχή, *anima*, et λόγος.

Certum est nos cogitare, id est, intelligere, judicare, ratiocinari et velle; subjectum autem in quo recipiuntur cogitationes nostræ, vocatur mens humana. Igitur mens humana est principium in nobis cogitans. Per hanc definitionem naturam mentis explicare non intendimus, sed tantum assignare objectum de quo nobis tractandum est, illudque a quovis alio ente secernere.

Ut a magis notis ad minus nota per ordinem gradiamur, requiremus mentis nostræ facultates, deinde ejus naturam, postea ipsius unionem cum corpore, et tandem illius destinationem. Hanc igitur partem in quatuor dividemus capita: primum erit de mentis humanæ facultatibus; secundum, de ejus natura seu spiritualitate; tertium, de ipsius unione cum corpore, et quartum de ejusdem destinatione; quintum subjungemus caput de belluis.

CAPUT PRIMUM.

DE FACULTATIBUS MENTIS HUMANÆ.

Quadruplici modo mens considerari potest, nempe ut sentiens, ut intelligens, ut deliberans et ut volens; in illa igitur distinguuntur sensibilitas, intellectus, libertas et voluntas.

Exercitium variarum mentis facultatum, prout quædam, sive a parte mentis, sive propter objecta propria, aliis præstent, constituit acumen intellectus, *la pénétration;* ejusdem altitudinem, *la profondeur*, quæ, conjuncta cum acumine, efformare videtur quod vocamus *le génie*: ingenium, *l'esprit;* sensum pulchri, *le goût*, sive in rebus corporeis, sive in rebus intellectualibus; pulchrum autem eximie a Platone dicitur *veri splendor;* judicium rectum, *le bon jugement*, etc.

Hæc autem non nisi indicare possumus.

De sensationibus quædam breviter dicemus in capite tertio; de voluntate autem, quæ circa bonum eligendum et malum fugiendum versatur, præcipue agemus in Morali: nunc igitur in duplici articulo tractabimus de intellectu et de libertate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INTELLECTU.

Intellectus est illa mentis facultas quæ circa verum cognoscendum versatur. Variæ sunt hujus facultatis operationes: vel enim mens objecta simpliciter percipit, vel ad ea specialiter attendit, vel nonnullas eorum qualitates generaliori modo considerat, vel ab una ad aliam attendens transit, vel objecta secum comparat, ut eorum convenientiam vel disconvenientiam detegat, eaque postea jungit vel disjungit: hinc perceptio seu idea, attentio, abstractio, generalisatio, reflexio, comparatio, judicium, ratio-

cinium de quibus locuti sumus in Logica. Complexio omnium hujusmodi mentis operationum dicitur *Ratio*.

Quia fusius disseruimus in Logica de regulis quibus operationes intellectus dirigi debeant in inquisitione veritatis, nunc pauca supersunt nobis dicenda, 1° de idearum origine et natura, 2° de earum expressione seu de linguarum institutione.

§ I. — De idearum origine et natura.

In hoc priori paragrapho nec inutile, nec ingratum ducimus breviter exponere præcipua quæ circa hanc difficilem quæstionem prodiere systemata; deinde nostram aperiemus sententiam.

SECTIO PRIMA.

De variis circa originem et naturam idearum systematibus.

Omnia hujusmodi systemata, si generaliori modo spectentur, ad duplicem ordinem reduci possunt. Juxta plurimos auctores, omnes ideas ex sensibus haurimus : multi, e contra, negant omnes ideas e sensibus oriri aliamque originem eis assignant. Qui priorem defendunt sententiam, dicuntur *sensualistæ;* qui posteriorem, vocantur *idealistæ;* hoc posterius nomen sensu lato sumimus.

PUNCTUM PRIMUM. — De variis sensualistarum systematibus.

1° Scholastici philosophi, Aristotelem secuti, ut palmare habentes sequens principium, *nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu,* existimabant omnes cognitiones nostras e sensibus venire, objecta externa quasdam emittere species materiales, seu repræsentativas, quæ, per organa sensuum, in *sensorio* impressæ, ibique ab *intellectu agente* elaboratæ, spirituales intelligibilesque fiebant, et tunc in *intellectu patiente* recipiebantur.

Miramur hujusmodi inventa tamdiu in scholis fuisse agitata : necesse est tamen quod juniores alumni ea saltem aliquo modo noscant.

2° Celeber *Bacon*, in Anglia anno 1561 natus, omnes ideas a sensibus, sed modo longe diverso, oriri credebat.

Locke, eodem fundamento innixus, sequens emisit systema quod evasit famosum ; statuit mentem, e manibus Creatoris egredientem, esse *tabulam rasam*, ex se nihil habere præter facultates quæ, sese in sensationes exercentes, efformant primum ideas *simplices*, v. g.. *colorum*, *odorum*, etc. Deinde mens, reflectendo, mox ipsarum facultatum ideam acquirit ; sic paulatim progrediens, ad ideas complexas, abstractas, generales assurgit, ope notionum primo acceptarum, quarum communes quasi colligit proprietates.

3° *Condillac* theoriam idearum ex sensibus orientium, quantum possibile erat, promovit. Juxta ipsum, non solum *notiones*, sed *facultates* et *operationes* sunt sensationes, quas, si de posterioribus agatur, vocat *transformatas*. Omnes sciunt eum ope hypothesis statuæ animatæ, theoriæ suæ veritatem astruere nisum fuisse, intelligentiæ formationem prosequendo.

4° *Laromiguière*, scholæ *sensualistarum* addictus, eam tamen ab istiusmodi extremis reduxit et alio fundamento instauravit. In mente enim distinguit 1° *activitatem*, seipsam tripliciter manifestantem, scilicet per *attentionem*, per *comparationem* et per *ratiocinium* ; 2° *sensibilitatem*, quæ per quatuor sensus sese exprimit, videlicet, in propria auctoris lingua, *le sentiment de sensation*, *le sentiment des facultés de l'âme*, *le sentiment des rapports* et *le sentiment moral*. Hi sensus, ope facultatum distincti et elaborati, quatuor idearum correspondentium ordines constituunt. *Avec des sentiments et des facultés, l'homme fait une intelligence*, ait ille auctor.

PUNCTUM SECUNDUM. — De variis idealistarum systematibus.

I. Plato, in mente humana veritates necessarias et immutabiles agnoscens, supra entia creata et contingentia *archetypos* statuit existere, id est, æterna rerum exemplaria, mundum *intelligibilem*, mundum *idearum* efformantia. Sed quid sentiendum esset de hujusmodi idearum natura, quid ipse senserit, non liquet. Dicebat esse *aliquid divinum*, sed non satis clare et aperte locutus est.

II. Plures Ecclesiæ Patres, præsertim S. Augustinus, multis in locis, has admittentes ideas absolutas, eas reponebant in ratione divina, in ipsamet essentia Dei, ubi mens nostra eas contemplatur. Marsilius Ficinus in xv° seculo idem expresse propugnavit.

III. *Descartes*, qui certe non admittebat omnes ideas ex sensibus oriri, ut, ex iis quæ dixit de idea Dei et de ideis innatis, patet, suam clare non exposuit sententiam circa idearum naturam.

IV. Celebre vero est systema a P. *Malebranche* excogitatum et a pluribus deinde propugnatum, saltem quoad principales ejus partes.

Juxta hunc auctorem, distinguenda est perceptio ab ipsa idea. *Perceptio* est ea dispositio *subjectiva* qua mens conscia est se aliquid sentire vel cognoscere : per *ideas* vero intelligendæ sunt illæ veritates absolutæ, immutabiles, universales, æternæ quæ nobis exhibentur. Duplex enim existit cognitionum ordo :

1° *Sensus*, qui omnes modificationes et affectiones mentis complectuntur : per eos mens nihil proprie intelligit, sed tantum de statu suo actuali admonetur, quem ita experitur ut quid in se sit percipere nequeat. Sensus nihil nisi contingens repræsentant et hujusmodi cognitiones objective sicut et subjective in mente sola reperiuntur.

2° *Ideæ*, quarum characteres supra assignavimus, et quæ proprie sunt visus mentis, ac proinde aliquid vere existens, nam nihilum percipi nequit. Ideæ, cum sint necessariæ, æternæ, universales, in mente humana reperiri non possunt, sed in Deo qui omnia contemplatur in seipso, ubi ab æterno videt rerum exemplaria essentiasque et ipsarum relationes, quæ quidem non habenda sunt ut entia absoluta. In eo igitur veritates absolutas conspicimus, bonitatem, justitiam, etc. In eo etiam percipimus extensionem, non quidem realem quæ in corporibus solum existit, sed intelligibilem cum innumeris figuris earumque proprietatibus et relationibus quas in conceptu suo complectitur. In iis enim omnibus reperiuntur supradicti characteres, mentibusque nostris illæ veritates

affulgent independentes ab omni existentia, imo, saltem ordine rationis, antecedentes ad existentiam.

Quadruplicem cognoscendi modum distinguit præclarus philosophus. Rem quamlibet, inquit, cognoscimus, vel in seipsa, vel in ipsius forma archetypa ; vel de illius existentia per sensum intimum admonemur, vel denique per conjecturas illam esse advertimus.

1° Deus, et Deus solus, in se cognoscitur, id est, aliquantulum menti sese manifestans ipsamque afficiens, objectum immediatum est perceptionis qua cognoscitur. Etsi enim res creatæ mentem afficere possent, infinitum tamen et æternum nunquam ipsi exhiberent. Deus mentibus intime præsens, eas pro voluntate sua illuminat, sicut sol proprio lumine videtur.

2° Corpora quæ nullam habent proportionem cum mente et illam immediate afficere nequeunt, in seipsis non videntur ; sed in formis archetypis apud Deum existentibus, in ea extensione intelligibili, de qua modo, quæ, occasione sensationis adjunctæ, ad talem figuram determinata exhibetur.

3° Mentem nostram solo sensu intimo cognoscimus, quo de statu actuali admonemur : ideo de ea disserere *a priori* non possumus, sed tantum post habitam experientiam. Deus qui, in quantum vult, se nobis manifestat, ideam mentis, propter rationes sibi notas, exhibere noluit.

4° Animas cæterorum hominum non uno ex præcedentibus modis novimus, sed tantum per *conjecturas*, videlicet, observando in eis easdem operationes quas fieri in nobis sentimus et exinde concludendo. Cognitiones *conjecturis* fundatæ, quanquam non immediatæ, possunt tamen esse certæ. (*De la recherche de la vérité, liv.* 3, 2e *partie, ch.* 7).

V. Contra hanc doctrinam fortiter insurrexit *Arnauld*, in libro cui titulus : *Des vraies et fausses idées.* Totis viribus contendit, 1° ideam esse ipsummet objectum menti præsens, eamque a perceptione non esse distinctam, ac proinde perceptiones, ex natura sua, objectorum esse re-

præsentatrices; 2° non tantummodo corporum imagines, sed ipsamet corpora immediate videri; 3° non solum mentis nostræ existentiam, sed et ipsius naturam nos cognoscere, licet imperfecte. Ut has assertiones contra suum adversarium tueatur, multa et sæpe subtilissima congerit argumenta.

VI. *Leibnitz* in omni *monade* agnoscit rerum repræsentationes quas vocat *perceptiones*, et quæ in mente humana earum conscientiam obtinente fiunt *apperceptiones*. Essentiale admittens discrimen inter veritates contingentes et veritates absolutas, contendit nos omnia in mentibus nostris videre. Propugnat ideas innatas, quæ in nobis sunt quasi *venæ in marmore*, et efficiuntur distinctæ jugi Dei influxu ac supremæ illius monadæ *fulgurationibus*. « *C'est dans ce sens*, inquit (*Exposition de la « doctrine, etc., Pensées*, 397), *qu'on peut dire que nous « voyons tout en Dieu.* » An vero idearum absolutarum et æternarum, quas sedulo notat, externum admiserit objectum, an ideas innatas consideraverit tantum ut dispositiones subjectivas; an *fulgurationes* Dei habuerit tanquam illuminationes veritatis ad sensum S. Augustini, P. *Malebranche*, etc., definire non possumus : attamen, ad eas tanquam modificationes habendas inclinare videtur. (*Lettre à M. Remond*, etc.)

VII. Circa idearum naturam philosophi Scoticæ scholæ eamdem videntur habere sententiam ac *Arnauld*. Tenent varias notiones successive, juxta occasiones, efformari et acquiri De ipsorum analysi psychologica jam aliquid diximus in II Dissertatione gallica ad calcem Logicæ.

VIII. In memoriam pariter revocanda sunt quæ in dissertationibus gallice scriptis de philosophorum germanorum sententiis diximus.

SECTIO SECUNDA.

Quid, juxta nos, sentiendum sit de hac difficili quæstione.

Post S. Aug., *Malebranche*, *Bossuet*, *Fénelon*, card. *Gerdil*, etc. duplicem distinguendum esse cognitionum

ordinem arbitramur, scilicet, 1° perceptiones quarum objectum et subjectum sunt ipsa mens talem vel talem affectionem experiens; v. g., dolens, gaudens, sentiens, etc.; et 2° ideas puras, quæ veritates absolutas et æternas exhibent. De quibusdam cognitionibus prioris ordinis dicemus ubi de consectariis unionis mentis cum corpore; de aliis jam locuti sumus.

Veritates autem absolutæ et æternæ, quæ sunt objecta idearum purarum, extra nos sunt positæ et a nobis independentes : per seipsas existunt. Si proprietates illarum sedulo expendamus, ad eas in ipsa Dei essentia reponendas deducimur. Deus enim ab æterno percipit in semet-ipso quid facere possit, in quo gradu perfectiones suas entibus contingentibus communicare valeat, et quidquid perfectionis est in creaturis eminenter continet.

Ad hunc cognitionum ordinem pertinent omnes rerum possibilitates seu essentiæ; ipsarumque relationes variæ, quas ut entia absoluta non habemus, sicut supra jam advertimus; hæ sunt æternæ et immutabiles, præsertim idea entis infiniti, bonitatis, justitiæ absolutæ, etc. Eo sensu, ut plurimi interpretantur doctores, accipienda sunt sequentia Evangelii verba : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.*, 1, 9).

Ad ideas puras referri posse videntur *ideæ generales*, quæ sunt ideæ proprietatum omnibus alicujus classis individuis communium, et essentiam specificam vel genericam rerum efformant.

Eis sæpe adjungimus practice quasdam sensationum recordationes ad priorem classem superius expositam manifeste pertinentes. Imo aliquando *generales ideas* vocamus vagas et confusas recordationes, v. g., albi, nigri, quæ in se alterius non sunt speciei quam ipsa sensatio cujus debiles sunt renovationes.

His notatis, quæstio de origine idearum minus intricata est :

1° Affectiones, quarum objectum est mens ipsa varie modificata, nascuntur in mente quando adest et agit earum causa, quæ multiplex est; vel enim ab ipso Deo

excitantur, vel ex contemplatione ideæ jam existentis oriuntur, vel ex præsentia cujusdam objecti corporei veniunt, et sunt *sensationes* de quibus infra, vel ex memoriæ exercitio ducunt originem, etc.

2° Ideæ puræ immediate a sensibus nullo modo repeti possunt : nam 1° objectum ideæ ab objecto sensationis essentialiter discrepat et quæcumque mentis operatio tale discrimen auferre non potest. 2° Habemus ideam Dei positivam; at nullus sensus talem ideam producere potest. Hæc autem idea, licet positiva, est valde incompleta et essentialiter differt a *visione intuitiva* per quam *videbimus* Deum *sicuti est*, I, Joan. III, 2, et attingemus illius mysteria quæ non nisi per revelationem nunc noscere possumus. 3° Idem dicendum est de ideis *justitiæ*, *pulchritudinis*, *veritatis*, etc., quas generales ideas non magis acquirere possumus immediate, ope sensuum, quam cæcus ex sonis deducere potest ideas colorum. 4° Objectum ideæ puræ accipitur primo aspectu ut necessarium, et, ut tale, ab experientia independens. Ergo, etc.

Si autem ideæ puræ a sensibus oriri nequeunt, multo minus dici potest ipsas mentis facultates et operationes nihil aliud esse quam sensationes transformatas : nemo enim non videt has operationes essentialiter differre ab impressionibus organorum vel ab earum affectionum perceptione. Quis, v. g., sibi persuadere poterit facultates comparandi, judicandi, ratiocinandi, etc., ad unicam sentiendi facultatem reducendas esse? Nonne naturalis verborum sensus omnino perturbaretur?

Undique ergo ruit sensualistarum systema, et præsertim systema *Condillac*, quod in pluribus visum est abjectæ materialistarum doctrinæ nimis favere, quamvis auctor materialista certe non fuerit : omnem enim mentis activitatem tollere et ipsam sensibus subdere videtur.

Neque objiciatur mentem sensibus orbatam nullas habere ideas : inde enim sequitur mentem in præsenti constitutione nostra ita corpori esse unitam ut in exercitio facultatum suarum ab illo pendeat, non vero eam omnes ideas suas per sensationes obtinere.

3° Patet, ex dictis, ideas generales quascumque ex sensibus ortum habere non posse.

4° Concludendum ergo videtur ipsum Deum, quando de ideis puris agitur, mentem nostram afficere eamque illuminare, manifestando rerum proprietates intrinsecas, vel relationes possibiles inter eas, quas in seipso videt, id est, in ratione sua æterna, independenter ab omni existentia, imo antecedenter ad omnem existentiam, siquidem non agit nisi juxta æterna hæc exemplaria. Ad ponendam autem hujus illuminationis conditionem, de lege ordinaria, activitatem nostram debemus exercere, ut dicemus infra.

5° Quomodo autem videantur corpora, explicare valde difficile est. In his perceptionibus reperitur sensatio peculiaris in mente objecti aliquomodo repræsentativa; illi, ex lege a Deo statuta, adjungitur idea essentiæ corporis cum suis attributis, inadæquate quidem concepta, ita tamen ut proprietates, quas in ea generali idea percipimus, huic externo objecto, statim et absque experientia, applicemus. Adjunctio illa adeo est intima ut perfecte una videatur perceptio, nec nisi analysi subtili resolvi queat. Dicimus sensationem *repræsentativam*, quia reipsa objectum aliquo modo in mente repræsentatur, eo sensu quod ejus forma, color, etc., percipiuntur. Non intendimus autem explicare modum quo visio rei corporeæ in mente ipsa fiat.

In materia tam difficili, quod probabilius videtur, simpliciter exponimus.

6° Circa ideas innatas mentem nostram sic aperiemus: eas non admittimus eo sensu quod ideæ istæ ab initio distincte affulgeant, nec eo sensu quod in anima ab ipsius creatione sint impressæ, quasi venæ in marmore, juxta comparationem *Leibnitz*, qui forte id de idea objective et subjective sumpta non intelligebat, ut advertimus, sed solum de dispositione subjectiva. Necessitatem actualis cogitationis, ad mentem Cartesianorum, non comprehendimus: forte saltem quidam sensus menti necessarius est; sed positive nec affirmare nec negare audemus.

Ideæ eo sensu sunt innatæ quatenus ingenitæ sunt omnes animæ facultates, seu quatenus innatus est intellectus, qui positis quibusdam conditionibus, ideas et veritates intuetur. Conditiones autem sunt quædam evolutio corporis, institutio ab hominibus accepta, mentis attentio, loquelæ communicatio, variarum facultatum super ideas jam acquisitas vel sensationes exercitium : nihil ultra determinare possumus.

Ex hac idearum theoria intelligitur ac refellitur error philosophorum, qui ex identitate idearum deducendam esse volunt identitatem substantialem omnis rationis : ratio enim *objective* sumpta una est; *subjective* autem spectata, individua est.

Hinc notat cardinalis *Gerdil* nos, in ea sublimi doctrina, nobilissimo vinculo spiritualiter ac intellectualiter invicem uniri (*Principes métaphysigues*, etc.).

Vide P. *Thomassin*, plurimos Patres citantem, de Deo, l. 1, cap. 14; l. 2, cap. 18, etc. *Bossuet, Connaissance de Dieu et de soi-même, ch. 4, n. 3; Fénelon, Exist. de Dieu, 2e part.* Vide etiam Card. *Gerdil, Défense du sentiment du P. Malebranche* (*Œuvres*, t. IV); *Principes métaphysiques de la morale chrétienne*, (t. II), etc. Hæc opera doctiss. card. et alia iisdem principiis nixa in approbationibus prævis valde commendantur (edit Rom. 1806).

§ II. — De expressionibus idearum seu de linguarum institutione.

In triplici sectione dicemus 1° de significatione vocum quibus linguæ componuntur; 2° de inventione linguarum, et 3° de inventione scripturæ.

SECTIO PRIMA.

De significatione vocum quibus linguæ componuntur.

Petitur an omnes voces quibus constant linguæ signa sint arbitraria, ita ut nullam habeant connexionem necessariam cum ideis quas manifestant.

Certum est quosdam esse sonos qui plus minusve naturam imitantur, et eo ipso aptiores sunt ad exprimendas ideas et affectiones mentis : inde nascitur harmonia imi-

tatrix, quæ omnibus speciosa videtur et gratissima est; absentia enim et insensibilia objecta aliquo modo pingit vocibus, et quasi vivida ante oculos sistit.

Attamen voces istæ essentialem non habent connexionem cum ideis quas significant; nam si talem connexionem haberent, easdem ideas apud diversos populos semper excitarent, sicut risus, gemitus et lacrymæ eosdem affectus mentis ubique exprimunt : atqui nullæ sunt voces quæ easdem ideas apud diversos populos semper et ubique excitent, imo nullæ sunt quæ aliquam mutationem ab initio mundi non subierint, remanentibus iisdem ideis : ergo arbitraria est earum significatio.

Plurima hic observanda sunt, videlicet :

1° Supposita quarumdam vocum significatione determinata, maxime convenit ut, pro similibus objectis, similes instituantur voces, quæ ex primis vocibus tanquam e radicibus suam ducant originem; v. g., significatione vocis *tres* et vocis *angulus* semel determinata, figura vel corpus tribus angulis et tribus lateribus constans vocari debet *triangulum*, et insulse appellaretur *circulus* vel *quadrangulum*. Ilujusmodi nomina dicuntur derivata et in omnibus linguis sunt usitata; sed præsertim in hebraica et græca, in quibus omnia sunt sibi concatenata et a paucis radicibus accurata generatione descendunt. Verum naturalis hæc derivatio vocum non impedit quin earum significatio sit arbitraria sensu supra exposito.

2° Ideæ simplices proprias habent voces quibus exprimuntur : sed ideæ compositæ numero præstant vocibus ad eas significandas excogitatis : ideo plures ideæ eidem voci annexæ fuerunt, diversæque admissæ sunt figuræ, tum verborum, tum cogitationum, et diversi modi easdem voces pronuntiandi vel in sermone ponendi, sicque varios status animi exprimendi. Hinc, v. g., in usu communi, aliud est dicere : *Falsum loqueris*, et aliud, *Mentiris*; vox enim *mentiris* quamdam ideam contemptus primæ significationi addit, unde fit ut auditor plus offendi soleat. Aliud etiam est dicere sono vocis moderato et vultu sereno, *Recede a me*, et aliud eadem verba sono

vehementi et cum iracundiæ signis proferre; aliud iterum : *Non adeo miserum est mori*, aliud vero, cum poeta, *Usque adeone mori miserum est?* (Virg. *Æn.*, XII, v. 646.) Igitur linguæ, præsertim veteres et mortuæ, perfecte edisci nequeunt, nisi assidua optimorum auctorum lectione.

3° Quamvis significatio vocum sit arbitraria, nihilominus quædam natura sua sunt obscenæ et turpes, quia ex communi usu aliqua ipsis annexa est impudentiæ et protervitatis idea. De rebus obscenis loqui vel disserere per seipsum quidem non esse illicitum patet exemplo theologorum, concionatorum, medicorum, etc.; res enim istiusmodi per selectas voces honeste exprimi possunt. At per alias voces, aut etiam per easdem voces, cum nonnullis adjunctis prolatas, turpiter semper exprimerentur. Quicumque ergo honestatis est amans, verbis ac locutionibus, decentia morum communiter reprobatis, nunquam utetur, sub prætextu quod ex seipsis nihil mali habeant.

SECTIO SECUNDA.

De inventione linguarum.

Certum est 1° una lingua semel inventa vel traditione accepta, homines potuisse linguam suam perficere, novas voces instituere, innumeras verborum compositiones (*combinaisons*) efformare, et ita sine sensu alias atque alias linguas procreare. Id enim jugi experientia confirmatur et a nemine in dubium revocatur.

Certum est 2° hominem primam linguam de facto non invenisse, sed eam ab ipso Creatore accepisse : ex historia quippe Genesis, fide dignissima, constat primos totius generis humani parentes usum sermonis habuisse; Adam enim cum Deo loquitur. Eva audit serpentem illique respondet; Cain et Abel secum conferunt, etc. Nullum igitur fuit tempus in quo aliqua non exstiterit lingua.

Tota igitur quæstio est an homines primam linguam adinvenire potuissent.

Affirmat *Condillac* : imo, variis in locis et præsertim

in Grammatica sua (1 part., c. 8), et in Logica (2 part., *Lectures indiquées*, c. 2) supponit primam linguam ab hominibus fuisse inventam. Describit enim naturalem methodum quam primi homines sequi debuerunt ut suam instituerent linguam : 1°, inquit, de præsentia objectorum externorum per sensationes admoniti sunt ; 2° per naturalia aut arbitraria signa suas affectiones aliis communicaverunt, et tunc fuit locutio actionum ; 3° deinde quosdam cœperunt emittere sonos quibus nonnullos naturæ effectus, v. g., tonitrua, ventos, mugitus boum, hinnitus equorum imitarentur, etc. ; 4° a rebus sensibilibus ad res spirituales transierunt, easque sonis articulatis per analogiam expresserunt ; 5° postea suas sensationes suasque ideas secum comparantes, novos deprehenderunt respectus, novas experti sunt necessitates, quas ut exprimerent, novas excogitaverunt voces ac locutiones, sicque paulatim formatæ sunt linguæ. Multi recentiores hanc amplexi sunt doctrinam.

Rousseau (*Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes*, 1 *part.*) supponit homines aliquando fuisse silvaticos et nullam habuisse societatem in prima origine, nisi cum feris ; et tamen, cum sibi occurrit quæstio de inventione linguarum, sic concludit, pag. 67 :

« *Quant à moi, effrayé des difficultés qui se multiplient, et convaincu de l'impossibilité presque démontrée que les langues aient pu naître et s'établir par des moyens purement humains, je laisse à qui voudra l'entreprendre la discussion de ce difficile problème : Lequel a été le plus nécessaire, de la société déjà liée à l'institution des langues, ou des langues déjà inventées à l'établissement de la société ?* » Vide *l'Encyclopédie*, art. *Langue*.

De Bonald (*Législation primit., Discours préliminaire*, t. 1, c. 1er ; et t. III, *Dissert. sur la pensée de l'homme et son expression ; Recherches philosophiques*, c. 8) recte notat homines habere posse sensationes et rerum sensibilium imagines distinctas, easque signis manifestare, sicut omnes infantes, sola duce natura, facere consueverunt. At

simul contendit homines non solum primam linguam per seipsos invenire non potuisse, sed nec ullam ideam rerum pure intellectualium habere sine nominibus eas exprimentibus. Suam opinionem sic probat :

1° Nihil cognoscimus, nisi objecta per characteres sibi proprios distinguamus. Objecta sensibilia per circumstantias quibus terminantur distinguimus : sed objecta intellectualia a se invicem distingui non possunt, nisi propriis nominibus donentur. Ergo, etc.

2° Cogitare, est nobismetipsis interius loqui : porro nobismetipsis interius loqui non possumus nisi per verba interna : ergo ideas rerum intellectualium habere non possumus, quin propria earum nomina habeamus, id est, quin simul eas verbis expressas apud nos videamus.

3° Quotidie intra nos quærimus ideas olim habitas, easque non obtinemus, nisi illarum expressiones simul habeamus. Qui linguam ignotam, latinam, v. g., vel græcam, in linguam notam convertit, et facit quod vulgo dicitur *versio*, quærit ideas verbis ignotis sub oculis suis positis affixas, et eas nunquam invenit quin verbis istis voces sibi notas substituat. Ergo, etc.

4° Homines ex natura sua destinati sunt ad societatem, ut alibi demonstrabimus. Quod igitur ab ipsorum inventione pendet, ad societatem necessarium esse non potest : atqui tamen linguæ necessariæ sunt ad societatem ; impossibile est enim concipere homines in societate viventes, et nullam linguam habentes. Ergo, etc.

5° Plurima facta hanc opinionem confirmare videntur : 1° surdi a nativitate non tantum sunt muti, sed nullam ideam rerum intellectualium aut absentium habere videntur ; ubi vero per gestus et signa hæc objecta ipsis exprimuntur, illa concipiunt, et modo sibi proprio manifestant ; 2° qui extra consortium hominum a tenera infantia vixerunt, vere similes sunt bestiis agrorum ; non loquuntur, nihil percipere videntur, nulla rationis indicia exhibent, ut patet exemplo puellæ casu repertæ, de qua *Racine* (*Epître sur l'homme*, vers 26, *note et éclaircissements*, etc., page 301).

Quemadmodum igitur objecta in cubiculo ex omni parte occluso contenta, sunt, respectu oculorum, quasi non existerent, et aperta fenestra, statim manifesta fiunt; sic est intellectus noster, inquit auctor : nullam habet perceptionem seu visionem, ne quidem sui ipsius, nisi illuminetur : at si verbum humanum in ipsum descendat per auditum, sicut radii solis in dictum penetrant cubiculum, tunc quasi vocatæ accurrunt ideæ et dicunt : *Adsumus*.

Hinc 1° dantur ideæ innatæ rerum intellectualium et moralium in mentibus nostris a Deo impressæ, quæ quasi sopitæ remanent donec, ope luminis per verbum accepti, eas percipiamus et velut scriptas legamus.

Hinc 2° concludendum est facultatem loquendi hominibus esse naturalem, et loquelam esse acquisitam. Deus illam primis parentibus nostris concessit; societas eam conservat et velut hæreditatem perpetuo transmittit. Artes igitur, scientias et quidquid habemus in ordine morali, a societate, et mediante societate, ab ipso Deo accepimus.

Talis est in substantia doctrina D. *de Bonald* circa linguarum originem. Ea admissa, funditus ruunt varia systemata a recentioribus philosophis excogitata, quibus omnia falso tribuuntur homini et nihil Deo.

Nullo modo tamen intendimus affirmare eam omni ex parte esse probatam. Imo illam dicimus plurimis obnoxiam esse difficultatibus, et latam aperire viam gravissimo errori, quo omnia tribuuntur auctoritati et nihil rationi.

SECTIO TERTIA.

De inventione scripturæ.

Quæritur an modus cogitationes mentis per scripturam exprimendi ab hominibus fuerit inventus.

Solis naturæ viribus, existente loquela, adinvenire potuerunt homines prima expressionis idearum monumenta quibus usi sunt, figuras depictas, funiculos innodatos quibus Peruviani utebantur, lapides numeratos, fragmenta lignorum aliquo ordine disposita, hieroglyphos olim per-

celebres et ipsos characteres ideas singulatim exprimentes, quales eos adhuc retinent Sinenses.

Verum controvertitur inter eruditos an modus scribendi apud nos usitatus ab hominibus fuerit inventus, an vero divinitus fuerit concessus.

Contendit D. *de Bonald*, speciali hac de re dissertatione (*Recherches philosophiques*, c. 3), perfectissimam hujusmodi artem cunctas vires humanas omnino superasse, proindeque ab ipso Deo concessam fuisse Moysi, vel, ante Moysen, Hebræis, et ab Hebræis ad alias nationes transiisse. Præcipuæ rationes quibus nititur, sunt :

1° Aliquam linguam scribere non potuissent homines, nisi sonos articulatos resolvendo et exprimendo : atqui sonos articulatos sic resolvere et exprimere non potuissent: nam illos sic resolvere et exprimere per characteres aut per nonnullorum characterum compositionem, jam ipsa est ars scribendi. Quemadmodum ergo sermo necessarius fuisset ad excogitandum sermonem, sic et ars scribendi ad inveniendam scripturam.

Et vero, qui audiret Anglos, Germanos, Indos, Sinenses, etc., propriam linguam loquentes, eam ignorans, certe sonos sic articulatos resolvere et exprimere non posset : ergo a fortiori, etc.

2° Scriptura inveniri non debuit nisi longe post formationem linguarum : attamen jam perfecta erat tempore Moysis, qui sexcentum annis ante Homerum vivebat. Unde concludunt philosophi illam non paulatim crevisse, sed completam statim, sicut lumen, oriente sole, apparuisse : porro tam subita perfectio cum consuetis hominum adinventionibus conciliari non potest. Ergo, etc.

3° Universæ traditiones originem scripturæ populo hebræo tribuunt, aut populis ab Hebræis descendentibus vel cum Hebræis conjunctis : suadent ergo Deum hanc artem populo israelitico cum lege sua vel ante legem suam concessisse.

Plures alias rationes exponit illustris auctor; sed nec illæ tanti sunt roboris ut ipsius sententiam solide probare videantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LIBERTATE HUMANA.

Plurima de libertate in genere supra notavimus, p. 311.

Non de libertate a coactione hic agitur, sed de libertate a necessitate, quæ dicitur libertas electionis.

Vocatur etiam libertas indifferentiæ, quia mens ante electionem tam unum quam alterum assumere potest. Non tamen requiritur ut æqualiter ad utrumque feratur; namque, licet gravioribus motivis vel majori propensione ad unum inclinetur quam ad alterum, est nihilominus libera, si expeditam habeat facultatem ad oppositum se convertendi. Essentia igitur libertatis in *æquilibrio* virium hinc et inde oppositarum non consistit, ut quibusdam placuit.

Notandum est aliud esse voluntarium et aliud liberum. Illud est *voluntarium* quod fit secundum voluntatis inclinationem, sive sit necessarium, sive non : illud vero est *liberum* quod ex vera electione procedit. Unde omne liberum est voluntarium, sed omne voluntarium non est liberum. In pluribus affectionibus mentis non sumus liberi, quia expeditam non habemus facultatem ab illis abstinendi; v. g., externis objectis in sensus nostros agentibus, gratas vel ingratas sensationes experimur, quæ voluntariæ sunt vel involuntariæ, non vero liberæ, nisi in quantum habemus potestatem objecta externa removendi aut fugiendi. Item ubi de bono in genere agitur, non sumus liberi; solum enim nihilum bono in genere, seu absoluto, opponitur : atqui mens eligere non potest inter totum et nihil. Hinc felicitatem nostram in genere necessario quærimus. Si ergo supremum bonum sub omni respectu nosceremus, nulla ratione ab illo divelli possemus, et ideo nunquam operaremur malum. At cum, in præsenti rerum ordine, multis involvamur tenebris, et felicitatem nostram in diversis objectis ponere valeamus, petitur an in ordinariis voluntatis nostræ actibus simus liberi, an vero aliqua necessitate constringamur.

Plurimi contendunt nos in cunctis actibus nostris necessitate esse constrictos. Sic 1° inter veteres, Stoici, qui tenebant omnia, ne divinitate quidem excepta, ineluctabili fato esse subjecta.

2° Plures pantheistæ, sive veteres, sive recentiores, ut *Spinosa*, *Hegel*, etc., suis stantes principiis, libertatem negant. Imo, *Hegel* librum scripsit cui titulus *Logique de l'être*, ad exponendas evolutionum entis leges necessarias. Hoc est systema historiæ *a priori* quod quædam schola, certe non pantheistica, suo modo temperatum propugnat.

Alii pantheistæ, feliciter quidem, licet haud logice nec consequenter, libertatem admittere videntur.

3° Manichæi, qui docebant nos bonum aut malum necessario agere, prout principium bonum aut principium malum, juxta ipsos, prævaleret.

4° Mahumetani volunt omnia supremo Dei decreto antecedenter esse determinata. Astrologi judiciarii olim somniarunt nos influxu siderum necessario duci.

5° *Hobbes* liberum arbitrium negabat, nec libertatem admittebat nisi in actu externo.

6° Protestantes aliique hæretici, volentes nos ad bonum per gratiam, vel ad malum per concupiscentiam semper prædeterminari, notiones *voluntarii* et *liberi* commiscent ac libertatem proprie dictam tollunt : a theologis specialius confutantur.

D. *Cousin*, aliis rationibus ductus, similiter, pluribus in locis, *voluntarium* cum *libero* confundere videtur.

7° Quidam recentes physiologistæ, asserentes cunctas actiones nostras a nonnullis dispositionibus physicis necessario pendere. Ita præsertim doctor *Gall*, qui, licet sæpe sugillatus, prætendit tamen se, calvarium inspiciendo et tangendo, uniuscujusque habitus morales infallibiliter cognoscere. Nonnulli libertatem et spiritualitatem mentis humanæ cum illius doctrina conciliare volunt. Sic in primis *Damiron*, t. 1er, et alii. De illius systemate fusius infra agemus.

8° Denique omnes materialistæ libertatem communiter

tollunt ; materia enim semper concipitur passiva, nunquam vero activa et eligens.

9° *Leibnitz* ejusque discipuli libertatis notionem tradunt quæ ipsammet auferre videtur. Horum principia refellemus in solutione objectionum.

Nota. Quamvis *Euler* aliique philosophi contenderint libertatem spiritibus essentialem esse, videtur certum Deum nos ita constituere potuisse ut saltem non haberemus facultatem faciendi malum. Nunc quæstio est an expeditam habeamus facultatem eligendi.

PROPOSITIO.

Mens humana vere est libera.

Prob. Hoc factum certo admittendum est quod est de fide, constat Scriptura sacra, Patrum testimoniis, sensu intimo, consensu populorum, absurdis *fatalismi* consectariis et argumento ad hominem : atqui his monumentis existentia humanæ libertatis constat. Omittimus canones concil. Trid., testimonia Scripturæ sacræ et SS. Patrum, quæ in Tractatu *de Actibus humanis* referuntur. Præsentem igitur propositionem hic probaturi sumus sensu intimo, consensu populorum, etc.

1° *Sensu intimo.* Namque sensu intimo de præsenti statu animæ nostræ infallibiliter judicamus : ita certi sumus nos existere, cogitare, sentire, judicare et ratiocinari; quicumque has veritates negaret, ut insanus ab omnibus haberetur, nec cum illo disputandum esset : atqui non minus clare sentimus nos in multis actionibus esse liberos, quam sentimus nos existere, cogitare, etc. Sic aperte sentio penes me esse vel sedere vel surgere, ambulare vel stare, brachium ad dexteram vel ad sinistram movere, manducare vel jejunare, etiam dum esurio, etc. Ergo, etc.

Et vero, si in nullis actionibus gauderemus libertate, nullum daretur discrimen inter actiones deliberatas et affectiones indeliberatas, cum nulla esset deliberatio : atqui evidenter sentimus ingens dari discrimen inter

actiones deliberatas et affectiones indeliberatas; v. g., ferrum candens manum meam tangit, eam statim retraho; sentio hunc actum non esse liberum. Sed amicus concertationem ludi mihi proponit; delibero, hæsito, et tandem precibus ejus accedo vel non accedo; ad utrumque me liberum esse sentio, etc. Ergo, etc.

Præterea, nullus est qui, post actiones indeliberatas, conscientiæ remorsus experiatur. Quis enim se accusat, quod in febri vel in somno injuriosa protulerit verba? quis, e contra, se non condemnat, si, usu facultatum suarum gaudens, aliquem occiderit, si sacrilegium fecerit, si pecuniæ summam sustulerit, etc.? Porro hujusmodi distinctio inter actiones nostras ex ipso libertatis sensu provenit. Ergo, etc.

Unde *d'Alembert*, vir incredulis non suspectus, sic habet (*Mélanges de littérature*, t. IV, n° 7): « *Des êtres véritablement libres n'auraient pas un sentiment plus vif de leur liberté que celui que nous avons de la nôtre: nous devons donc croire que nous sommes libres.* »

2° *Consensu populorum.* Unanimis enim consensus populorum, omnium temporum et locorum, invictum est veritatis argumentum, quia ex sola hominis natura provenit : atqui omnes populi, omnium temporum et locorum, persuasum semper habuerunt se in multis esse liberos. In ea persuasione instituerunt leges et fœdera, pœnas et munera; in usu habuerunt minas, preces, adhortationes, etc. Hoc historiæ punctum *fatalistæ* non negant, sed volunt unanimem illam persuasionem a necessitate etiam procedere : an in eo casu totum genus humanum ab ipso Creatore ineluctabiliter deciperetur, quod manifeste repugnat. Ergo 2°, etc.

3° *Absurdis* fatalismi *consectariis.* Nisi enim homines libertate gaudeant, sunt omnes velut automata irrationabilia, quæ huc illucque causis necessariis impelluntur. Nulla igitur est ratiocinatio, nulla proprie dicta deliberatio, nulla prudentia, nulla activitas in mente; vanæ sunt artium regulæ, nulla est boni et mali distinctio, nulla sunt crimina, nullæ virtutes; philosophi, poetæ,

oratores, historici necessitate libros confecerunt, sicut rosarium producit rosas et pirus dat pira; nullam gratitudinem parentibus et benefactoribus debemus; cura medici in morbo, diligentia et pigritia in studendo ex stricta necessitate contingunt. At quis talia consectaria non refugit indignans? Ergo 3°, etc.

4° *Argumento ad hominem.* Hodierni sophistæ, qui libertatem hominis impugnant, frequenter postulant ut plena ipsis concedatur libertas, libertas cogitandi, ut aiunt, libertas agendi, libertas scribendi, libertas eundi et redeundi, libertas quidquid libuerit faciendi. Si quædam constituantur leges ut ipsorum aliorumve cohibeantur libidines, statim conqueruntur libertatem indebite coerceri; contra magistratus, contra principes et ipsos reges furiosi inclamant, illos habentes ut tyrannos, et totidem libertatis philosophicæ oppressores. Attamen in ipsorum principiis hæc omnia indeliberata et necessaria sunt. Imo, si quis eos verberet, bonis spoliet, in carcerem conjiciat, trucidare intendat, fateri coguntur hæc ex æternis fati decretis contingere, ac proinde nihil esse quod agenti exprobari queat. His autem aliisque similibus se subjicere nolunt. Ergo eorum agendi ratio demonstrat vana et absurda esse eorum principia. Ergo 4°; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Mens nostra libera esse non potest quin sit activa : atqui demonstrari non potest illam esse activam, Ergo, etc.

R. Nego min. Illud enim velut demonstratum haberi debet quod sensu intimo omnium hominum innixum ostenditur : atqui sensu intimo omnium hominum constat mentem nostram esse activam. Illa enim est activa quæ attendit, abstrahit, comparat, judicat, ratiocinatur, seipsam determinat; atqui mens humana hæc omnia sæpe facit; ergo constat illam esse activam.

Inst. 1°. Fieri potest ut eadem necessitate qua determinamur, judicemus nos esse causam efficientem determi-

nationum nostrarum, licet *passivi* tantum simus : ergo non constat mentem nostram esse activam.

R. Nego ant. Tunc quippe universum genus humanum in gravissimum errorem ab ipso Creatore ineluctabiliter induceretur, siquidem universalis ille consensus ab ipsa natura prodiret: atqui id dici non potest. Si enim a natura in uno puncto deciperemur, nulla esset ratio cur in aliis punctis similiter non deciperemur, et tunc omnis tolleretur certitudo. Porro hæc consectaria admitti nequeunt. Ergo, etc.

Itaque si volitiones nostræ a Deo vel ab alia causa antecedenti determinarentur, eas quidem pariter sentiremus, sed non judicaremus invincibiliter nos esse causam illarum efficacem, nec expeditam sentiremus facultatem oppositum eligendi. Imo ineluctabilis determinatio et tale sensus intimi testimonium sese mutuo excludunt. Unde caloris et frigoris sensationes experimur; sed invincibili propensione non ferimur ad judicandum eas esse liberas. Ergo, etc.

Inst. 2°. Nihil deliberate mens agit sine motivo quo determinetur: ergo seipsam non determinat, nec proinde est activa.

R. Dist. ant. Nihil deliberate mens agit sine motivo interno vel externo quo determinetur, id est, propter quod se determinet, *conc.;* quo efficaciter sicut ab agente determinetur, *nego ant.* Mens quidem deliberate non agit sine aliquo motivo quo innitatur; sed motivum istud, si sit menti externum, non est principium determinationis nostræ; nam sensus intimus apud omnes testatur hanc determinationem ex propria voluntate procedere. Motivum quo sæpe unice nitimur, vel saltem propter quod nosmetipsos ultimo determinamus, est ipsum libertatis exercitium. Stat pro ratione voluntas. Ergo, etc.

Inst. 3°. Eadem motiva eodem modo semper determinant homines in similibus circumstantiis : ergo motiva efficaciter mentem determinant.

R. Nego ant. Frequenter enim videmus homines in iisdem circumstantiis constitutos, eumdem finem sibi pro-

ponentes, et tamen diversa media ad hunc finem assequendum eligentes : v. g., tres fratres in domo paterna adhuc existentes, divitias sibi comparare volunt; unus eligit negotium, alter quamdam exercet artem, et tertius aliam professionem amplectitur; tres viri eruditionem acquirere exoptant, ut apud omnes habeantur docti; nihil aliud sibi proponunt; sed unus litteraturæ, alter linguis et alius historiæ operam dabunt, etc. Ergo eadem motiva non semper eodem modo mentem determinant. Similiter ob diversa motiva eadem fit determinatio : sic hodie domi maneo, quia studere volo; cras manebo, quia litteras scribam; die sequenti, quia amicum exspectabo, etc. Unde apparet determinationem nostram aliunde provenire quam ex motivis.

Inst. 4° Sæpe prævidetur et infaillibiliter judicatur quid in his aut in illis circumstantiis acturi sint homines, et in hac prævisione fundatur scientia politica : ergo circumstantiæ et motiva homines reipsa determinant.

R. 1° *Nego ant.* Semper enim nonnulli reperiuntur qui sicut alii facere nolunt : ergo non infallibiliter, sed ex conjecturis tantum prævidetur quid acturi sint.

R. 2° *Nego conseq.* Non enim necessitate agendi, sed usu futuro libertatis fundatur hæc prævisio; ex experientia et cognitione eorum quæ communiter accidere solent, eruitur : ergo libertati non nocet. Constat ita dispositos esse homines ut gravi motivo sibi oblato communiter non resistant, quamvis sentiant se facultatem habere non acquiescendi. Hinc, habita ratione indolis, morum, educationis, religionis, etc., sive hominum in genere, sive specialiter populorum et nationum, facile prævidetur paucos ex magna multitudine pœnas civiles aut capitales esse contempturos, bona temporalia, honores, divitias, voluptates esse aspernaturos, nisi gravibus motivis ab illis divellantur; sicque viri rerum politicarum periti convenientes statuunt leges, et quæque negotia prudenter ducunt. Attamen evidentia, omnium sensu et testimonio certum est hæc nullam imponere necessitatem. Ergo, etc.

Inst. 5° Infallibiliter judicatur plerosque homines his

motivis determinandos fore : ergo illorum determinatio cum dictis motivis necessariam habet connexionem.

R. Nego conseq. propter rationem allatam ; illud enim judicium, licet infallibile, non connexione ineluctabili inter determinationem et motiva existente nititur, sed consueta agendi ratione hominum : si de uno tantum ageretur, non nisi probabiliter prævideri posset quid in tali circumstantia acturus esset : si de pluribus quæstio moveretur, probabilius judicaretur aliquos hoc vel illud acturos esse : si vero de multis, tunc non solum probabiliter aut probabilius, sed infallibiliter pronuntiari potest plerosque hoc vel illud facturos esse, quia alioquin subverterentur leges quibus intelligentiæ humanæ reguntur. Ergo, etc. Nihil tamen inde adversus libertatem humanam sequitur. Res illustratur exemplo : si unus testis factum aliquod referat, ipsius testimonium erit duntaxat probabile, quia timendum est ne deceptus fuerit aut decipere velit ; si plures testentur se idem factum vidisse, testimonium eorum plus minusve probabile erit, secundum circumstantias : si autem multi in eodem testimonio sint concordes, tunc non amplius probabilitas, sed omnimoda habetur certitudo. Ergo a pari, etc.

Inst. 6° Ille motivis determinatur, qui ex duobus æqualibus alterutrum et ex duobus inæqualibus minus perfectum eligere non potest : atqui homo ex duobus, etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Testatur enim sensus intimus nos in utroque casu perfectam habere facultatem eligendi. Ergo, etc.

Inst. 7° In utroque casu veram eligendi facultatem non habemus, si quod melius nobis videtur amplecti semper teneamur : atqui res ita se habet. Ita *Leibnitz, Wolf,* etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Ad illud enim nulla necessitate constringimur quod sæpe non facimus : atqui sæpe quod melius nobis videtur non eligimus : omnes enim speculative judicant melius esse libidines coercere, vitia fugere, virtutes colere ; et quod tamen, non obstante illo judicio, libidinibus inserviunt, propria bona dissipant, famam et honorem postponunt, sanitati corporis graviter nocent,

diversa pœnarum genera sibi parant! Quot fortiter persuasum habent æterna supplicia peccatores manere, et innumeris se coinquinant peccatis! Quot denique merito dicere possent, sicut Medea apud Ovidium (Metamorphos., l. 7, v. 19 et 20 :)

> . . . . . Video meliora proboque ;
> Deteriora sequor.

Verum est tamen voluntatem quod practice melius sibi videtur semper eligere ; id ex ipsamet electione patet. Ergo, etc.

Inst. 8°. Felicitatem nostram necessario quærimus : ergo quod melius nobis videtur amplecti semper tenemur

R. Distinguo consequens. Quod sub omni respectu melius nobis videtur, amplecti tenemur, *concedo ;* quod melius nobis videtur sub aliquo respectu tantum, *nego consequens et consequentiam.* Equidem contra naturam hominis est eligere malum præcise ut malum ; necesse est igitur ut quod melius sub omni respectu nobis videtur semper amplectamur : at non ita tenemur amplecti quod sub aliquo respectu tantum melius nobis videtur : nam eo ipso quod non sit melius sub omni respectu, mens aliud bonum, reale aut fictum, ei opponere potest, sicque deliberare et alterutrum pro nutu eligere. Porro, in præsenti rerum ordine, nullum est bonum adeo respectu nostri absolutum ut aliquid mali non exhibeat ; sic castitas, temperantia aliæque virtutes christianæ præstantia promittunt bona, sed actuales imponunt privationes ; unusquisque ergo eas spectare potest vel prout bona promittunt, vel prout ægræ sunt, et apud se deliberare utrum eas excoluerit, an vero ab illis recesserit. Ergo, etc.

Inst. 9°. Nunquam voluntas deliberate ad unum potius quam ad aliud determinatur sine ratione sufficienti : atqui nulla est ratio sufficiens cur ex duobus æqualibus unum eligat, et ex duobus inæqualibus minus perfectum amplectatur. Ergo, etc. Ita *Leibnitz.*

R. Nego min. Non enim spectanda est voluntas velut

ens passivum quod ab externa causa movetur : in eo casu duæ vires oppositæ et æquales nullum producunt effectum ; si vero sint inæquales, fortior alteram destruet : id in motibus corporum constanter observamus. Verum mens humana non est mere passiva, sed activa, et in seipsa principia determinationum suarum habet : quando igitur duo ipsi offeruntur bona æqualia, vel duo illi occurrunt similia ad eumdem finem assequendum, non magis ad unum quam ad aliud inclinabitur, et tamen alterutrum pro libitu eliget : si sint inæqualia, ad perfectius majori propensione forsitan feretur. Attamen minus perfectum assumere poterit, sine ulla ratione externa, præcise quia vult, quia sibi placet ; et interroganti cur ita faciat, respondebit : Quia volo ; stat pro ratione voluntas.

Expeditam in nobis hanc esse facultatem omnes tam evidenter sentiunt ut subtilioribus sophistarum argutiis obrui, sed non persuaderi possint, sicut per quælibet sophismata non adducerentur ad credendum se non existere, se lucem non videre, etc. Quis enim, v. g., credat se ad oppidum ire non posse quia duæ sibi occurrunt viæ perfecte æquales, aut si inæquales sint, longiorem et asperiorem se eligere non posse ? Quis fatebitur se, nulla vi impeditum, ambulare non posse ? Si vitium argumenti, juxta dialecticæ regulas, detegere nequeat, nonne statim ibit, redibit, stabit, sedebit, surget, et sic ostendet se habere facultatem ambulandi vel standi ? Sic Diogenes subtilitatibus Zenonis, adversus existentiam motus, respondit saltando et deambulando. Ergo, etc.

Inst. 10° Voluntas est facultas cæca judicium intellectus præsupponens, juxta axioma, *Nihil est volitum nisi præcognitum :* atqui judicium intellectus est necessarium ; ergo et determinatio voluntatis.

R. Dist. min. Judicium speculativum est necessarium, *transeat ;* judicium practicum, *nego minorem.* Itaque non negamus judicium speculativum esse necessarium ; sæpe enim convenientia aut disconvenientia idearum tam vivide nos afficit, ut a ferendo judicio temperare nequeamus ; sic necessario judicamus circulum et quadratum inter se

differre, bis duo dare quatuor, etc. Sed negamus judicium practicum esse necessarium; illud enim judicium non est necessarium quod electionem supponit : atqui judicium, quo, scilicet, de re præsenti facienda vel fugienda pronuntiamus, electionem supponit : diversa enim objecta aut eadem sub diversis respectibus consideramus, et apud nos decernimus quid utilius, quid jucundius sit, quid nobis magis placeat, quæ pars a nobis hic et nunc sit amplectenda. Porro hujusmodi judicium est ipsummet libertatis nostræ exercitium, ut patet. Ergo, etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA MENTIS HUMANÆ, SEU DE SPIRITUALITATE EJUS.

Magna fuit varietas opinionum inter veteres philosophos circa naturam mentis nostræ, ut videre est apud Ciceronem (Tuscul. quæst., l. 1, n. 19 et seq.). Alii enim dicebant illam esse sanguinem cordi infusum, alii quamdam cerebri partem, alii ignem puriorem, vel aerem subtilem, vel aquam tenuem, vel ætheris portionem. « Plato « triplicem finxit animam, cujus principatum, id est ra« tionem, in capite sicut in arce posuit, et duas partes se« parare voluit, iram et cupiditatem quas locis disclusit, « iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. » Sunt verba Ciceronis in loco citato, n. 20. Aristoteles, quamvis negaverit ex quatuor elementis humanam mentem conflari potuisse, finxit tamen eam esse genus aliquod elementis longe perfectius, quod idcirco quintam essentiam vocat (ibid., n. 22). Idem Cic., postquam diversas philosophorum opiniones sic retulit, ait, n. 23 : « Harum « sententiarum quæ vera sit, deus aliquis viderit; quæ « verisimillima, magna quæstio est. »

Inter recentiores, *Locke (Essai sur l'entendement humain*, l. 4, c. 3, n. 6) sic se habet : « *Nous avons des idées de la matière et de la pensée; mais peut-être ne serons-nous*

jamais capables de connaître si un être purement matériel pense ou non, par la raison qu'il nous est impossible de découvrir par la contemplation de nos propres idées, sans révélation, si Dieu n'a point donné à quelques amas de matières disposées comme il le trouve à propos, la puissance d'apercevoir et de penser, ou s'il a joint et uni à la matière ainsi disposée une substance immatérielle qui pense. » Ex his verbis, licet dubitando prolatis, patet hunc auctorem a materialistarum doctrina non satis recessisse, quamvis ipse variis in locis ejusdem operis expresse dicat mentem esse substantiam a corpore prorsus distinctam.

De La Métrie, medicus, inter plurima nefanda scripta, duo præcipue congessit, ad probandum nihil esse in homine præter corpus, sub his titulis : *L'homme machine et l'homme plante.*

Voltaire, in opere dicto, *Lettres philosophiques*, hoc profiteri non veretur : « *Je pense et je suis corps, je n'en sais pas davantage.* »

Helvétius, in exsecrabili opere, *de l'Esprit ; d'Holbach* vel *Boulanger*, vel alius, in libro portentis et absurditatibus famoso, *le Système de la nature ; Diderot*, *Naigeon*, *Cabanis* aliique ejusdem scholæ philosophi et plures hodierni physiologistæ, contendunt mentem a corpore non esse distinctam ; ideas, judicia, ratiocinia aliasque ejus operationes explicare conantur per medullæ fluxum, cerebri mollitiem aut duritiem, nervorum atque fibrarum commotiones, sanguinis et humorum commixtiones, etc.

Primo intuitu videtur quam incohærens, absurda et contemptibilis sit hujusmodi doctrina. Perpauci illam publice profiteri audent ; fere omnes nomen materialistæ velut opprobrium refugiunt. Quoniam tamen dogma spiritualitatis animæ totius moralis ac religionis est fundamentum, maxime juvat ut illud solide invicteque in sequenti propositione astruamus.

PROPOSITIO.

Mens humana est substantia a corpore distincta et omnino simplex.

Prob. prima pars, scilicet, mentem esse substantiam a corpore distinctam, Scriptura sacra, concilio Lateran. III et SS. Patrum auctoritate, consensu populorum, indivisibilitate et identitate principii cogitantis.

1° *Scriptura sacra.* Gen. 2, 7 : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; et factus est homo in animam viventem.* Ergo sunt duæ partes in homine, corpus et spiraculum vitæ, seu anima. Ecclesiast., XII, 7 : *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Pluribus in locis anima hominis vocatur spiritus, v. g., Ps. XXX, 6; I Cor., II, 11, etc. Ergo 1°, etc.

2° *Auctoritate Concilii Lateran.* III, cap. *Firmiter* supra citato, in quo definitur Deum *ex nihilo utramque condidisse creaturam, spiritualem et corpoream, et humanam quasi communem ex corpore et spiritu constantem.* Ergo 2°, etc.

3° *Auctoritate SS. Patrum*, qui in hoc puncto sunt unanimes.

4° Consensu populorum : « *La spiritualité de l'âme*, inquit *Bergier* (t. III, in-12, p. 40), *aussi bien que l'existence de Dieu, est une croyance universelle, un témoignage constant que l'humanité se rend à elle-même ; c'est la foi du genre humain... Avant qu'il y eût des philosophes, aucun peuple, aucun être raisonnable ne s'était persuadé que la matière pût penser, aucun même n'avait imaginé qu'elle pût se mouvoir. Malgré les sophismes d'Épicure, la spiritualité de l'être pensant est un dogme aussi généralement répandu que dans les premiers âges du monde. S'il y a une vérité que la nature et la conscience dictent à tous les hommes, c'est la différence entre l'esprit et la matière; aucun peuple qui n'ait des termes divers pour les désigner.* » Atqui certe talis consensus veritatis est argumentum. Ergo, etc.

5° *Indivisibilitate principii cogitantis.* Quantumvis enim

attente illud consideremus, semper advertimus esse individuum : totus ego sentio, totus cogito, totus judico, totus desidero, totus volo, etc., non vero aliqua mei pars. Si crus, si brachium mihi amputetur, si morbo vel inedia dimidiam partem substantiæ corporeæ amitto, principium in me cogitans non minuitur. Ergo a corpore est distinctum.

6° *Identitate ejusdem principii.* Idem enim nunc sum qui olim fui, qui cogitavi, volui et plurima opera feci : verumtamen partes corporis mei sunt in perpetuo fluxu; novæ quotidie acquiruntur et aliæ deperduntur, ita ut, post breve tempus, nihil ex prioribus maneat : ergo conscientia identitatis meæ non residet in corpore, sed in alia substantia a corpore distincta. Ergo, etc.

Prob. secunda pars, scilicet mentem nostram esse omnino simplicem, idque constat ex Script. et conc. Lateran., ex sensationibus, ex natura cogitationis, ex facultate judicandi, ex libertate mentis et ex ipsius operationibus.

Prob. 1° *ex Scriptura et concilio Lateran.* Nam anima expresse dicitur spiritualis, opponitur corpori : ergo ejusdem non est naturæ.

Prob. 2° *ex ipsismet sensationibus quas materialistæ tribuunt organis sensuum.* Ut enim varias experiamur sensationes, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, commovenda sunt quidem organa sensuum : at non ideo sensationes sunt effectus organorum. Nam 1° commotiones organorum sunt necessariæ ut sensationes existant, sed non sufficiunt : requiritur insuper ut mens eas advertat. Unde commotiones leves, aut graves tempore somni, syncopæ, distractiones, nullas producunt sensationes. 2° Effectus causarum corporearum debent esse corporei : procul dubio organa sunt corporea : sensationes autem nihil habent corporeum; non possunt enim videri, audiri, odorari, gustari, palpari, extendi, comprimi, moveri, dividi. 3° Cum organa sint prorsus distincta, si sensationes effectus eorum essent, deberent esse distinctæ, neque in eodem subjecto identificarentur : attamen varias sensationes mens simul experitur; v. g., concentum audit, situm aspectabilem multis diversisque objectis distinctum

considerat, has aliasque sensationes comparat, judicat an ista vel illa magis delectetur. Unusquisque sensus proprias habet functiones exclusive ; oculus non videt sonos, nec auris audit colores. Mens autem simul et eodem instanti videt, audit, olfacit, gustat, tangit ; diversas sensationes comparat, conclusiones ex illis deducit, regulas agendi statuit, etc. Porro hæc cum objecto extenso incompatibilia sunt. Ergo, etc.

Hoc argumentum tanti ponderis visum est ipsimet *Bayle*, ut dicere non dubitaverit (t. I, p. 110) : « *On peut dire que cette preuve est une démonstration aussi assurée que celle des géomètres ; et si tout le monde n'en sent pas l'évidence, c'est à cause que l'on n'a pu ou que l'on n'a point voulu s'élever au-delà d'une imagination grossière.* » Ergo 3°, etc.

Prob. 3° *ex natura cogitationis.* Mens enim humana est simplex, si cogitatio residere non possit in subjecto composito : atqui cogitatio residere non potest in subjecto composito. Nam tunc vel tota cogitatio in singulis partibus hujus subjecti simul esset, vel una pars cogitationis in una parte et altera pars in altera parte ejusdem subjecti resideret, vel denique tota cogitatio in una parte tantum esset : atqui nihil horum dici potest.

1° Dici non potest totam cogitationem in singulis partibus subjecti cogitantis residere ; nam tunc non una, sed multiplex esset cogitatio : atqui certum est non plures simul esse cogitationes de eodem objecto in mente, sed unicam. Ergo 1°, etc.

2° Non una pars cogitationis in una parte subjecti cogitantis et altera pars in altera parte residere potest ; nam tunc dicendum foret cogitationes varias habere partes, esse altas vel profundas, longas vel breves, largas vel contractas, etc., habere figuram cubicam, quadratam, sphæream, etc. ; atqui cogitationes mentis nullas hujus generis habent qualitates, ut manifestum est ; quod sic annotat *Bergier, Traité de la religion*, t. III, p. 26, et *Examen du material.*, t. I, p. 156 : « *Jamais le matérialiste, au plus fort de son délire, n'a osé dire : La moitié ou le quart de ma pensée, le premier ou le second instant de mon jugement,*

un pouce ou un pied cube de raisonnement, un morceau ou une fraction de volonté. » Insuper unaquæque pars subjecti cogitantis conscia esset solius partis cogitationis sibi correspondentis, non vero aliarum partium sibi extranearum ; nulla pars igitur totius cogitationis esset conscia : atqui tamen subjectum in nobis cogitans totius cogitationis indivisibiliter est conscium, ut sensus intimus apud omnes constanter testatur. Ergo 2°, etc.

3° Nec pariter dici potest totam cogitationem esse in una parte tantum subjecti cogitantis. Cur enim illa pars præ cæteris cogitatione afficeretur? Præterea, vel pars illa esset simplex, vel composita : si prius, ergo subjectum cogitans est simplex, et causam obtinemus ; si posterius, eædem redeunt difficultates superius expositæ. Ergo 3°, etc.

Aliunde, quomodo formæ rerum mere intellectualium, Dei, Angeli, Boni, affirmationis, etc., in ente corporeo esse possent?

Prob. 4° *ex facultate judicandi.* Principium enim in homine cogitans judicat et ratiocinatur : atqui principium compositum judicare et ratiocinari non posset. Ad judicandum enim et ratiocinandum necesse est ut plures ideæ simul habeantur et secum conferantur : atqui principium extensum plures ideas secum comparare non posset : repugnat enim unam et eamdem partem subjecti compositi plurium idearum simul consciam esse. Aliunde hæc pars deberet esse omnino simplex, ut omnium idearum simul conscia esset : porro ipsimet adversarii non concedunt dari partem simplicem in subjecto composito, et insuper, si pars ea simplex existeret, inde sequeretur operationes mentis in subjecto simplici necessario residere. Ergo 4°, etc.

Prob. 5° *ex libertate mentis.* Corpora, fatentibus materialistis (*Système de la nature*, t. I, p. 163 et seq.), non habent in se principium motus et actionis, sed omnis materia essentialiter est iners et impressionibus a corporibus acceptis obedire semper parata : atqui mens humana habet in se principium actionis ; probavimus enim illam libertate electionis donari.

Præterea, vel cogitatio competeret materiæ ut tali, vel

quatenus organis est instructa : atqui neutrum dici potest. Non prius, alioquin omnis materia essentialiter cogitaret, et absque cogitatione concipi non posset, quod evidenter absurdum est : non posterius ; *organisatio* enim est duntaxat quædam dispositio partium relative ad se invicem : porro talis dispositio facultatem cogitandi tribuere non potest; nunquam per seipsam tribuit motum. Ergo a fortiori nec. Ergo, etc.

Prob. 6° *ex operationibus ejus.* Corpora agere nequeunt nisi in corpora præsentia et per tactum : atqui mens nostra agit in objecta absentia, incorporea, quæ tangi non possunt, v. g., recordatur præterita, prævidet futura, considerat tempora et sæcula, abstrahit, comparat, reflectit, generaliora scientiarum principia discernit, in proprias cogitationes se convertit, eas a se invicem distinguit, etc. Ergo non est corporea.

Aliunde, si esset corporea, omnes illius operationes forent tantummodo effectus mechanici : atqui id admitti non potest. Effectus enim mechanici accuratam semper habent proportionem cum causis eos producentibus, easdem sequuntur regulas in similibus circumstantiis, ita ut periti, exactis computationibus factis, eos determinare valeant : atqui nulla est hujusmodi proportio inter operationes mentis et causas physicas in eam agentes. Quæ enim proportio inter verba submissa voce prolata, et effectus inde subsequentes? v. g., dico inferiori meo : Vade huc, tale opus fac, et deinde redeas ; statim it, facit et redit. Eadem profero verba coram alio homine mihi parere non obligato aut nolente, et nihil obtineo; dico alteri forte mihi occurrenti : Curre cito, salva temetipsum, quia ecce viri armati te capturi et occisuri sunt ; mox ille tremebundus currit, fugit et in ictu oculi jam longe est : si vero alius nihil timeat aut mihi hæc verba proferenti non credat, nec pedes movebit; et ita in sexcentis. Ergo, etc.

Denique, omnes qualitates materiæ, scilicet, extensio, figura, divisibilitas, gravitas, celeritas, etc., de mente humana negari possunt. Ergo mens non est corporea. Ergo est substantia simplex.

COROLLARIUM.

Ex argumentis supra expositis sequitur Deum, licet omnipotentem, efficere non posse ut congeries materiæ, sive magna, sive parva, cogitet. Omnipotentia enim Dei facere non potest ea quæ sese mutuo destruunt, v. g., circulum quadratum, extensionem simplicem, divisibilitatem indivisibilem, figuratum sine figuris, etc.; at cogitatio ex dictis, essentialiter requirit subjectum simplex et indivisibile; materia vero, prout nobis nota est, essentialiter est extensa et divisibilis; ergo materia et cogitatio sese mutuo excludunt. Ergo Deus, licet omnipotens, efficere non potest ut congeries materiæ, etiam minima vel tenuissima, cogitet. Falsa est igitur assertio philosophi Angli superius citati, qui aliunde plurimis in punctis evidenter sibi contradicit, ut luculenter ostendit *Seguy*, t. II, p. 312, et melius card. *Gerdil* in speciali tractatu contra *Locke, de l'Immatérialité de l'âme*, etc., t. III ejus operum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Variæ nervorum commotiones objectis excitatæ ad cerebrum transmittuntur et sensationes imprimunt; sensationes ibi elaboratæ, sicut alimenta in stomacho, ideas, volitiones aliasque mentis functiones producunt : ergo mentis operationes non probant illam esse incorpoream. Ita quidam recentes physiologistæ.

R. Nego ant. Experientia constat quidem substantiam in nobis sentientem et cogitantem a diversis corporis nostri partibus esse dependentem, commotiones nervorum et cerebri dispositionem in sensationes affectionesque nostras multum influere : at inde concludere non licet nervos aut cerebrum ipsam esse substantiam sentientem et cogitantem. Eadem quippe recurrunt argumenta jam exposita: sensationes dividi nequeunt; ergo in subjecto divisibili non resident. Id unum igitur physiologistæ ex observationibus suis concludere debent, nempe strictissimam, licet inexplicabilem, existere connexionem inter corpus et substantiam in nobis cogitantem.

Et vero, variæ nervorum et cerebri commotiones nihil aliud sunt quam materiæ motus : verum mentis operationes effectus motus esse nequeunt. Nam 1° motus est ipsamet materia de loco in locum transiens, vel novos situs acquirens : mens autem sic moveri non potest. 2° Motus aliquam directionem habet, aliquem celeritatis vel tarditatis gradum, ac consequenter est divisibilis; sed operationes mentis nullo modo dividi possunt. 3° Uniformes regulas in iisdem circumstantiis sequitur motus, accuratam semper habet proportionem cum sua causa impulsiva, tot gradus celeritatis amittit quot aliis materiæ partibus communicat, juxta eamdem directionem pergit, donec ab ea per aliam causam deturbetur : porro mens in operationibus suis has regulas minime sequitur. 4° In sola præsentia corpora motus agit, non vero in absentia, et multo minus in objecta omnino incorporea, qualia sunt præterita, futura, numeri, abstractiones, mera possibilia, etc.; atqui tam facile hæc omnia mens attingit quam præsentia corpora : ergo mentis operationes effectus motus esse nequeunt.

Inst. Si durius vel mollius sit cerebrum, tunc vel obstinatio aderit, vel nulla connexio inter ideas; si arctius sit caput, si calvaria male sit conformata, aut casu contundatur, multo impediliores sunt mentis facultates ; si organa, sive externa, sive interna, sint vitiata, operationes intellectus eodem modo apud omnes cohibentur. Hinc in quibusdam familiis habetudo animi, sicut defectus physici, a parentibus ad liberos transmittuntur. Denique mens omnes vices corporis sequitur, cum illo puerascit, adolescit et senescit : atqui hæc omnia non ita fierent si mens a corpore prorsus esset distincta. Ergo, etc.

R. 1°. Facta hic nobis objecta non unanimiter ab omnibus admittuntur; plures enim testantur cerebrum in amentibus non semel repertum esse eodem modo dispositum ac in sanis, hanc partem lædi, minui ac fere destrui posse, sensationibus et præsertim actibus voluntatis remanentibus integris. Parva aut male conformata capita non ideo minus expeditas cogitandi et ratiocinandi facultates

habent : anatomistæ et physiologistæ non sibi consentiunt circa intellectuales operationes quas eadem dispositio organica producere debet : sic *Cabanis* et *Gall* sibi contradicunt in explicando effectus humoris aquosi in cerebro existentis. Vide opus insigne, *Doctrine des rapports du physique et du moral*, auctore *Bérard*, medico, 1 vol. in-8°.

R. 2° *Nego min.* Etiamsi facta in objectione citata vera essent, id unum concludi posset, scilicet principium in nobis cogitans strictissimam habere connexionem cum corpore, et in exercendo facultates suas summe ab illo esse dependentem. Sed inferri non posset hoc principium a corpore non esse distinctum : semper enim eadem recurrit difficultas quam adversarii non solvunt : operationes mentis sunt simplices : atqui operationes simplices in subjecto composito residere non possunt. Ergo, etc.

Hinc concludendum est duplicem in nobis adesse substantiam omnino distinctam, unam corpoream, alteram vero spiritualem, et utramque mirabili nexu inter se devinciri, ita ut una ab altera maxime pendeat. Hac unione semel admissa, facile explicatur quomodo mens, licet a corpore distincta, cum illo tamen pucrascere, adolescere, senescere aliasque vices ejus sequi videatur. Si corpus recte constituatur, multo liberius facultates suas mens exercet, multo facilius hanc machinam, cui alligatur, regit ; jubet, et membra ipsi obediunt : si vero corpus male se habeat, mens dolore afficitur et ingratis sensationibus quasi obruitur ; si tenuiora adhuc sint membra, ut in pueris, mens veluti sopita judicatur ; si debilitentur membra, ut in senibus, mens senescere videtur ; si quidam in corpore dominentur humores, mens ad nonnulla magis inclinatur vitia, v. g., ad ebrietatem, luxuriam, etc., sed vires ad ea vincenda sufficientes ipsi roganti et satagenti nunquam desunt, etc. Ergo, etc.

Iisdem rationibus plures aliæ solvi possunt difficultates quas nobis objiciunt materialistæ ; dicunt enim facultates animi ipsosque mores hominum, non solum ab organorum compositione, verum etiam a climate, a qualitate

cibi et potus, a temperantia vel intemperantia, ab obesitate vel macie corporis, ab ætate et sexu pendere.

Sed 1° hæc facta multas admittunt exceptiones; in quacumque enim regione reperiuntur homines ingenio simiiles, licet longe dissimilem sequantur vivendi regulam. 2° Independenter ab alimentis, a statu corporis et a sexu, eædem sunt apud omnes saltem præcipue morum notiones, eadem scientiarum principia; ubique inveniuntur viri et mulieres eximiarum virtutum capaces. 3° Semper admittendum esset operationes simplices a principio composito venire et in substantia extensa residere; porro contrarium evidenter demonstravimus. Si ergo quædam mentis affectiones prævalere videantur apud nonnullos populos; si mulieres sensibilitate et elegantia sermonis sæpius præstent viris, dum ingenio, constantia et fortitudine ab illis communiter superantur, id quidem denotat physicam viri constitutionem exercitio intellectualium facultatum ordinarie plus favere, vel Deum his et illis varias facultates dedisse propter fines a se intentos; at nihil ultra inde sequitur.

Obj. 2°. Illa substantia est corporea in qua recipiuntur ideæ compositæ: atqui in mente humana recipiuntur ideæ compositæ: ergo, etc.

R. Dist min. In mente nostra recipiuntur ideæ compositæ ratione objecti, *conc.;* ratione subjecti, *nego min.* Etenim, ideæ quatenus perceptiones sunt et in subjecto recipiuntur, non sunt compositæ; nam 1° tota mens idearum compositarum simul conscia esse non posset, quia una pars ideæ unam partem animæ et altera pars alteram partem afficeret; 2° sentimus ideas rerum compositarum adeo esse unicas ut dividi non possint; 3° si ideæ rerum compositarum modo corporeo in mente nostra existerent, dici posset eas esse rotundas, quadratas, cubicas, longas aut breves, albas vel nigras, sicut corpora externa ab ipsis repræsentata: atqui hoc est absurdum. Ergo, etc.

Præterea, ideæ corporum materialiter in mente esse non possunt, nisi secundum propriam formam, vel secundum formam breviorem: atqui neutrum dici potest: non

prius, alioquin arbores, domus, civitates, ipsa terra, tota immensitas cœli, in mente nostra existerent, quando de his cogitamus : atqui hoc dici non potest. Non posterius ; tunc enim idea objecto suo longe minor, illud repræsentare non posset. Ergo impossibile est ideas rerum compositarum in mente materialiter existere. Certum est tamen illas aliquo modo existere. Ergo præsens objectio invicte demonstrat quod impugnat, scilicet, mentem esse simplicem.

Inst. Plures mentis affectiones, v. g., dolor, amor, odium, varios suscipiunt gradus : ergo sunt compositæ.

R. Nego conseq. Ut enim probaretur has affectiones esse compositas, ostendendum foret unam seorsim sumptam, v. g., actum amoris vel odii, in partes dividi posse : atqui id non ostenditur nec ostendi potest. Insulse namque dimidia, tertia aut quarta pars sensationis vel ideæ peteretur.

Ex iis principiis altera similiter refellitur objectio petita ex eo quod nonnulli spiritus plus quam alii cogitent. Fatemur enim quosdam spiritus multo plures habere ideas, plura advertere objecta, vel plures ejusdem objecti respectus attingere, quam alios : sic animæ *Bossuet* et *Pascal* eo sensu plus cogitabant quam anima rustici scientiis prorsus extranei : at singulæ hujusmodi ideæ in partes dividi non possunt : ergo residere non possunt in subjecto composito.

Unde hæc ingeniorum differentia oriatur ? an ex solis dispositionibus corporis et varietate educationis, ut multi volunt ; an vero ex ipsa voluntate Creatoris qui animas inter se multis modis discrepantes sicut et corpora facit, ut plures contendunt , definire non audemus. Neutra hypothesis repugnat.

Obj. 3°. Vel una affectio totam replet animam, vel non : si prius , unicam simul habere possumus affectionem , quod falsum est ; si posterius, ergo divisibilis est anima.

R. Nego suppositum. Quod enim est simplex, nec replere nec repleri potest. Porro contendimus mentem nostram esse simplicem ; adversarii ergo probare debent, non vero supponere , mentem velut vas quoddam repleri

posse : attamen in præsenti objectione gratuito illud supponunt : ergo. etc.

Qua autem ratione tot objecta diversa simul exhibeantur in mente, quomodo tot affectiones oppositæ simul existentes sese non destruant, explicare non aggredimur. Certum est eas materialiter simul existere non posse : hoc sufficit. Ergo, etc.

Obj. 4°. Mens non potest esse in corpore quin habeat partes : atqui mens est in corpore : ergo, etc.

R. Dist. maj. Mens non potest esse in corpore materialiter, cum relationibus loci et spatii, *conc. :* non potest esse in corpore, id est, strictissimam habere non potest unionem cum corpore, quin habeat partes, *nego maj.* Eodem sensu *distincta minore, nego conseq.* Etenim dici non potest mentem esse in corpore materialiter, cum relationibus loci et spatii, siquidem remanet probatum illam esse omnino simplicem. Hoc solum igitur affirmandum est, scilicet, strictissimam dari unionem inter mentem et corpus, quamvis natura hujus unionis nos lateat, ut infra monstrabimus. Ergo, etc.

Obj. 5°. Mens agit in corpus et corpus in animam : atqui substantia omnino simplex agere non potest in substantiam compositam, nec vice versa : ergo, etc.

R. Dist maj. Mens agit in corpus et corpus in animam, aliquo modo utrique substantiæ proprio, nobis ignoto, *conc.;* per tactum sicut corpora agunt in corpora, *nego maj.* Eodem sensu, *distincta minore, nego conseq.* Nihil enim clarius constat quam illa *reciprocitas* actionis mentis in corpus et corporis in mentem, sed naturam ejus ignoramus ; scimus illam per tactum exerceri non posse, quia demonstravimus mentem, ut pote simplicem, nec tangi nec tangere posse. Præterea, si per tactum illud commercium exerceretur, physica semper esset proportio inter volitiones mentis et motus corporis : atqui talis proportio non existit : ergo, etc.

Semper supponunt adversarii id quod ipsis probandum esset. Hæc igitur aliaque similia objicientes nihil proficiunt.

Obj. 6°. Cunctas materiæ proprietates non noscimus : ergo temere affirmamus illam cogitationis incapacem esse.

R. Nego conseq. Clare enim percipimus cogitationem incompatibilem esse cum proprietatibus notis materiæ, cum extensione et divisione : atqui proprietates materiæ, quas non novimus, proprietates notas minime destruunt, ut patet : ergo non temere affirmamus, etc.

Inst. 1°. Dici potest materiam ex simplicibus elementis coalescere, ut placuit *Leibnitz* : ergo, licet cogitatio sit simplex, non sequitur illam in materia non residere.

R. 1°. Argumentum fundamento dubio nititur : ergo nihil probat.

R. 2°. Admissa hypothesi, nihil obtinent materialistæ. Volunt enim animam a corpore non esse distinctam ac consequenter materiam, ut extensam, cogitationis esse capacem. At, in sensu objectionis, subjectum in nobis cogitans esset simplex. Ergo, etc.

Aliunde, si elementum simplex, de quo agitur, activitatis sit incapax, repugnat illud esse mentem nostram, quæ evidenter est activa. Si activitatis est capax, quod nec affirmare nec negare absolute possumus, quia ipsius natura nos latet, saltem constat non esse molem materiæ, materiam extensam. Ergo hæc instantia thesim nostram non labefactat.

Inst. 2°. Deus convertere potest materiam in substantiam cogitantem : ergo non repugnat materiam cogitationis esse capacem.

R. 1°. Iloc iterum argumentum est extra causam ; supponit enim principium in nobis cogitans a corpore esse distinctum, quod adversarii negant.

R. 2°. *Nego ant.* Deus potest quidem materiam destruere et substantiam cogitantem ei substituere ; id a nemine in dubium revocatur. Verum substantiam cogitantem ex materia naturam suam retinente conflare non potest, sicut artifex opus suum conficit ; Deus enim, licet omnipotens, impossibilia facere nequit : at impossibile est materiam ut talem cogitare : ergo, etc. Non ideo limites omnipotentiæ Dei ponimus, ut asserit *Locke ;* omnipo-

tentia quippe Dei ad possibilia tantum extenditur, et non ultra, quia nihil est ultra.

Obj, 7° Veteres philosophi ipsique primi Patres Ecclesiæ docuerunt mentem humanam esse corpoream : atqui ille consensus est argumentum veritatis : ergo, etc.

R. 1°. Omnes philosophi, solis Scepticis et Epicureis exceptis, tenuerunt alteram post præsentem esse vitam, proindeque mentem corpori dissoluto manere superstitem : ergo credebant illam a corpore esse distinctam, sed tantum in assignanda natura ejus errabant. Porro talis doctrina materialistis directa fronte adversatur. Ergo hæc difficultas sententiæ minime nocet.

R. 2°. *Nego maj.* et quoad veteres philosophos et quoad Patres.

1° *Quoad veteres philosophos :* Plutarchus enim (de Placitis philosophorum, l. 4, c. 3), postquam præcipuos philosophiæ magistros nominavit, videlicet, Thalem, Pythagoram, Platonem, Aristotelem, etc., subjungit : « Om« nes hi, quos nominavi, corporis expertem animam sta« tuunt, naturam ei tribuentes quæ moveatur a seipsa, « et mente sic instructa. »

Ideo Aristoteles animum vocat *entelechiam*, id est, perfectionem, et quasi quintam essentiam, quia persuasum habebat quatuor elementorum genera, ex quibus omnia oriri dicebat, nempe ignem, aerem, aquam et terram, nullo modo posse « cogitare, et providere, et discere, et « docere, et invenire aliquid, et tam multa alia memi« nisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari. » (Cic., Tuscul., l. 1, n° 22.)

Ipse Cicero, quamvis definire non audeat in quo natura mentis consistat, de illa tamen sic eleganter loquitur (ibid., n° 71) : « Dubitare non possumus, nisi plane in « physicis plumbei simus, quin nihil sit animus admix« tum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmen« tatum, nihil duplex : quod cum ita sit, certe nec secerni, « nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec inte« rire igitur, » etc.

Quam illæ sententiæ a vili abjectaque hodiernorum

materialistarum doctrina longe distant! Ergo 1° falsum est veteres philosophos, etc.

2° Multo evidentius est *primos Ecclesiæ Patres* non docuisse animam esse corpoream. Nonnulli quidem singulares exposuerunt vel admiserunt opiniones circa naturam substantiæ cogitantis. Id proveniebat ex subtili philosophia qua plerique in juventute fuerant imbuti, vel ex difficultate quæstionis ; accurate enim locutiones, quæ nunc sunt in usu, nondum erant receptæ. Mirum ergo videri non debet si quædam reperiantur obscuritates in operibus eorum circa naturam rei sensibus imperviæ. Verum omnes professi sunt mentem esse substantiam a corpore sejunctam et immortalem ; frustra igitur auctoritatem eorum sibi vindicare conarentur increduli. Ergo, etc.

Inter scriptores ecclesiasticos, duo videntur dixisse animam ex partibus conflari, scilicet, Tatianus et Tertullianus. At plures alios docuerunt errores qui ab aliis Patribus et a tota Ecclesia fuerunt proscripti. Etiamsi ergo purum *materialismum* a nobis impugnatum docuissent, quod evidenter falsum esst, ipsorum testimonium contra nos invocari non posset. Ergo, etc. Vide cardinalem *de la Luzerne. Dissertation sur la spiritualité de l'âme.*

R. 3°. *Nego min.* Homines enim facile decipi possunt circa rem sensibus imperviam ad quam natura non impellimur : atqui natura non impellimur ad pronuntiandum quid sit natura substantiæ cogitantis ; sola discussione id attingere possumus. Ergo, etiamsi per aliquod tempus in hoc speculative erravissent ipsimet docti, eorum consensus non esset argumentum veritatis.

Inst. Apud universas gentes et in omnibus linguis principium in nobis cogitans per voces rem corpoream significantes exprimitur, scilicet, per *spiritum* qui significat *ventum, halitum, respirationem*, per *animum* et *animam*, a voce græca ἄνεμος, idem significante : ergo omnibus semper persuasum fuit principium cogitans esse aliquid corporeum.

R. Nego conseq. Quotidie enim eædem voces duplicem habent sensum, videlicet, litteralem et metaphoricum.

Res omnino incorporeæ per metaphoras aliasque figuras eleganter exprimuntur. Voces autem *spiritus*, *animus* et *anima* litteraliter significant præsentiam substantiæ cogitantis quæ per halitum et respirationem manifestatur; aptissime ergo usurpatæ sunt ad ipsam nominandam, nec ullo modo inde concludi potest populos credidisse animam esse corpoream. Ergo, etc.

Obj. 8° Nullam habemus ideam substantiæ incorporeæ : ergo est nomen sine re. Ita auctor operis jam citati, *le Système de la nature*, 1 part., c. 7.

R. Nego ant. Nihil enim clarius novimus quam proprias cogitationes nostras : atqui demonstramus cogitationes nostras in subjecto composito residere non posse; hinc merito inferimus existere subjectum incorporeum, cujus plurimas proprietates novimus : hoc autem sufficit ut ipsius existentiam affirmemus. Quid sit ejus natura, ignoramus; quid sit essentia materiæ, non melius intelligimus. Unde materialistæ substantiam spiritualem rejiciunt, quia eam sibi repræsentare non possunt; et immaterialistæ existentiam corporum negant, quia relationem inter ideas et extentionem realiter existentem non percipiunt. Verum multo sapienti philosopho dignius est facta colligere, existentias per effectus ostensas admittere, quamvis naturas et modos explicare non valeat.

Præcipuas objectiones incredulorum percurrimus, eas sine ulla imminutione exposuimus, et nulla cum demonstrationibus nostris directe pugnat. Quam ergo lugenda conditio hominum qui, tam debilibus argutiis innixi, excellentem naturam suam deprimunt, et similes vel deteriores belluis sese constituunt!

SCHOLIUM.

Cartesiani et Lockiani acriter disputarunt circa mentis humanæ naturam. Priores dicebant eam cogitare essentialiter, sub nomine cogitationis intelligentes ideam, sensationes et quascumque affectiones, contendebantque nos habere ideam claram sive ipsius mentis, sive facultatum illius.

Posteriores vero negabant nos talem habere ideam. Juxta eos, mens, e manibus Creatoris exiens, est velut *tabula rasa*, verum et falsum suscipere potest, et non nisi per sensum intimum, tum ipsa, tum ipsius operationes nobis innotescunt.

Nos autem æstimamus 1° mentem sui ipsius habere notionem claram in quibusdam, sed valde incompletam, et hanc quidem non *a priori*, sed tantum ex experientia : unde differt ab ideis stricte dictis : 2° hanc notionem, licet inadæquatam, clariorem esse ea quam habemus de corporibus; 3° mentem non semper habere ideas distinctas; sed forte ab initio sensationes experiri. An illud sit essentiale definire non tentamus.

Quæri etiam posset utrum mens, cujus simplicitas fuit demonstrata, haberi valeat, ab iis qui cum *Leibnitz* sentiunt circa materiam, ut una ex monadibus quibus materia, juxta ipsos, coalescit. Respondendum negative censemus; omnes enim proprietates, actiones et facultates animæ essentialem indicant distinctionem ab elementis simplicibus, quæ absque ulla intelligentia, activitate et spontaneitate videntur et sunt ex omnium confesso, imo et ex natura rei. Unde non tantum ut simplicem, sed et ut omnino immaterialem, etiam in hypothesi monadum, mentem humanam, cum omnibus philosophis, exceptis materialistis modo confutatis, habemus.

CAPUT TERTIUM.

DE UNIONE MENTIS HUMANÆ CUM CORPORE.

Ex duabus substantiis, una corporea et altera incorporea, individuum humanum conflari nunc constat.

Ut integer homo perfecte nosceretur, nunc de utraque substantia separatim tractandum foret, postea de mirabili illius conjunctione.

Ex partibus mira ordinatione dispositis coalescit corpus; sagacissimi anatomiæ excultores et physiologistæ quotidie

nova supremæ sapientiæ arcana in eo reperiunt : at de illo sic disserere ad medicos pertinet. Utilissime tamen et jucunde philosophiæ alumni legent *Nieuwentyt*, *Existence de Dieu*, etc., 1 part.), *Bossuet* (*Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même*, *du corps*, ch. 2, t. XXXIV) ; *Fénelon*, *Pluche*, etc., etc.

De anima jam disseruimus, et quædam adhuc postea dicemus. De sola igitur unione mentis cum corpore nunc tractandum est, et dicemus 1° de illius initio, 2° de natura ejus, et 3° de ejusdem consectariis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INITIO UNIONIS MENTIS CUM CORPORE.

Initium existentiæ corporis ab omnibus noscitur; initium vero animæ non ita apud omnes semper constitit. Variæ enim hac de re, in diversis temporibus, prodierunt philosophorum opiniones.

1° Academici docebant Deum in prima origine temporum cunctas simul creasse animas easque in sideribus collocasse, ut infinitas ipsius perfectiones inde facilius conspicerent. Illæ vero oculos in terram conjicientes, pulchritudines creatas dilexerunt; quod indigne ferens Creator, eas ad habitandum in corporibus humanis, sicut in carceribus, statim damnavit.

2° Censebant Pythagorici omnes animas ab initio rerum simul fuisse creatas et in totidem corpora sive hominum, sive brutorum, immissas, ex quibus deinceps egredientes, in alia corpora nobiliora aut viliora extemplo transeunt, sicque meliorem vel deteriorem obtinent conditionem, prout bene vel male in præcedenti corpore se gesserunt. Perpetuam hujusmodi animarum transmigrationem appellabant *metempsychosin* a verbis græcis μετὰ, particula quæ aliquam mutationem exprimit, ἐν, *in*, et ψυχὴ, *anima* : hinc brutorum occisionem et carnium esum omnino prohibebant.

Absurdam hanc metempsychosis doctrinam semper tenuerunt et etiam nunc tenent *Brachmani* in tota India,

alii proprio sensu, alii ad sensum pantheistarum. Item, *Talapui*, in regno Siam, et *Bonzi*, in imperio Sinensi.

3° Plures antiqui philosophi opinati sunt mentes humanas quasdam esse portiones e divina substantia excerptas, vel ipsam Divinitatem per orbem universum diffusam, et varia corpora organis instructa animantem. Idem ferme sub hoc respectu habet Spinosa, aliique plures pantheistæ, quorum systemata superius explosa fuerunt.

4° Nonnulli arbitrati sunt philosophi animas ex animabus per quamdam emanationem, sicut corpora ex corporibus, propagari, et ita animas liberorum ex animabus parentum *per traducem*, ut aiebant, descendere. Huic opinioni aliqui doctores primitivæ Ecclesiæ suffragati sunt, ut peccati originalis transmissionem facilius explicarent. Inter eos numeratur S. Aug., qui in lib. 1 de Anima et ejus origine (t. x, col. 345), hanc vetat damnari opinionem. Eam tamen postea omnino rejecit.

5° *Leibnitz* aliam excogitavit hypothesim, cui subscripsit *Wolf*. Altissimum enim reproductionis corporis organici mysterium sic explicare conatur : omnium futurorum corporum Deus simul creavit germina infinite parva, sed cunctis partibus organicis unicuique propriis instructa, et ea in singulis speciebus collocavit : ubi autem unum ex his germinibus, juxta leges a Creatore statutas, emittitur, tunc evolvitur, augescit et paulatim totum complementum acquirit : hinc organica germina omnium corporum humanorum continebantur in Adamo. Quo posito, asserit *Leibnitz* Deum cunctas simul creasse animas, et eas germini corporis, cui postea præesse debeant, statim conjunxisse. Sic a prima mundi creatione manent quasi sopitæ, donec, formato corpore per germinis explicationem, usum facultatum suarum acquirunt.

6° Omnes alii philosophi et theologi unanimi ore tenent mentem humanam immediate a Deo creari quando novum corpus humanum formatur, licet de instanti quo illa creatio locum habeat inter se non conveniant.

Ultima hæc sententia sola admittenda est.

Certum est enim 1° mentem humanam non esse sub-

stantiæ divinæ portionem, quia divina substantia, ut pote simplex et perfectissima, discerpi non potest.

Certum est 2° illam non esse modificationem animæ mundanæ ubique diffusæ, ut ex confutatione systematis Spinosæ et aliorum pantheistarum evidenter patet.

Certum est 3° illam ab animabus parentum per traducem non venire. Propagatio enim hujusmodi supponit multiplicitatem partium, quarum aliæ traducuntur, aliis remanentibus; at demonstravimus mentem humanam nullas habere partes. Ergo, etc.

Certum est 4° transmigrationem animarum ad sensum Pythagoricorum pluriumque inter Indas sectarum defendi non posse, 1° quia nulla ratione innititur; 2° quia natura hominis hæc opinio indigna est; 3° quia nullus philosophus serio eam nunc propugnare audet; 4° quia communi fidelium sensui adversatur; 5° quia Ecclesia, Scriptura sacra et traditione innixa, docet animas, cum corpus formatur, creari, et, dissoluto corpore, redire ad Deum, juxta verba Ecclesiastæ superius citata : *Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

5° Cunctæ similiter rejiciendæ sunt opiniones quæ animas corporibus antiquiores faciunt. Singulares enim opiniones nullo fundamento innixæ, juxta rectas ratiocinandi regulas, statim rejiciendæ sunt : quod gratis asseritur, gratis negatur : atqui tales esse prædictas opiniones nemo diffiteri potest. Ergo, etc.

6° Inferendum est ergo mentem humanam immediate a Deo creari eo instanti quo unitur corpori, sive id fiat quadraginta dies circiter post conceptionem, ut communiter docuerunt veteres, quia tunc corpusculum cœpit habere figuram humanam; sive ante hoc tempus, ut plurimis exemplis comprobatum videtur; sive in ipsomet conceptionis momento, ut pluribus affirmare nunc placet.

Objicitur quod in ea sententia Deus ad nutum hominis quotidie novas crearet animas. Verum hæc objectio nulla est; Deus enim cuncta opera sua volendo perficit : non difficilius est ipsi novas animas creare quam nova formare corpora, quam res creatas conservare : atqui Deus

ad nutum hominis singulis diebus nova format corpora ; non tamen ideo subjicitur homini, sed ordini a se libere constituto. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA UNIONIS MENTIS CUM CORPORE.

Quantum evidens est corpus et animam secum uniri et unicum efficere individuum, tantum obscura et incomprehensibilis est natura hujus unionis. Certum est enim mentem sæpe pro nutu motus in corpore producere, et diversas sensationes, mediante corpore, experiri. Sed qua ratione anima, cum sit simplex, agat in corpus, et corpus in animam, explanare arduum est. Id tamen plerique philosophi tentare voluerunt, et quatuor præsertim excogitaverunt systemata, quorum primum dicitur *influxus physici;* secundum, *causarum occasionalium;* tertium, *harmoniæ præstitutæ*, et quartum, *mediatoris plastici.*

1° Systema *influxus physici* in eo consistit quod mens, licet simplicissima, in corpus physice agat, et vicissim corpus in animam. Ita *Euler.*

2° Systema *causarum occasionalium* a *Descartes*, juxta plures, aliis contradicentibus, excogitatum, illustratum fuit præsertim a *Malebranche*, et a multis philosophis propugnatur. In eo situm est, quod nec corpus in animam, nec anima in corpus reipsa agat, sed solus Deus motus efficaciter producat in corpore occasione volitionum mentis, et sensationes in anima occasione motuum corporis; non quasi ex operatione imprævisa et ab homine dependente, sed ex legibus generalibus a se initio statutis.

3° Systema *harmoniæ præstitutæ* excudit *Leibnitz.* Corpus et anima, juxta hunc auctorem, duo sunt automata, quorum unum est spirituale et alterum materiale. Motus corporis et sensationes animæ per quasdam mechanicæ regulas unicuique proprias efficiuntur, et ita sapienter a Deo præordinatæ sunt ut sibi semper correspondeant : in hac utriusque substantiæ motuum et affectionum concordia tota earum sita est conjunctio.

4° Joannes *Leclerc*, origine Genevensis, præcipuo domicilio Batavus, in opere inscripto : *Bibliothèque choisie*, t. II, p. 114, supponit quoddam existere in nobis ens vivens, nec omnino spirituale, nec omnino materiale, sed medium inter utrumque tenens, cujus ministerio motus efficiuntur in corpore ad voluntatem mentis, et sensationes in mente occasione motuum corporis. Sic perpetua actio Dei non necessaria est, ut in opinione Cartesianorum. Ens istud vocat *mediatorem plasticum*. Hoc systema antea fortiter propugnaverat *Cudworth*, philosophus in Anglia natus anno 1617, in opere dicto : *Le véritable Système intellectuel de l'univers*, ed. anno 1668.

At 1° nulla ratione percipitur quomodo substantia omnino simplex physice agere possit in substantiam extensam, et vice versa. *Euler* igitur unionem mentis cum corpore minime explicat.

2° In systemate *Leibnitz* vita nostra perpetua foret illusio, et aliunde libertas humana tolli videretur.

3° Figmentum mediatoris plastici est gratuitum et absurdum.

4° In systemate causarum occasionalium tollitur omnino realitas commercii inter corpus et animam. Rejiciendum ergo videtur hoc systema.

Itaque concludendum est corpus in animam et animam in corpus agere, sed modo nobis ignoto, ac verum esse illud S. Aug. judicium : « Modus quo corporibus adhæ« rent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est, nec « comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est. » De Civ. Dei, l. 21, cap. 10, n. 1, t. VII, col. 631.

Quæsierunt insuper philosophi an mens humana in toto corpore, an in aliqua parte tantum, et in qua parte resideat. Variæ adhuc prodierunt opiniones secum pugnantes, quarum nulla velut probata haberi potest : id unum certum est, scilicet, animam toti regendo corpori præesse, et in cerebro velut in sensorio communi residere ; sed in qua cerebri parte resideat, ignotum esse, nec etiam recte dici posse eam *residere*, quia talis locutio substantiæ omnino simplici proprie convenire non potest.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CONSECTARIIS UNIONIS MENTIS CUM CORPORE.

Sufficienter jam diximus mentem in exercitio facultatum suarum a dispositionibus corporis multum pendere: hoc est generale consectarium ipsius unionis cum corpore. Sed multo magis pendet a corpore in iis quæ ad sensibilitatem spectant. Hic est locus dicendi de sensationibus, passionibus, habitibus, imaginatione, memoria, somno, somniis ac deliriis, circa quæ plures agitari solent curiosæ quæstiones. Nonnulla tantum paucis verbis delibaturi sumus, præcipuas difficultates indicantes, ut qui eas perscrutari voluerit, adire possit auctores, fusius de illis disserentes, inter quos eminentem tenent locum, *Malebranche, de la Recherche de la vérité; Bossuet, Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même; Para-du-Phanjas, Théorie des êtres insensibles; Bérard, Doctrine des rapports du physique et du moral*, etc.

De sensationibus.

Sensationes considerari possunt vel in mente vel in corpore.

Prout *in mente* spectantur, nihil aliud sunt quam variæ in anima modificationes. Sunt omnino simplices et prorsus indivisibiles : unde conclusimus mentem esse substantiam ab omni materiæ mole segregatam. Nihil ergo cum sensibilibus corporum qualitatibus commune habent, licet in præsenti rerum ordine cum illis sint conjunctæ. Hinc quos video colores non sunt in objectis, calor quem experior non est in igne, dolor quem sentio non est in manu nec in pede, ubi est vulnus. Has tamen affectiones mentis ad externa referimus objecta, non quod arbitremur eas aut aliquid eis simile in talibus substantiis residere, sed quoniam aliqua existit corporearum partium dispositio, cujus præsentia sic afficimur. Ideo dicimus ignem calidum, glaciem frigidam, nivem albam, solem lucere, etc.

Sensationes autem, quoad corpus spectatæ, sunt quædam fibrarum et nervorum commotiones. Quinque sensibus a Creatore donati sumus, visu, auditu, olfactu, gustu et tactu; duos habemus oculos ad videndum, duas aures ad audiendum, duas nares ad olfaciendum, palatum ad gustandum, et tactus per totum corpus exterius et interius diffunditur. Duplices itaque sunt visus, auditus et olfactus, et unicam sensationem tamen idem objectum excitat.

Ut unaquæque specialis sensatio in mente excitetur, sic commoveri debent partes organicæ corporis.

1° *Ad videndum*, necesse est ut radii luminis ab omnibus objecti partibus reflectantur, ad pupillam oculi *convergentes* perveniant, triplices membranas et liquores inter eas contentos penetrent, pluries se invicem secantes, perfectam in retina exhibeant imaginem, nervum opticum tangant, et in cerebro commotionem excitent.

2° *Ad audiendum*, requiritur ut trepidatio aeris externam cartilaginosam auris partem percutiat, canalem introeat, tympanum concutiat, et nervum auditus commoveat.

3° Ut *olfactus* locum habeat, particulæ e corporibus detractæ fibras narium tangere et ope illarum nervos agitare debent.

4° Idem dicendum est de *gustu :* partes de cibis et potibus exeuntes fibras palati et nervos eis connexos agitant : unde si quis humor flexibilitatem naturalem fibrarum disturbet, gustus et olfactus statim pervertuntur.

5° Quoniam innumeræ ac tenuissimæ fibræ cum nervis conjunctæ per totum corpus expanduntur, et omnes nervi velut funiculi in eamdem cerebri partem, quæ dicitur *sensorium*, coeunt, quoties aliquod objectum corpus nostrum sufficienter tangit ut fibrarum nervorumque commotio ad sensorium perveniat, tunc sensationem *tactus* experimur. Ita dignoscimus utrum corpora nos circumstantia sint calida vel frigida, dura vel mollia, gravia vel levia, plana vel aspera, longa vel brevia, etc. Ad hunc sensum, nonnullæ reducuntur sensationes quæ externum non habent

objectum, quales sunt fames et sitis, dolores stomachi et ventris, febris et podagra, etc. ; in his enim casibus humores, alimenta, etc., quasdam partes corporis internas nimis dilatant, vel comprimunt, vel distorquent, et ideo mens afficitur.

Hinc tactus multo latius extenditur quam singuli alii sensus. Imo alii sensus ad tactum quodam modo reducuntur, siquidem nulla sensatio nascitur in mente, nisi organa corporis lumine, aere, corpusculis materiæ, etc., tangantur. Ita nihilominus a se invicem distincti sunt, ut unusquisque proprios effectus suos habeat. Unde qui a nativitate cæci sunt et muti, colores et sonos nullo modo sibi repræsentare possunt; olfactus, gustus aut tactus visum vel auditum supplere nequeunt.

Optima perfectaque harmonia dispositi sunt sensus ad fines propter quos nobis concessi fuerunt; si enim longe acutiores essent, externis objectis in eodem statu remanentibus, intolerabilia inde nascerentur mala : guttula aquæ, v. g., nobis appareret velut stagnum in quo magna multitudo piscium nataret, et cuncta alimenta horrorem in nobis excitarent; dulcis zephyri flatus aures nostras concuteret, et verba hominum ferre non possemus; suavissimi odores tanquam fumus nos suffocarent; dulciores cibi palatum dilacerarent; molliores plumæ sicut hirsuta ligna carnem nostram excruciarent, etc. Infinitam ergo et sapientissimam divini Auctoris nostri industriam nunquam satis demirari possumus.

At, si modum quo hæc omnia fiant curiosius perscrutari voluerimus, impenetrabilis obscuritas statim nos irretiet. Supremæ igitur majestatis omnipotentiam sapientiamque jugiter veneremur ac perpetua jubilatione celebremus.

De passionibus.

Passiones quædam sunt commotiones ad bonum reale aut apparens nos excitantes, et ab eo quod repræsentatur ut malum retrahentes. Aliæ dicuntur spirituales, et aliæ corporales. *Spirituales* illæ sunt quæ immediatam non

habent connexionem cum dispositionibus corporis; tales sunt invidia, superbia, amor vel odium Dei, etc. Passiones corporales eæ dicuntur quæ immediatam connexionem habent cum dispositionibus corporis, ut sunt gula, ebriositas, impudicitia, pigritia, iracundia, etc. Varias utriusque generis passiones varie apud diversos homines existere constat : earum autem generationem assignare, naturam explicare, effectus prædicere, remedia indicare hic non aggrediemur, multo quippe longius protraheremur. Hac de re legi possunt *Malebranche*, l. 5; *Para-du-Phanjas*, n° 1259; *Bérard*, p. 545; *Descuret*, *Médecine des passions*, etc.

De habitibus.

Nomine *habitus* intelligitur facilitas aliquid operandi actibus frequenter repetitis comparata. Habitus, sicut passiones, duplicis sunt generis, scilicet, spirituales et corporei. *Spirituales* ii sunt qui facultatum animi exercitium spectant; et iterum sunt vel tantum intellectuales, ut facilitas percipiendi, recte judicandi, ratiocinandi, etc., vel morales, ut habitus quosdam eliciendi actus internos mores spectantes, quales sunt actus amoris vel timoris Dei : hi pertinent ad voluntatem. Habitus *corporei* per exercitium potentiarum corporis acquiruntur; tales sunt habitus cantandi, instrumenta musicæ pulsandi, saltandi, manducandi, bibendi, etc.

Facilius vel difficilius acquiruntur habitus, juxta animi, vel corporis, vel utriusque dispositiones, actuum repetitionem, exercitii ardorem, etc. Hi habitus, sive boni, sive mali, multo facilius contrahuntur in juvenili quam in senili ætate.

In quo præcise sita sit natura habituum, præsertim spiritualium, definire et explicare opus est arduum, quod tentare nolumus.

De imaginatione.

Imaginatio est illa mentis facultas qua objecta sensibilia sub imagine corporea nobis sine sensuum operatione repræsentamus, v. g., rotunditatem terræ, multiplicitatem

siderum, immensitatem cœli. Qualitates igitur sensibiles corporum eodem modo per imaginationem ac per sensationem nobis exhibentur, cum ea tamen differentia, quod mentem communiter non tam vivide afficiant.

Perutilem, imo necessariam esse facultatem imaginandi certe negari non potest; hinc enim nascuntur gratiosæ sermonis figuræ, ac jucunda artis dicendi ornamenta, quibus veritas illustrata, unicuique amabilior redditur. Absentia possibiliaque objecta exhibet imaginatio; ea contra se sistit, convertit, retrahit, iterum admovet, et sic uberem materiam intellectui subministrat. Qui vero lentam frigidamque imaginationem habent, nihil excogitant, nihil adinveniunt, et fere nihil conficere possunt.

Plurima sunt tamen imaginationis pericula quæ sedulo præcaveri debent. In turpes errores sæpe nos conjicit, ut diximus in Logica, libidines inflammat, sensus commovet, ad infamias excitat, atris imaginibus frequenter nos insequitur, mala augescit, ficta repræsentat ut vera, graves inducit morbos, etc. Hinc tristitia, mœror, tædium, animi dejectio, quædam deliria, furor, vindictæ, desperatio, suicidia, etc. Sedulo igitur cohibenda est imaginatio, præsertim in juventute, attentionem ad alia objecta licita convertendo.

Quædam vere mira de imaginatione referuntur. Sic mulier prægnans quæ attentius deforme conspicit objectum, aut vehementiori modo illud videre vel possidere cupit, aliquem cibum manducare desiderat, etc., commaculatum, deformem vel aliter vitiosum aliquando pariet fetum. Innumera facta tales imaginationis effectus attestari videntur, quamvis solidis rationibus demonstrari non possit quomodo hæc contingant.

Malebranche pluresque alii auctores frustra conati sunt explicare vim imaginandi, tum ex parte mentis, tum ex parte corporis; nos vero ne id quidem tentabimus.

De memoria.

Memoria illa est facultas qua præteritas imagines et perceptiones in mentem revocamus. Nisi mirabili hac

præditi essemus facultate, nullam experientiam acquirere nullaque præterita scire possemus.

Nonnulla memoriæ phænomena ab omnibus observantur : 1° facilius discunt, et quæ didicerunt tenacius retinent juvenes quam ætate provectiores ; 2° quæ in perfectiori ordine disponuntur, multo expeditius in memoria velut collocantur et promptius revocantur ; 3° apud quosdam homines memoria est tanquam liber in quo quidquid inscribitur, integre custoditur et ad nutum voluntatis ibi reperitur ; apud alios vero, multa brevi delentur et mox frustra quærerentur ; 4° nonnunquam imperfecte et quasi in confuso cognitiones olim acquisitas recordamur. Clare videmus aliquid nobis deesse ; nomina, circumstantias quærimus ; sinus memoriæ, velut angulos obscuri cubiculi, perlustramus : aliquando res quæsita cunctis conatibus nostris se subtrahere videtur ; et aliquando non postulata ante oculos mentis nostræ ultro se sistit ; 5° si colatur et opere exerceatur memoria, præsertim in juvenili ætate, augetur ac perficitur, dum incuria et negligentia pigrescit, obduratur, et non raro fere penitus amittitur, etc.

Quæ autem sit causa efficiens horum aliorumque memoriæ phænomenum, quæ sit ipsius ratio constitutiva, quomodo tot cognitiones diversæ in eodem capite per ordinem contineri et ad voluntatis imperium revocari queant, incassum huc usque determinare ac explanare conati sunt philosophi.

Plerique supponunt imperceptibiles fibras cunctosque nervos tot perfectos esse tubos in quibus subtilissima ac velocissima existit materia quam vocant *fluidum animale* aut *spiritus animales*. Hæc materia per fibrarum nervorumque canales incredibili motu ab organis ad cerebrum currit, et mentem, quam ibi quasi collocatam esse arbitrantur, admonet ; a cerebro ad organa, jubente voluntate, maxima celeritate descendit, musculos inflat, trahit, inflectit, et artuum motus determinat ; easdem vias crebrius frequentans, quædam in medulla cerebri exarat vestigia, per quæ facilius deinde transiens, easdem ideas semper

excitat. Sic passiones, habitus, memoriam ejusque phænomena prædicti philosophi explicant. Verum quid sit fluidum illud animale, quo fundamento illius existentia affirmetur, quæ proportio detur ipsum inter et voluntates nostras, non dicitur, non ostenditur. Nonne adhuc sapientius est ignorantiam nostram confiteri quam ad hypotheses tam obscuras tamque caducas confugere?

Certum est memoriam, imaginationem, ipsasque passiones non semper esse mere passivas: in eis namque sæpe mens agit: unde merito concludi potest illas ex corporibus sensus commoventibus non oriri, ac consequenter mentem non esse corpoream.

De somno, somniis, deliriis, etc.

Evidens datur discrimen inter somni et vigiliæ statum; unum ab altero tuto secernimus: hoc autem pro consueta agendi ratione nostra certe sufficit. Mens perspicax et activa in vigilia, in somno quasi sopita esse videtur. Interdum variis afficitur imaginibus atque ideis plus minusve inordinatis, quæ, redeunte vigilia, statim evanescunt: hæc vocantur somnia (*rêves*).

Delirium, stupiditas, insania, furor, etc., ejusdem ferme sunt naturæ ac somnia; aliquam enim inordinationem graviorem vel leviorem inter mentis affectiones semper supponunt.

Hæc omnia per varios spirituum animalium concursus explicare volunt supra memorati philosophi, inter quos *Para-du-Phanjas;* nos vero impotentiam nostram libenter agnoscentes, omnino tacere satius judicamus.

SCHOLIUM.

Ex his quæ usque nunc de mente humana diximus, inferendum est hominem recte definiri *Animal rationale:* per vocem *animal* convenit omnibus animantibus, et per verbum *rationale* a cunctis aliis animalibus distinguitur.

D. *de Bonald* (*Recherches philosophiques*, ch. 5) definit hominem, uti jam diximus: *Une intelligence servie par des organes.* Hæc definitio falsa est: non exprimit enim

hypostaticam mentis et corporis unionem, quæ sola hominem constituit. Est insuper contraria concilio generali Viennensi reprobanti, velut erroneam ac veritati catholicæ inimicam, doctrinam temere asserentem aut in dubium vertentem, *quod substantia animæ rationalis vere ac perfecte humani corporis non sit forma.*

De systemate doctoris Gall.

Abs re forte non erit hic quædam dicere de famoso doctoris *Gall* systemate, quod nunc etiam plures admittunt.

Doctor *Gall*, e Germania oriundus, anno 1758 natus, varias regiones peragratus, Parisios venit, ibique diu permansit, et obiit anno 1828.

Advertens homines nasci cum propensionibus unicuique plus minusve specialibus, rationes earum in conformatione cerebri quæsiit et invenisse autumavit.

Tot in cerebro distinguebat organa quot sunt in mente facultates ac propensiones : interiora cerebri organa, quibus singulæ facultates ac propensiones correspondent, exterius innotescunt per cranii protuberationes, quarum evolutiones sensibiles gradum sive facultatum, sive inclinationum ipsis correspondentium manifestant. Hinc nata est scientia cui nomen *cranioscopiæ* impositum fuit.

Triginta tria distinxerat cerebri organa, quibus *Spurzheim*, ejus addictus discipulus, duo addidit.

Merito notatum fuit hunc doctorem, 1° organorum ordinem ac distinctionem gratuito sæpius statuisse ; 2° aptitudines physicas et morales ac intellectuales non raro confudisse ; 3° animam nimis materialem fecisse, illam fatalitati *organismi* subjiciendo, siquidem omnis actio voluntaria non est nisi quædam cerebralis excitatio.

Quanta ex hinc mala defluant consectaria nemo non videt.

Plures medici celebriores ac physiologistæ systema *Gall* ex ipsa scientia confutarunt. *Walter*, *Sœmmering*, *Gordon*, *Barclay*, *Magendie*, *Foville*, etc., propugnaverunt conformationem cranii formam cerebri non repræsentare ; diversorum organorum functiones negaverunt, et innumera facta systema istud impugnantia congesserunt.

Doctor *Gall* accusationem *materialismi* repellere tentavit, et reipsa fatendum est doctrinam ejus non necessario *materialismum* importare, quamvis ea, prout ab ipso exhibita fuit, sæpius illum sapiat. Dici enim potest mentem spiritualem esse, et excitationibus organicis præsertim circa operationes intellectuales non infallibiliter moveri.

Inter eos qui systema doctoris *Gall* amplexi sunt, plures sic illud intelligunt, et scientiam *craniologiæ* habent tantum ut conjecturalem. Sed alii nihil in eo vident præter merum *materialismum* aut saltem *fatalismum* libertatis eversorem, quem profiteri non dubitant.

Quidam *cranioscopiam* abnegantes, admiserunt *cerebroscopiam*, id est, aperto capite post mortem, cerebrum inspicientes, de inclinationibus quibus obnoxius fuit defunctus judicant. Nec istud systema, ex supra dictis, probari potest.

CAPUT QUARTUM.

DE MENTIS HUMANÆ DESTINATIONE.

Ex demonstratis constat mentem a corpore prorsus esse distinctam, nulla partium aggregatione compositam, sed omnino simplicem, et idcirco dissolutione partium perire non posse, sicut corpus. Vel igitur destructioni corporis superest, vel in nihilum a Deo statim reducitur.

Tria inquirenda naturaliter nobis hic occurrunt, videlicet, 1° an mens humana, destructo corpore, necessario pereat, vel pro altera reservetur vita; 2° an altera futura sit vita beata vel misera, secundum uniuscujusque opera; 3° an futura sit æterna, adeo ut mens reipsa immortalis esse debeat. Duo posteria in tertia parte hujus operis convenientius examinabuntur, postquam boni et mali moralis existentiam astruxerimus. Primum itaque solum disquisitioni statim subjecturi sumus.

ARTICULUS UNICUS.

UTRUM MENS, DESTRUCTO CORPORE, NECESSARIO PEREAT, AN VERO PRO ALTERA RESERVETUR VITA.

Notandum 1° omnes homines morituros esse : *Statutum est hominibus semel mori* (Hebr. IX, 27), et experientia omnium temporum hanc sententiam confirmat.

Notandum est 2° hominem ut talem revera destruendum esse per mortem. Homo enim est totum ex corpore et anima mirabili unione junctis compositum : soluta hac utriusque substantiæ unione, jam non existit homo, sicut non existit domus quando sejunctæ et dispersæ sunt partes quibus constabat.

Notandum est 3° corpus dissolvi quidem per mortem, et in varias abire partes, igneas, aereas, aquosas et terrenas; sed nullam partem *annihilari*. Ita saltem generaliter philosophi, qui contendunt nullam materiæ atomum in nihilum reverti.

Notandum est 4° sufficere ut solidis rationibus demonstremus dissolutionem corporis *annihilationem* animæ non importare; tunc enim corruet præcipuum fundamentum argumentorum incredulitatis contra alterius vitæ existentiam quam revelatio et ratio aperte manifestant, ut infra ostendemus.

PROPOSITIO.

Dissolutio corporis annihilationem *animæ non importat.*

Prob. 1° omnibus argumentis quibus demonstratur mentem esse substantiam a corpore distinctam. Si enim a corpore sit distincta, nulla est ratio cur cum illo necessario pereat, ut evidens est. Ideo qui volunt animam esse perituram, contendunt eam esse materialem, vel materiæ modificationem. Ergo, etc.

Prob. 2° Mens deterioris esse non debet conditionis quam corpus : attamen si penitus destrueretur per mor-

tem, deterioris esset conditionis quam corpus, siquidem corpus non annihilatur, sed tantum dividitur. Ergo, etc.

Prob. 3° Mens non perit necessario cum corpore, si absque corpore percipi possit existens : atqui mens percipi potest existens absque corpore. Plurimæ enim sunt ejus facultates quæ nullam habent connexionem necessariam cum corpore, v. g., activitas, libertas, voluntas, facultates percipiendi, comparandi, judicandi, reflectendi, ratiocinandi, etc. Certum est enim corpus magis obesse quam prodesse exercitio hujusmodi facultatum : ergo mens concipi potest has exercens facultates, proindeque existens absque corpore. Ergo, etc.

Prob. 4° Corpus per seipsum est iners et cujuslibet motus ac operationis incapax; animæ igitur datum non fuit ut illam regeret, sed anima regendo corpori præfixa fuit, et de facto illi imperat, illud ducit et reducit, ad hoc vel istud applicat pro nutu suo : atqui repugnat substantiam corpori tam præstantem absque illo existere non posse. Ergo, etc.

Prob. 5° Quæcumque futura sit humanæ mentis conditio post mortem, certum est illam non tantum regendo corpori fuisse destinatam ; nam habet facultates pure speculativas regendo corpori inutiles : atqui sapientissimus illius conditor eximias hujusmodi facultates ipsi non contulisset, si tantummodo regendo corpori eam destinasset; ergo propter alium finem creata est. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Mens cum corpore cœpit existere, omnes vices ejus sequitur : ergo cum illo perire debet.

R. 1° *Nego ant.* Licet enim mens communiter vices corporis sequatur, non tamen iisdem semper subjicitur, v. g., non semel videntur homines debiles et infirmi, qui nihilominus animo præstantes sunt ac strenui.

R. 2° *Nego conseq.* Mens enim in exercitio facultatum suarum a dispositionibus corporis summopere pendet; hinc patet cur vices ejus sequi videatur : at inde non sequitur illam cum corpore perituram esse. Ergo, etc.

Obj. 2° Juxta multos celebres philosophos, essentia mentis sita est in cogitatione : atqui mens in cogitando pendet a corpore : ergo, destructo corpore, evanescit.

R. 1°. *Dist. maj.* Juxta multos mens est substantia essentialiter cogitans, *conc. :* tota essentia mentis est in cogitatione, *nego maj.* Etenim Cartesiani dicunt quidem mentem essentialiter cogitare, sicut materia essentialiter est extensa : at non contendunt totam essentiam mentis in cogitatione sitam esse. Præterea, opinio Cartesianorum non omnibus arridet; a multis e contra nunc rejicitur.

R. 2°. *Dist. min.* Mens in omnibus cogitationibus suis pendet a corpore, *nego min.;* in aliquibus, *subdist. :* ex libera Dei institutione, *concedo ;* ex natura sua, *nego min.* Itaque 1° falsum est mentem in omnibus cogitationibus suis a corpore esse dependentem; inter ipsius enim cogitationes multæ a sensibus non oriuntur, ut probavimus p. 340. 2° Non diffitemur alias a sensibus oriri, sed ex libera Dei institutione, non vero ex natura animæ; nulla quippe est proportio inter sensationes animæ et varia corporis organa; ergo ad ordinationem Dei semper recurrendum est ut illarum causa efficiens assignetur. Porro Deus, qui eas mediantibus organis producit, easdem sine organis producere potest. Ergo, etiamsi concederetur cunctas mentis sensationes, ideas et operationes, in præsenti rerum ordine, a sensibus pendere, insulse concluderetur mentem cum corpore necessario perituram esse.

Inst. Si anima non interiret cum corpore, non adeo mortem reformidaret : ergo, etc.

R. Nego ant. Nam 1° Deus voluit ut anima regeret corpus et conservationi illius jugiter invigilaret, hoc universalis experientia testatur : atqui nihil magis conservationi corporis oppositum est quam mors. Non mirum est ergo si tantopere mens eam formidet. 2° Mens plenam habere non potest securitatem pro altera vita; formidanda quippe sunt suprema Dei judicia, ut postea dicemus. Ergo, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE BELLUIS.

Infinitæ numero sunt entium organis instructorum species, quæ primum naturæ regnum constituunt, nempe regnum animale. Eas per ordinem describere proprium est auctorum qui de natura specialiter tractare sibi proponunt. Metaphysici autem, de entibus a natura corporea segregatis disserentes, examinant tantum an in cunctis animalibus, sicut in homine, aliqua existat substantia a corpore distincta, et quæ sint ejus facultates vel potentiæ.

Descartes et cum ipso pauci philosophi contendunt belluas mera esse automata, a Deo perfectissime constructa, in quibus nullum est internum sensationis principium. Asserunt singulas earum operationes totidem esse mechanicos effectus : externa objecta, inquiunt, vel tenues particulæ e corporibus exeuntes, organa belluarum tangunt, fibras ac nervos commovent, musculos excitant, sicque varios eorum motus producunt, juxta leges ab ipso Creatore constitutas.

Nonnulli inter recentes, philosophorum nomine immerito decorati, affirmare non erubescunt bestias homini æquales vel superiores esse, et ab eis solummodo organis differre. Sic in primis *La Métrie, Helvétius, d'Holbach, Diderot,* etc.

Alii vero, tum veteres, tum recentiores, communissime docent quoddam inesse belluis principium operationis a corpore distinctum et tamen a mente humana essentialiter diversum.

Quamvis a tuendis opinionibus speculativis caute abstinendum esse communiter duxerimus, præcipuas tamen quæstiones de belluis prætermittere nolumus; quædam enim sunt scitu necessaria et adversus incredulos probanda. Quid sentiamus per tres sequentes propositiones aperiemus : 1° Cartesianorum opinionem confutabimus;

2° hominem essentialiter differre a belluis demonstrabimus; 3° principio sensationum et operationum a materia distincto donari belluas ostendemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Belluæ non sunt mera automata, ut finxit Descartes.

Prob. Si belluæ mera sint automata, nullas experiuntur sensationes: operationes earum sunt effectus pure mechanici, proprie non vivunt. Atqui hæc tria repugnare videntur.

1° Repugnare videtur belluas non experiri sensationes. Vox enim naturæ firmissimum est veritatis argumentum : atqui vox naturæ docet belluas sentire. Unanimis enim populorum consensus est vox naturæ, siquidem in sola natura omnes populi sibi consentiunt : atqui unanimis populorum consensus semper fuit belluas reipsa sentire. Quis enim a risu se cohibere posset si Cartesianiæ hypotheseos defensorem audiret asserentem, v. g., canem baculo percussum non magis dolere quam truncum arboris qui feriretur, non magis lætari si ampla carnis portio ipsi esurienti projiciatur, quam arborem vel brassicam ad cujus radices aqua infunderetur? Et sic de cæteris. Ergo, etc.

2° Non minus repugnare videtur diversas belluarum operationes esse totidem effectus pure machanicos. In mechanicis enim accurata semper est proportio inter causam et effectum, et eædem causæ in iisdem circumstantiis similes effectus producunt ; at in hypothesi quam impugnamus, utraque hæc regula violaretur.

1° *Accurata non existeret proportio inter causam et effectum.* Tunc enim variæ belluarum operationes solo corporum aut corpusculorum tactu determinarentur : atqui non sic determinantur ; v. g., apis ex alveo egreditur, assurgit, vadit, redit, circuit, ad flores sibi convenientes apte se dirigit, mel et ceram colligit, cruribus accommodat, varia itinera percurrens, non errat, ad alvearium et ad propriam mansiunculam redit. Quis crediderit solis par-

ticulis e floribus emissis tot motus apis determinari? Idem ratiocinium de multis aliis institui potuisset.

2° *Eadem causa in iisdem circumstantiis similes non haberet effectus.* Canis, v. g., videt dominum arma venationis arripientem, lætabundus exsultat, saltibus frequenter repetitis aliisque signis evidenter manifestat se ultra modum oblectari. Si idem faciat extraneus, canis manet tristis et nullum desiderium currendi manifestat. Si dominus quoddam objectum perdiderit, aut alicubi, sive casu, sive de industria, reliquerit, et aliquo modo indicaverit cani, mox signo domini obediens, currit, quærit, objectum invenit, ore capit et illud ad dominum portat vel trahit. Alienus eodem signo utatur, animal audiet, vel conspiciet, sed non parebit; eadem tamen est causa physica, eædem sunt circumstantiæ, et effectus valde dissimilis. Ita et in multis aliis. Ergo 2°, etc.

3° Repugnare videtur belluas non vivere, sed mera esse instrumenta : nam 1° sæpe dicuntur in Scriptura viventes, animam viventem habentes, manducantes et bibentes, v. g., Gen., I, 20 : *Producant aquæ reptile animæ viventis... Creavitque Deus omnem animam viventem... ut sint vobis in escam... et universis quæ moventur in terra in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.* 2° Belluæ sæpe exhibentur non ut motum ab aliis entibus accipientes, sed ut seipsa moventes, quod dici non potest de machinis. 3° Occiduntur et moriuntur : porro machinæ non occiduntur nec moriuntur. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Licet in industria valde finiti sint homines, mirabilia tamen efficiunt automata quamdam animalium speciem exhibentia; sic, v. g., celebris *Vaucanson* fabricavit hominem tibia ludentem, anatem manducantem et natantem, etc.; ergo a fortiori non repugnat Deum, cujus infinita est sapientia, tam mirabiliter constituisse bestias, ut, licet mera automata, cunctas tamen functiones suas apprime exercerent.

R. 1°. Negari possunt consequens et consequentia : machinæ enim mirabiliter constructæ sequi possunt leges nobis ignotas ; at contra leges physicas evidenter cognitas non agunt. Verum si bestiæ mera automata essent, contra leges physicas nobis evidenter cognitas agerent, ut ostendimus : ergo, etc.

R. 2°. Totum præsens argumentum concedi posset, et nihil contra nos inde sequeretur. Præcipuum enim fundamentum quo innitimur, sunt verba Scripturæ et universalis populorum consensus : porro, quidquid de potentissima Dei industria dicatur, fundamentum istud non concutitur. Quæcumque enim fingatur hypothesis, certum est Deum positive nos in errorem impellere non posse : atqui si bestiæ, in præsenti rerum statu, mera essent automata, Deus positive nos impelleret in errorem ; universali namque et invincibili propensione, proindeque ipsa natura, constanter ferimur ad judicandum bestias sentire, a machinis et plantis multum differre ; Scriptura id confirmat. Ergo, etc.

Et vero, de existentia sensationum aliorum hominum non judicamus, nisi quia operationibus eorum externis invincibiliter ferimur ad credendum eos reipsa sentire : atqui eosdem actus externos, servata proportione, videmus in belluis ac in hominibus : ergo, similiter pronuntiare debemus eas sentire.

Inst. 1° Mens humana non agit in corpus, sed Deus occasione volitionum mentis varios motus immediate producit in corpore : atqui hos motus absque anima producere posset : ergo nihil vetat quin belluæ mera sint automata.

R. 1°. Opinione improbabili major nititur. Ergo merito poni non potest ut principium.

R. 2°. *Dist. min.* Hos motus, seclusa anima, Deus producere posset, sed eadem propensio in nobis non existeret, *conc.* ; et eadem propensio existeret, *nego min.* Si enim universalis, constans et invincibilis propensio nos falleret, nihil esset certum in mundo, et aliunde error in ipsum Deum refunderetur, quod repugnat : at universali, constanti et invincibili propensione ferimur ad judicandum

motus externos hominum naturalem habere connexionem cum mentis existentia, et eadem propensione judicamus bestias sentire : quicumque ergo illas velut automata, machinas sensu destitutas, aut plantas habendas esse affirmaret, eo ipso naturæ voci adversaretur. Ergo, etc.

Inst. 2°. Quædam plantæ ut sensitiva, heliotropium, etc., veros sensibilitatis characteres exhibent, et tamen non sentiunt. Ergo a pari, etc.

R. Nego ant. Hujusmodi plantæ dicuntur quidem sensitivæ, quia nonnulli effectus physici, quamdam analogiam cum motibus animalium exhibentes, in eis conspiciuntur : at nemo credidit unquam eas revera sentire et ejusdem naturæ esse ac animalia. Ergo, etc.

Quædam animalium aut vegetalium species ita ad se invicem accedunt, ut difficile sit judicare ad quod genus pertineant ; talis est polypus aquæ dulcis : verum in eo casu dubium est de facto. Si revera illæ species ad regnum animale pertineant, plus minusve sentiunt, juxta propriam constitutionem. Si vero inter vegetalia constituantur, non magis sentiunt quam lignum silvarum vel olus hortorum. Inter mineralia, quædam ad plantas accedere videntur : inter plantas, quædam ad animalia ; et animalium species augentur in perfectione et ita crescunt ut appropinquare videantur ad hominem, qui tamen solus ratione præditus, Deum totius perfectionis fontem agnoscit et honorem ei debitum reddit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Homo essentialiter differt a belluis.

Prob. Tenendum est quippe hominem essentialiter differre a belluis, si earum dominus constituatur, solus sit ad imaginem Dei conditus, et plurimas habeat facultates sibi essentiales quæ nunquam in belluis inveniuntur : atqui homo belluarum constituitur dominus, solus ad imaginem Dei, etc.

1° Belluarum dominus constituitur : Gen., I, 28 : *Domi-*

namini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.

2° Solus ad imaginem Dei fuit conditus : sic enim ait Deus, postquam omnes bestias creavit, Gen., I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis terræ.* Insuper in Scriptura homo ut essentialiter a belluis diversus semper exhibetur.

3° Plurimas habet facultates sibi essentiales quæ nunquam visæ sunt in belluis. Omnes enim homines natura habent facultates percipiendi, ideas comparandi, de convenientia aut disconvenientia earum pronuntiandi, a particularibus ideis ad generaliora principia assurgendi, mirabiles conclusiones inde deducendi, ideas signis arbitrariis manifestandi, ope reflexionis et colloquii cum aliis hominibus, in variis artibus et scientiis multum proficiendi, præterita, præsentia et futura attentione complectendi, in abstractionibus versandi, non solum de existentia, sed de ipsa possibilitate rerum disserendi, propositiones de bono in genere et de veritate instituendi : Deum creatorem suum contemplantur, infinitas perfectiones ejus investigant, alias ab aliis deducunt, firmissimis argumentis eas defendunt; illum adorant, venerantur, laudibus extollunt, deprecantur, gratias illi agunt, etc. ; legem naturalem cognoscunt, malum morale exsecrantur, bonum illis placet, etc. Atqui nullis signis manifestant belluæ tales se habere facultates ; scientiis prorsus extraneæ sunt, de speculativis non retiocinantur, nec ratiocinia nostra percipiunt, nullum progressum in artibus ab origine mundi fecerunt, eodem modo semper agunt, sive junioris, sive provectioris sint ætatis ; eodem modo castores ædificant, aves nidificant, apes mellificant, canes venantur, equi currunt, etc.; eumdem morem singulæ species jugiter servant; omnes de propria conservatione, de speciei propagatione tantum sollicitæ sunt, et nullæ Deum cognoverunt. Unde legitime infertur hominem factum esse propter Deum, et belluas propter hominem, ut Scriptura et universalis traditio expresse docent. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Si belluæ eadem ac nos haberent organa, forte exercerent facultates nostris similes : ergo non constat eas ab homine essentialiter differre.

R. Nego ant. Mutatio enim organorum naturam animæ non mutaret; atqui anima belluina præclaras mentis humanæ facultates certe non habet. Nullo enim indicio eas unquam manifestavit; atqui repugnat belluas perfectis hujusmodi facultatibus donari et eas nunquam exercere; repugnat illas esse rationales et ad conditionem brutorum a Creatore damnari.

Insuper, organa non desunt belluis ut intellectuales exercerent facultates, si illas possiderent : tam perfecte et sæpe perfectius vident, audiunt, odorantur, gustant, et sentiunt quam homines; habent linguam et pulmones : quid ergo eis deest ut loquantur, discurrant, etc.? non organa, sed animæ facultates. Denique tam invincibiliter judicamus belluas ratione destitui, quam fiducialiter pronuntiamus eas sentire. Ergo, etc.

Inst. Belluæ educantur et discunt, intra eamdem speciem aliæ multo facilius quam aliæ instituuntur : ergo intelligentiæ characteres exhibent.

R. Dist. consequens; apparentes intelligentiæ characteres exhibent, *concedo;* veros et reales, *nego.* Etenim non negamus belluas esse doloris et voluptatis capaces, objecta jam visa recognoscere, præteritas sensationes, data sensibili occasione, reminisci. Hinc sequitur eas gaudere perceptibilitate quæ cum sensationum memoria juncta est, spontaneos motus edere, appetere, aversari, casus similes exspectare. Adest etiam in belluis instinctus, ita ut plures earum operationes, quæ evidenter intelligentiam præ se ferre videntur, ex solo instinctu repetendæ sint : sic omnia ejusdem speciei individua eadem prorsus ratione semper agunt, nec vel minimum immutant in modis sese conservandi et suis necessitatibus consulendi. Quamvis nonnullæ regi, institui et educari possint, hæc

artificiosa institutio tota fundatur in experientia quam per sensationes circa objecta sensibilia acquirunt. Ista autem experientia consistit in necessaria connexione inter apparentiam sensibilem objectorum et quasdam belluarum actiones. Unde nulla in eis comparatio, nulla deliberatio, nulla electio, nulla proprie dicta vis cogitandi aut intelligentia. Ergo, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Belluæ reipsa habent animam a corpore distinctam et immaterialem, sed ratione destitutam.

Prob. Utraque pars hujus propositionis ex duplici propositione antecedente evidenter sequitur. Etenim 1° certum est, ex prima propositione, belluas non esse mera automata, sed sensationes experiri : atqui materia non est sensationis capax, nec a fortiori operationum quæ in belluis deprehenduntur. Ergo 1°, etc. 2° Anima belluina ratione est destituta : id ex secunda propositione constat. Ergo, etc.

At petunt philosophi quæ sit natura hujus principii immaterialis apud belluas existentis, et sibi non consentiunt. Illi enim dicunt illud posse duntaxat sentire, non vero comparare, judicare, deliberare et eligere : alii autem contendunt illud quemdam habere gradum intelligentiæ, ratiocinii et etiam libertatis circa objecta physica, ad conservationem individuorum et ad obeundas functiones quibus singulæ species fuerunt destinatæ.

Ultima hæc opinio minime probabilis videtur, et primam, quæ communiter docetur, retinendam esse arbitramur ob rationes in responsis ad superiores difficultates a nobis allatas.

Verumtamen omnes bestiæ, quemadmodum organis physicis multum a se invicem discrepant, sic industria, aptitudine, intelligentia, mansuetudine aut feritate, fidelitate, etc., inter se differunt.

Mirabilis est Deus in cunctis operibus suis, licet finis

ab eo intentus sæpe nos lateat. Si quæratur a nobis cur tot creaverit bestias quæ hominibus inservire non possunt, cur eas sic aut sic fecerit, respondebimus nos finem ab eo intentum ignorare, sed in omnibus, etiam in minimis, manifestos infinitæ sapientiæ characteres relucere. Vide Anti-Lucretium, lib. 7.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Levit., XVII, 10 et 11, Deus esum sanguinis prohibet, *quia anima carnis in sanguine est;* et in Deuter., XII, 23 : *Cave*, inquit, *ne sanguinem comedas ; sanguis enim eorum pro anima est : et idcirco non debes animam comedere cum carnibus*. Ergo, etc.

R. Nego conseq Nam anima in his locis sumitur pro vita animali, quæ, tam in hominibus quam in belluis, ita annexa est sanguini, ut, effuso sanguine, vel circulatione ejus cessante, mors sequatur. Idcirco Deus dicit per Moysen, Levit., XVII, 14 : *Sanguinem universæ carnis non comedetis , quia anima carnis in sanguine est.* Hæc verba de cunctis entibus viventibus intelliguntur, ac proinde de vita animali. Deus autem esum sanguinis prohibuerat, ut Israelitæ ab omni crudelitate magis essent alieni. Ergo, etc.

Obj. 2°. Si anima belluarum sit immaterialis, debet esse immortalis : atqui hoc repugnat. Ergo, etc.

R. Nego maj. Ex eo enim quod anima belluina a corpore sit distincta, recte concluditur dissolutionem corporis illam non destruere, non autem illam futuram esse immortalem : ad hoc quippe necessarium foret ut positivis argumentis ostenderetur Deum velle eam conservare : atqui nulla sunt hujusmodi argumenta in gratiam belluarum, quæ Deum ignorant et ordini morali prorsus extraneæ sunt. Ergo, etc.

Inst. 1°. Nulla pars materiæ *annihilatur*, sed tantum novas induit formas : ergo, a pari, anima belluina, quæ nobilior est materia, *annihilari* non debet.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod

dissoluto corpore, materia ad aliquem finem destinata esse non desinat; tunc enim ejusdem fit naturæ ac cætera elementa ex quibus conflatur mundus, ac proinde eamdem habet destinationem. Contra vero, anima concessa est belluis ut earum conservationi invigilaret, easque in obeundis functionibus dirigeret : nullis indiciis manifestat se ad sublimiorem finem destinari : porro cessante fine propter quem fuit creata, statim in nihilum proprio pondere labi debet. Ergo, etc.

Quidam metempsychosim pro belluis admittunt, ita ut una moriente, anima ejus in aliud corpus eo instanti alicubi formatum transeat. Systema istud non demonstratur falsum; igitur admitti potest si magis arrideat, quamvis nulla ratione positiva innitatur.

Inst. 2°. Multæ belluæ plus experiuntur doloris quam jucunditatis in hac vita : atqui justitia Dei id permittere non potest nisi futura sit vita in qua hæc inordinatio reparetur : ergo, etc.

R. 1°. *Nego conseq.* 1° Enim belluæ non recordantur præterita, nisi imperfecte; non prævident futura, dolorum cordis et animi sunt expertes, mœroribus non afficiuntur : atqui hæc multo vividius nos excruciant quam dolores physici : « On ne se tue point pour les douleurs « de la goutte, *inquit* Rousseau (*Emile* l. 1, t. 1, p. 39) : « il n'y a guère que celles de l'âme qui produisent le « désespoir. »

2° Belluæ de seipsis tantum sollicitæ sunt, consimilium miseriis non compatiuntur, in servitutem rediguntur, catenis obruuntur; ad opera vilia adhibentur, post multos labores aliis dominis traduntur, publice in foro exponuntur et venduntur, sed hæc non æstimant nec sentiunt : occiduntur, sed de actis non pœnitentes, de venturis non anxiæ, momentaneum dolorem experiuntur; flagellantur et pro fideli servitio non semel mala recipiunt, sed ingratitudinem hominum non percipiunt, nec ideo de tali agendi ratione tristantur. Si injucundis sensationibus afficiuntur, mox gratis recreantur, et sic quædam compensatio fere semper instituitur.

3° Multæ bestiæ minori sensu percelluntur quam homines, ut ex plurimis experientiis constare videtur. Sic araneis, muscis, scarabæis, etc., pes, ala, crus integrum frangitur vel eruitur, et nihilominus bestiola movetur, et abit fere sicut nihil sibi accidisset; leve dat signum doloris. Fatemur tamen hanc rationem pro majoribus speciebus non valere.

R. 2°. *Nego min.* Quoniam belluæ conservationi suæ perpetuo invigilare debent, necesse fuit ut de his quæ sibi conveniunt per sensationes gratas et de noxiis per sensationes ingratas monerentur; dolores igitur, quas experiuntur, ex ipsarum constitutione naturali oriuntur. Si quædam ultra modum ab hominibus excruciantur, id per accidens evenit, et Deo tribui non potest, sed hominibus qui sæpe ordinationem Dei sapienter institutam deturbant. Ergo, etc.

FINIS METAPHYSICÆ.

PARS TERTIA.

MORALIS.

Antequam graves quæstiones hujus tertiæ partis aggrediamur, notandum volumus moralem mere humanam, etiam recta ratione informatam, in plerisque insufficientem esse. Circa multas quæstiones magni momenti dubitat et cæcutit; in aliis, motiva quæ subministrat aciem plurimorum superant, vel leviter afficiunt. Religio christiana mirabile lumen effudit, recta principia stabilivit, nova motiva et gravissimam sanctionem attulit; sicque illuminans hominem, ejus voluntati ad malum inclinatæ, supernaturalis gratiæ contulit auxilium, quo ad finem suum assequendum fit idoneus.

Alia quoque religio christiana superaddidit officia, quæ non minus ediscere et implere necessarium est ac legis naturalis præcepta. De posterioribus tamen hic solum agemus et plerumque ex ratione, ut mos est in institutionibus philosophicis. Sic enim utilissime exercentur juniores alumni qui, officiorum naturalium rationes intrinsecas intelligentes, aptiores fiunt ad confutandos pseudophilosophos ex ratione tantum procedentes.

Moralis, quæ etiam dicitur *Ethica*, a verbo græco ἔθος, idem significante ac *mores*, habet pro objecto actus humanos ad bonum dirigendos. Nemo non videt quanti sit momenti; philosophia enim vocatur amor sapientiæ; sed in actibus præsertim relucere debet philosophorum sapientia. Regulas igitur, quibus informandi sunt actus humani, diligentissime scrutentur et ediscant juniores alumni, ut ab eis in agendo nunquam discedere satagant.

Moralis definitur : Scientia practica actus humanos ad honestatem dirigens. 1° Dicitur *scientia*, quia ex princi-

piis aliquas deducit conclusiones, v. g., ex illo principio: *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis,* colligit non esse furandum, maledicendum, occidendum, etc. 2° Dicitur *practica*, quia in mera objecti sui contemplatione non sistit, sed tradit regulas ad mores dirigendos. 3° Dicitur *actus humanos ad honestatem dirigens:* hæc verba objectum hujus scientiæ ejusque differentiam a logica constituunt.

Actus humani ii dicuntur qui fiunt a nobis humano modo agentibus, id est, cum advertentia intellectus et deliberatione voluntatis. Actus vero qui fiunt citra cognitionem intellectus aut voluntatis arbitrium, dicuntur *actus hominis*. De hujusmodi actibus indeliberatis philosophia non tractat, sed de solis actibus humanis.

Plurima hic notanda sunt :

1° Duplex existit ordo in mundo, *physicus,* scilicet, et *moralis:* prior spectat corpora, et posterior respicit intelligentias.

2° Ordo in genere est series relationum inter varia entia, vel inter partes ejusdem entis compositi, v. g., inter partes corpus organicum constituentes.

3° Deus mundum creando, singulis entibus speciales fines assignavit, ea inter se, per individua, species et genera concatenavit, et omnia ad finem communem, simplicissimum et unicum, nempe gloriam suam, destinavit, ita ut nihil extra hunc ordinem existat, nec existere possit.

4° Entia libertate destituta ordinem a Creatore sibi assignatum necessario sequuntur; aut si quædam in eis perturbationes accidant, hoc ipsis velut causis tribui non potest. Nec laude igitur, nec vituperio digna esse possunt.

5° Contra vero entia libera actuum suorum dominium habent; ex propria electione ordinem sibi præscriptum servant, vel ab illo recedunt. Hinc primum actuum humanorum principium.

Duplici modo considerari possunt actus humani, scilicet, in genere et in specie : præsentem igitur philosophiæ partem in duas dissertationes partiemur.

DISSERTATIO PRIMA.

DE ACTIBUS HUMANIS IN GENERE.

Actus humani spectantur in genere, quando a speciali hominis statu abstrahitur.

Quærendum est primum an revera sint actiones bonæ aliæque malæ, unde procedant et qua ratione discerni queant. Tria ergo hujus dissertationis erunt capita : primum, de bonarum malarumque actionum differentia ; secundum, de earum principiis, et tertium, de regulis ad eas discernendas statuendis.

CAPUT PRIMUM.

DE BONARUM MALARUMQUE ACTIONUM DIFFERENTIA.

Si nullum existeret discrimen inter bonum et malum morale, in vanum traderentur agendi regulæ. Igitur sedulo investigandum est an aliquod existat discrimen inter bonum et malum, ita ut quædam actiones hominum essentialiter sint bonæ aliæque malæ, et naturalis existat obligatio a Deo nobis imposita bonas faciendi et malas devitandi : hæc obligatio, si existat, vocanda est lex naturalis. Idcirco in quinque articulos hoc caput dividemus : agemus in primo, de discrimine inter bonum et malum morale ; in secundo, de obligatione faciendi bonum et fugiendi malum, seu de legis naturalis existentia ; in tertio, de illius promulgatione ; in quarto, de ejus immutabilitate, et in quinto, de ejusdem sanctione.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DISCRIMINE INTER BONUM ET MALUM MORALE.

Docebant Epicurei nihil ex natura sua justum vel in-

justum esse, sed omnia pariter homini licita, atque jus naturæ esse jus fortioris.

Monstruosam hanc doctrinam amplexus, auxit et in operibus suis propugnavit *Hobbes* [1], præsertim in libro *de Cive*, quo magnum in se horrorem excitavit, tum in Gallia, tum in Anglia. Aiebat enim 1° hominem facultates inutiles a natura non accepisse, proindeque omnia ipsi possibilia esse licita, v. g., furta, adulteria, homicidia, etc.; 2° homines cum viderent se in tali rerum ordine nullam habituros securitatem, pactum iniisse quo aliquid de jure suo cesserunt, ut præstantius bonum in communi possiderent : hinc, juxta ipsum, prima et unica boni malique moralis origo.

Eidem doctrinæ subscripserunt Spinosa, atheus, et plures recentiores deistæ. Alii affirmarunt totam boni et mali moralis distinctionem a publica utilitate, vel a propria et personali utilitate repetendam esse. Ita in primis *Helvetius* in libro *de l'Esprit*, *La Mètrie*, *d'Holbach*, etc.

Cæteri vero contendunt bonum et malum morale natura sua essentialiter differre, sicut verum et falsum. Illud dicitur bonum quod ordini consentaneum est, et quod ab illo ordine recedit malum est; v. g., in horologio rota ad horas stricte indicandas aptissime disposita, est bona; si vero ad hunc finem destinata, illum obtinere nequeat, est mala : sic pariter in ordine morali actio libera, legitimo fini agentis consentanea, est bona; eidem fini dissentanea, est mala.

PROPOSITIO.

Bonum et malum morale essentialiter differunt.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Ubique enim in sacra Scriptura bonum et malum repræsentantur ut natura fundata,

[1] Thomas *Hobbes*, ex ministro Anglicano anno 1588 natus, et anno 1679 vita functus, erat eruditus, sed moribus corruptus, incredulus, impius et atheus.

æterna et immutabilia : *Lignum scientiæ boni et mali : Eritis sicut dii, scientes bonum et malum,* Gen . II, 9, et III, 5 ; *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras !* Is., V, 20. Ergo 1°, etc.

Prob. 2° *constanti et universali traditione* judaïca et christiana, quæ ne ullam quidem admittit exceptionem. Ergo 2°, etc.

Prob. 3°. Verum et falsum essentialiter differunt, ita ut ipse Deus efficere non possit, v. g., bis duo dare quinque, totum sua parte esse minus, triangulum esse quadratum, etc. ; at bonum et malum morale non minus inter se differunt; in nulla enim hypothesi ens rationale a fine suo libere deflectens, bene facit, aut ad illum recte tendens, malum agit. Imo propositiones practicæ sicut et speculativæ, essentialiter sunt veræ aut falsæ : v. g., tam verum est Deum esse diligendum, parentes esse honorandos, unicuique suum tribuendum esse, quam bis duo dare quatuor, totum esse sua parte majus, etc. Ergo, etc.

Prob. 4°. Consensus populorum unanimis, constans et uniformis firmissimum est veritatis argumentum : atqui unanimiter, constanter et uniformiter admiserunt populi bonum et malum morale a se differe. Ubique enim et omni tempore quædam actiones habitæ sunt ut bonæ, aliæ vero ut malæ ; creditum semper est existere virtutem et vitium, nocentes et innocentes ; semper judicatum est bonum esse, v. g., pauperi et infirmo succurrere, malum autem eum opprimere, verberare, spoliare, trucidare, etc.

Non solum sapientes legislatores et excultæ gentes, verum etiam populi barbari, ipsique scelerati homines, idem sentiunt. Nullus est enim qui sibi persuadeat adulteria, furta, latrocinia, homicidia, parricidia, etc., ex natura sua esse licita. Qui hæc perpetrant crimina, factum, quantum possunt, negant, dissimulant, occultant, aut sub aliquo prætextu, v. g., vindictæ, defensionis, etc., se excusare volunt, aut simpliciter fatentur se reos esse, nec unquam dicunt talia facinora esse virtutes. Ergo, etc.

Hinc Cicero, de Legibus, l. 1, n. 32 : « Quæ natio non

« comitatem, non benignitatem, non gratum animum et « beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ malefi- « cos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non « odit? »

Sic etiam *J.-J. Rousseau*, Émile, t. II, p. 65 : « *Jetez les yeux sur toutes les nations du monde ; parcourez toutes les histoires : parmi tant de cultes inhumains et bizarres, parmi cette prodigieuse diversité de mœurs et de caractères, vous trouverez partout les mêmes idées de justice et d'honnêteté ; partout les mêmes idées du bien et du mal. L'ancien paganisme enfanta des dieux abominables qu'on eût punis ici comme des scélérats, et qui n'offraient pour tableau du bonheur suprême que des forfaits à commettre, et des passions à contenter ; mais le vice armé d'une autorité sacrée descendait en vain du séjour éternel, l'instinct moral le repoussait du cœur des humains. En célébrant les débauches de Jupiter, on admirait la continence de Xénocrate ; la chaste Lucrèce adorait l'impudique Vénus ; l'intrépide Romain sacrifiait à la Peur, il invoquait le Dieu qui mutila son père, et mourait sans murmurer de la main du sien. Les plus méprisables divinités furent servies par les plus grands hommes. La sainte voix de la nature, plus forte que celle des dieux, se faisait respecter sur la terre, et semblait reléguer dans le ciel le crime avec les coupables... Il est donc au fond des âmes un principe inné de justice et de vertu, sur lequel, d'après nos propres maximes, nous jugeons nos actions et celles d'autrui comme bonnes ou mauvaises.*

« *Cet accord évident et universel de toutes les nations, ils* (les prétendus sages) *l'osent rejeter ; et, contre l'éclatante uniformité du jugement des hommes, ils vont chercher dans les ténèbres quelque exemple obscur et connu d'eux seuls, comme si tous les penchants de la nature étaient anéantis par la dépravation d'un peuple, et que, sitôt qu'il est des monstres, l'espèce ne fût plus rien. Mais que servent au sceptique Montaigne les tourments qu'il se donne pour déterrer en un coin du monde une coutume opposée aux notions de la justice? que lui sert de donner aux plus suspects*

voyageurs l'autorité qu'il refuse aux écrivains les plus célèbres ? Quelques usages incertains et bizarres, fondés sur des causes locales qui nous sont inconnues, détruiront-ils l'induction générale tirée du concours de tous les peuples, opposée en tout le reste et d'accord sur ce seul point ? O Montaigne ! toi qui te piques de franchise et de vérité, sois sincère et vrai, si un philosophe peut l'être, et dis moi s'il est quelque pays sur la terre où ce soit un crime de garder sa foi, d'être clément, bienfaisant, généreux ; où l'homme de bien soit méprisable et le perfide honoré ? »

Prob. 5°. Vel bonum et malum morale essentialiter differunt, vel eorum discrimen repetendum est ab eo quod nobis aut reipublicæ judicamus utile, vel a conventione hominum, vel denique a libero Dei arbitrio : atqui quatuor posteriora dici nequeunt.

1° *Non ab eo quod nobis utile judicamus.* Nam admitti non potest principium ex quo multa sequerentur absurda et horrenda : atqui ex præsenti boni malique discriminis principio multa sequerentur absurda et horrenda. Si enim tota boni et mali distinctio ab eo quod nobis utile judicamus deducenda sit, nulla existit constans et perpetua morum regula : unusquisque potest, tuta conscientia, atrocissima perpetrare crimina, modo ea sibi utilia judicet. Nullum tunc erit discrimen reale inter pium et impium, mansuetum et crudelem, misericordem et homicidam, Ciceronem et Catilinam, Titum et Neronem, S. Vincentium a Paulo et *Robespierre*, etc. Porro nemo non videt quam absurda et horrenda sint hæc consectaria. Ergo 1°, etc.

2° *Non ab eo quod reipublicæ judicatur utile.* In ea enim hypothesi quidquid publica societatis utilitas postulare videretur, eo ipso fieret bonum et justum : sic quandoque liceret mentiri, calumniari, pejerare, per fraudem decipere, occidere, etc. ; in privatis actibus nihil ad utilitatem publicam conferentibus, nulla esset distinctio inter bonum et malum : atqui hæc admitti nequeunt. Præterea cur bonum esset utilitatem publicam procurare? cur malum ei nocere ! certe hujus discriminis nulla assignatur ratio. Ergo 2°, etc.

3° *Non a conventione hominum.* Tunc enim homines boni et mali limites nova conventione mutare possent, quod evidenter repugnat. Aliunde vel essentialiter bonum est stare pactis semel initis et malum ea infringere, vel non : si prius, bonum et malum essentialiter differunt; si posterius, prædicta hominum conventione posita, nihil adhuc est bonum vel malum. Ergo 3°, etc.

4° *Non a libero Dei arbitrio.* Id enim a libero Dei arbitrio pendere dicitur, quod sine ulla repugnantia aliter esse posset : sic a libero Dei arbitrio pendet quod terra circa solem volvatur, quod homo duo potius quam tria, quatuor aut plura habeat brachia.

Omnes autem persuasum habent prima morum principia essentiis rerum fundari, et mutari non posse; imo Deum velle bonum malumque prohibere, quia ipse talem actum ut bonum, alterum vero ut malum percipit. Excipimus tamen mandata positiva quæ ab ipsius libera voluntate omnino pendent. Unde Deus homines aliter constituere potuisset, non vero efficere ut bonum et malum a se non differrent.

Insuper, si notio boni et mali notionem voluntatis Dei prioritate rationis non antecederet, notio voluntatis Dei nullam pareret obligationem, nulla tunc esset *ratio* officii, quia dici non posset malum esse Deo non obedire. Unde qui præceptum asperneret, *imprudenter* vindictæ se exponeret, sed actum moraliter malum non admitteret Si ergo apud Is., XLV, 7, Deus dicatur *faciens pacem et creans malum,* id intelligendum est de malo physico, vel de malo morali, quod permittit ut bonum ex illo deducat, non vero eo sensu quod malum morale constituat. Ergo, etc. Vide opus card. *Gerdil* jam citatum : *Principes métaphysiques de la morale chrétienne.*

Quidam recentiores proposuerunt ut regulas ad discernendum bonum a malo *sympathiam*, quam quis experitur si ab omni commodo proprio vel studio partium abstrahat. vel *sensum moralem.* Sed 1° regula a sympathia deducta videtur implicare in terminis : nam hæc ipsa sympathia ad commodum proprium et studium partium reduci po-

test; non eadem est apud omnes; imo variatur in eodem subjecto, juxta illius statum, ætatem, etc.; et quod præcipuum est, nullam obligationis *rationem* involvit, ut patet. 2° *Sensus moralis* rationem discriminis inter bonum et malum non exhibet, et aliis vitiis modo expositis laborat. Ergo insufficiens est regula ad secernendum bonum a malo. Ergo. etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Essentialis distinctio inter bonum et malum supponit ideas innatas : at opinio quæ tenet dari ideas innatas nunc rejicitur : ergo, etc.

R. Nego maj. Ut enim bonum et malum essentiali discrimine inter se differant, necesse est quidem utriusque distinctionem in essentiis rerum fundari, sed minime requiritur ut sint ideæ innatæ : hanc quippe distinctionem ignorare possumus, non vero illam aliter quam est percipere. Ergo, etc.

Quid sentiendum de *minore* supra dictum est.

Inst. 1°. Si boni et mali distinctio essentiis rerum fundetur, ipsius perceptio naturalis nobis esse debet : atqui hæc perceptio nobis naturalis esse non potest quin sit innata : ergo, etc.

R. 1°. *Dist. maj.* Ipsius perceptio naturalis esse debet, id est, ex natura rerum deducenda, *conc.;* de facto deducta, *nego maj.* Minime enim repugnat hanc distinctionem existere et a nobis ignorari. Ergo, etc.

R. 2°. *Neg min.* Illa enim perceptio merito dicitur naturalis quæ ex natura nostra fluit ; atqui perceptio distinctionis inter bonum et malum ex natura nostra fluere potest, quamvis non sit innata. Sic naturale est homini ambulare, videre, et tamen non semper ambulat et videt : naturale est arboribus folia et fructus ferre, et nihilominus arbores folia et fructus jugiter non habent, etc.

Inst. 2°. Si boni malique perceptio ab ipsa natura nostra flueret, eadem essent morum principia apud omnes homines : atqui tamen eadem non sunt morum, etc. Ergo, etc.

R. 1°. *Distinguo maj.* Apud omnes moraliter, *conc.;* apud omnes absolute, *nego maj.* Fieri enim potest ut quædam ejusdem speciei individua nonnullis careant attributis ad complementum naturæ necessariis, et tunc dicuntur monstra : sic in ordine physico, quamvis naturale sit homini duo habere brachia, duos oculos, etc., aliquando contingit nasci individuum mancum aut cæcum : ita pariter accidere potest in ordine morali ut quidam nascantur homines, qui melius dicerentur monstra. Ergo, etc.

R. 2°. *Dist. min.* Eadem apud omnes homines non sunt morum principia, id est, cognitio principiorum morum non est apud omnes æque perfecta, *conc.;* id est, varia sunt morum principia circa idem objectum, *nego min* Equidem certum est cognitionem principiorum morum non esse æque perfectam apud omnes homines, v. g., apud philosophum et rusticum, apud gentem excultam et populum barbarum. Hæc quippe cognitio eodem modo comparatur ac cognitio veri et falsi : porro cognitio veri et falsi multum variatur pro conditione et qualitate personarum; ergo et cognitio principiorum morum similiter. Imo et facilius variari potest, quia præjudiciis, cupiditatibus aliisque causis sæpe obnubilatur. Sed ubi hæc principia certo noscuntur, eodem modo percipiuntur sicut scientiarum axiomata quæ ignorari possunt; aliter vero quam sunt percipi nequeunt. Ergo, etc.

Inst. 3°. Plures visi sunt et etiam nunc existunt populi qui crudeliter dilacerant et manducant homines; alii proprios parentes occidunt; alii infantes male constitutos destruunt, quemadmodum catellos occidimus. Furtum olim licitum erat apud Lacedæmones, incestus apud Persas, humanarum victimarum sacrificia apud Carthaginenses et Gallos, etc.; ergo apud hos aliosque populos varia erant morum principia circa idem objectum.

R. Dist. conseq. Diversa erant morum principia, quoad applicationem, *conc.;* quoad ipsam principiorum substantiam, *nego consequens.* Itaque fatendum est quamdam circa morum principia exstitisse diversitatem apud diversos populos, ut ex historia et ex certis monumentis

constat. Verum hæc diversitas ipsam principiorum substantiam non lædebat : omnes enim ex eodem principio exordientes, plus minusve ab illo in applicatione recedebant, secundum varias erroris causas quibus erant obnoxii.

Sic, 1° inter populos dictos *anthropophages*, plures adeo sunt barbari et agrestes ut natura humana penitus sit deturpata in ipsis; non igitur quærendum est apud illos quid naturale sit homini. Alii vero et multo plures, licet in silvis cum feris et quasi more ferarum vivant, plurima morum principia recte agnoscunt; v. g., æstimant honestum esse sibi invicem succurrere, conventionibus fideliter stare, aliena non rapere, etc.; contribulos et amicos non manducant, sed extraneos et præsertim eos quos jure belli fecerunt captivos : cum enim persuasum habeant se eos tanquam inimicos licite occidere posse, arbitrantur sibi pariter licitum esse eos dilacerare et manducare.

2° Qui proprios parentes senio confectos occidebant, præceptum honorandi parentes non ignorabant; illud e contra adimplere sibi proponebant. Credebant enim se, in his circumstantiis, magnum eis præstare obsequium.

3° Eodem principio mos apud quasdam gentes invaluit ut matres proprios occiderent vel exponerent infantes, quando prævidebant eos in terris vel apud se futuros esse miseros. Non ergo amori materno erant alienæ.

4° Lycurgus apud Lacedæmones permiserat furtum, sed tantum juvenibus, rerum comestibilium, et ita solerter peractum ut non detegeretur. Concessione hac juniores ad artem bellicam excitare et præparare volebat; cives huic legi consentientes, proprietatem bonorum sic ereptorum concedebant. Aliunde conditiones sub quibus tale furtum permittebatur, satis indicant Lacedæmones non credidisse furtum in genere et ex natura sua esse licitum.

5° Non constat matrimonium inter fratres et sorores, apud Persas lege permissum, lege naturali stricte prohiberi. Aliunde si quædam hujus generis reperiantur

exempla, quid inde concludi potest? Id unum, nempe naturam humanam plus minusve ignorantia, præjudiciis, cupiditatibus, etc., depravari posse quod libenter concedimus.

6° Humana offerebantur sacrificia, sed in iis tantum circumstantiis in quibus judicabatur ea propter deorum auctoritatem esse licita vel etiam imperata; in aliis vero circumstantiis tenebant ipsimet populi barbari homicidia esse crimina.

Facta igitur nobis objecta aliaque similia non probant diversa exstitisse morum principia, sed tantum diversos errores circa eorum applicationem. Ex variis autem fontibus oriri potuerunt hujusmodi errores, scilicet, ex educatione, præjudiciis, cupiditatibus, etc., dum, e contra, consensus omnium populorum circa boni et mali distinctionem ex sola natura ortum habere potuit; nam in sola natura homines constanter et uniformiter sibi consentire possunt, præsertim in iis quæ cupiditatibus adversantur. Porro sententia quæ tenet dari discrimen inter bonum et malum cupiditatibus adversatur. Ergo, etc.

Quidam præstantissimi philosophi graves docuerunt errores circa morum principia; sed vel dicendum est eos a communi instinctu defecisse, et pro nihilo reputandi sunt, sicut monstra in ordine physico; vel, ut probabilius est, erraverunt tantum in pricipiorum consequentiis plus minusve remotis, vel in eorum applicatione. Ergo, etc.

Inst. 4° Perpetua conflictatione inter se decertant philosophi morales, nec sibi consentire possunt : ergo apud eos eadem non sunt morum principia etiam quoad substantiam.

R. Dist. ant. Perpetua conflictatione decertant, etc. quoad remotas primorum principiorum conclusiones, *conc.;* quoad ipsa principia et proximas eorum conclusiones, *nego ant.* Itaque fatemur sæpe inter se disputare philosophos quoad conclusiones primorum principiorum remotas, et id non mirum est; in morali enim, sicut in

scientiis speculativis, conclusiones ex principiis ope discursus inferuntur; at sæpe nonnulli occurrunt casus ita specialibus circumstantiis implicati, ut bonitas a malitia difficile secerni queat; porro in solvendis hujusmodi difficultatibus tam facile est errare quam in scientiis speculativis. Ergo de natura est hominis in presenti vita tenebrarum, ut circa dictas conclusiones frequenter existant opiniones contradictoriæ. Verum circa prima principia et proximas conclusiones ex iis deductas, moralis semper exstitit et perfecta adhuc existit uniformitas. Ergo, etc.

Inst. 5°. Saltem, præter prima principia et proximas eorum conclusiones, omnia sunt dubia et incerta in morali : ergo præter paucissimos casus, nulla est morum regula ratione fundata.

R. 1° *Nego ant.* Quamvis enim circa remotas primorum principiorum conclusiones sæpe sibi contradicant philosophi, multa nihilominus constant; 1° quia multa ab omnibus moraliter et ab iis qui sanioris sunt mentis admittuntur; 2° quia in opinionibus controversis multa adversus contradicentes evidenter demonstrantur. Ergo, etc.

R. 2° *Nego conseq.* In dubiis enim recta ratio dictat partem quæ practice eligenda est, juxta quod infra, et præsertim in Inst. theol., Tract. *de Conscientia*, statuemus. Ergo, etc.

Obj. 2° Homo felicitatem suam necessario quærit : ergo licite facere potest quidquid sibi utile esse videtur, ac proinde sola utilitas personalis est boni et mali regula.

R. 1° *Negari potest antecedens :* supponi enim possunt actus, qui ad propriam felicitatem *explicite* non dirigantur, quamvis consequenter ei inserviant. Factum in Theologia demonstratur : nunc solum admittimus possibilitatem.

R. 2° *Nego conseq.* Admisso etiam quod homo propriam felicitatem in genere necessario quærat, nihilominus est liber in eligendis mediis quibus felicitatem sibi propositam assequatur, ut ostendimus in tertia parte Metaphysicæ, ubi de libertate humana : si sit liber, exami-

nare debet an media quæ assumit sint bona vel mala: ergo falsum est illum licite facere posse quidquid sibi in præsenti vita utile esse videtur.

Inst. Determinatio voluntatis semper supponit judicium intellectus : ergo quod judicamus ad felicitatem nostram conducere, licite possumus facere.

R. Dist. consequens. Quod recte judicamus ad felicitatem nostram conducere, licite possumus eligere, *concedo;* quod immerito judicamus, etc., *nego conseq.* Libenter enim fatemur hominem licite facere posse quidquid recte judicat ad felicitatem suam conducere, quia id unum utile est homini, videlicet, quod recto ordini consentaneum est : porro licite facere potest homo quidquid recto ordini consentaneum est. Sed falsum est hominem licite facere posse quidquid felicitati suæ utile esse simpliciter et ad sensum *Helvetii* judicat. Nec enim Dei existentiam, nec supremam ejus voluntatem, nec essentialem rerum moralium ordinem advertebat *Helvetius,* sed solam uniuscujusque præsentem utilitatem. At si unusquisque propriam utilitatem tanquam unicam morum regulam sequeretur, ingens malorum caterva inde oriretur, ut jam jam ostendimus.

Insuper detestanda est doctrina quæ omnem virtutem tolleret de mundo : atqui doctrina *Helvetii* omnem virtutem tolleret de mundo, ut patet, siquidem neque propter Deum, neque propter alios homines, neque propter boni honestatem et mali horrorem ageremus, sed nosmetipsos in præsenti vita jugiter quæreremus. Ergo, etc.

Obj. 3° Ut perfecte noscamus an bonum a malo essentialiter differat, homo considerandus est in statu naturæ puræ et ante quamlibet conventionem : atqui in eo statu nulla erat distinctio inter bonum et malum : ergo, etc. Ita *Hobbes.*

R. 1° *Nego maj.* Homo enim considerari non debet in statu ad quem non fuit destinatus : atqui homo non fuit destinatus ad statum naturæ puræ, ut ex infra dicendis patebit. Ergo, etc.

R. 2° *Nego min.* Tam clare enim percipimus bonum a

malo natura sua differre, quam verum a falso; at certe, fatentibus omnibus, in statu naturæ puræ verum essentialiter differret a falso. Ergo, etc.

Inst. 1° In statu naturæ puræ ea omnia quæ poterat homo, ipsi licita erant : ergo nulla erat distinctio, etc.

R. Nego ant. Nam, in vana hac hypothesi, homo ad finem aliquem destinatus fuisset, nempe ad Deum naturaliter cognitum; verus ergo exstitisset ordo. Vel autem ipsius actiones huic ordini fuissent conformes, vel non : si prius, bonæ fuissent; si posterius, malæ, ut evidens est. Ergo, etc.

Inst. 2°. Homo nullam accepit a natura potestatem inutilem; at si omnia sibi possibilia vi naturæ licita non essent, dicendum foret hominum accepisse a natura potestatem inutilem : ergo, etc.

R. Nego min. Illa enim potestas dici non potest inutilis, quæ est fons et radix omnium virtutum : atqui potestas faciendi illicita est fons et radix omnium virtutum. Si enim ad bonum necessario determinaremur, nullus relinqueretur locus merito, ut patet. Aliunde hæc facultas proprie non est potestas, sed consectarium potestatis bonum ex electione agendi. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OBLIGATIONE FACIENDI BONUM ET VITANDI MALUM, SEU DE LEGIS NATURALIS EXISTENTIA.

Lex, a verbo *ligare*, sive, juxta alios, a verbo *legere*, sic dicta, definitur : Præceptum commune, justum, stabile, a superiore latum, sufficienter promulgatum et convenienti sanctione munitum.

Dicitur 1° *præceptum*, et sic differt a consilio; 2° *commune*, ut distinguatur a mandato quibusdam tantum facto; 3° *justum*, quia injustum seu malum a nemine præcipi potest; 4° *stabile*, quia de natura est legis ut sit quædam regula permanens, non vero actus transitorius; 5° *sufficienter promulgatum*, quia præceptum innotescere debet : per promulgationem vero innotescit; 6° *a superiore*

latum : solus quippe superior legitimus habet virtutem præcipiendi et obligandi ; 7° *convenienti sanctione munitum :* nisi enim lex convenienter sanciretur, scopum a se intentum superior attingere non posset.

Non existit superior quin sint inferiores, ut patet. Similiter jus præcipiendi importat obligationem parendi. Vox autem *obligatio* oritur a verbo *ligare*, sicut et lex, ac significat ligationem ob aliquam causam.

Deus ex natura sua jus habet quidquid voluerit nobis præcipiendi et tenemur ei obedire : totum enim ens nostrum morale et physicum ab eo accepimus : ergo sub omni respectu ipsius inferiores sumus et subjectionem ei debemus.

Ab æterno videt supremum ordinem essentiis rerum earumque relationibus fundatum. Ordo ille *bonum* constituit, quod *moralem* dicitur ubi de entibus intelligentibus et liberis agitur; *malum* autem est ejusdem ordinis perturbatio. Summa hæc ratio in Deo existens, qua immutabiliter continentur quæcumque facienda sunt aut vitanda, dicitur lex æterna. Unde S. Aug., l. 22, contra Faustum, cap. 2, t. VIII, col. 378 : « Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. » Lex naturalis est *Participatio legis æternæ in creatura rationali*, S. Thom. 1, 2, q. 91, art. 2. Recte definiri potest : Præceptum quo Deus jubet ut impleantur officia ex natura rerum profluentia, et cujus necessitatem agnoscere potest ratio, sive ex seipsa, sive ope alieni adjutorii.

PROPOSITIO.

Existit lex naturalis.

Prob. 1°. Deut., XII, 28 : *Observa et audi omnia quæ præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui.* Ps. XXXIII, 15 : *Diverte a malo et fac bonum.* Est conditio requisita ad videndos dies bonos et obtinendam veram vitam. Joan., V, 29 : *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala*

egerunt, in resurrectionem judicii. Ergo Deus stricte præcipit agere bonum et devitare malum. In his textibus et multis aliis clare patet actiones quasdam esse bonas in se, quasdam vero malas, ideoque priores præcipi a Deo, posteriores vero prohiberi : non, e contra, eas malas aut bonas efficit libera Dei voluntas. In hac obligatione a Deo imposita, tota nititur religionis praxis, tota morum disciplina, totus ordo familiarum et societatis. Ergo, etc.

Prob. 2°. Bonum morale est conformitas actionum liberarum ordini æterno et immutabili; malum morale est oppositio huic ordini. Porro impossibile est Deum non curare ut talis ordo a creaturis suis liberis servetur : vel enim jubet ut hunc ordinem custodiamus, vel cunctas actiones nostras indifferenti oculo cernit. At posterius dici non posset, quin tunc præcipua Dei attributa evidenter læderentur, videlicet sapientia, sanctitas et bonitas. Ergo, etc.

Prob. 3°. Legislatores et populi universæ terræ, si excipiantur Epicurei, persuasum semper habuerunt Deum e cœlo prospicere res humanas, bonas actiones præmiis remunerare, malas vero suppliciis afficere. At unanimis hæc persuasio a communi origine descendit, et in ipsa natura necessario suum habet fundamentum. Ergo venit a Deo. Ergo, etc. Vide *Suarez*, de Legibus, lib. 2; Card. *Gerdil*, *Principes métaph.* etc.; *Discours philos. sur l'homme*, t. II et VII, etc.

Lex ista dicitur naturalis, quia in essentiis rerum fundatur, et aliquo modo in nobis naturaliter impressa est. Vis autem obligationis ejus a voluntate Dei ordinem servari necessario, uti diximus, jubentis, repetenda est; ipsius transgressio, voluntati divinæ opposita, dicitur *peccatum*.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Sola ratio homines sufficienter determinare potest ad bonum faciendum et malum fugiendum : ergo inutile est ad Deum recurrere ut fundamentum prædictæ obligationis assignetur.

R. 1°. *Nego ant.* Homines enim ad bonum faciendum et malum fugiendum sufficienter non determinantur, nisi

præcepto obstringantur; at sola ratio quid faciendum vel omittendum sit forte, in quibusdam saltem, sufficienter indicare potest, sed præcipere nequit. Ipsa enim legi est subjecta, non vero est legislatrix; nullam habet auctoritatem in hominem, cum nihil aliud sit quam homo rationes rerum investigans : ergo nihil ipsi præcipere potest. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Etiamsi aliis motivis sufficienter determinaretur homo ad bonum faciendum et malum fugiendum, nihilominus ad Deum recurrendum esset; constat enim Deum velle ut bonum faciamus et malum fugiamus. Ergo, etc.

Inst. Virtus gratuita esse debet : atqui gratuita non esset, si ad eam divina auctoritate determinaremur : ergo, etc.

R. Dist. maj. Virtus gratuita esse debet, id est, coli debet primario propter Deum, et secundario propter semetipsam, *conc.;* excludere debet propriam utilitatem et omnem respectum ad Deum, *nego maj.* Etenim propria utilitas regula virtutis esse non potest, ut ex iis quæ diximus patet, sed falsum est veram virtutem a quavis utilitate nostra alienam esse debere. Nati sumus enim ad felicitatem : atqui vera felicitas in cultu virtutis et in præmiis ejus necessario consistit, ut infra ostensuri sumus. Insuper, ipsa virtutis *ratio* reperitur in conformitate legi et obedientia Deo ordinem servari præcipienti. Unde sola ordinis pulchritudo metaphysice intellecta virtutem constituere non potest. Ergo, etc.

Obj. 2°. Deus non jubet ut in ratiociniis nostris a vero non deflectamus; ergo nec ut in actibus bonum semper faciamus.

R. Nego ant. Deus enim jubet ut facultatibus nostris recte utamur; ergo a recto voluntarie deflectentes, contra finem nostrum et Dei voluntatem ageremus. Unde qui scientiis speculativis ex conditione sua studere tenetur, peccat si de recte ratiocinando non curet. Verum multo minus frequenter et universaliter sub hoc respectu peccatur, quam in materiis morum quia 1° omnes principia morum sequi tenentur, non vero scientias speculativas

ediscere; 2° cupiditates ad falsa ratiocinia non inclinant, sicut ad malas actiones. Ergo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGIS NATURALIS PROMULGATIONE.

In eo quærendum est igitur 1° an et quomodo lex naturalis sufficienter promulgetur; 1° an ignorari possit; 3° quotuplex sit conscientiæ divisio.

§ I. An et quomodo lex naturalis sufficienter promulgetur.

Nemo est ratione pollens, qui in se non sentiat quoddam dictamen, cujus lumine bonum a malo discernit et judicat quasdam actiones esse bonas et alias esse malas.

Dictamen istud, in omnium mentibus impressum, a divino naturæ humanæ auctore necessario provenit, et est velut supremæ voluntatis ejus manifestatio. Hæc autem manifestatio est vera promulgatio æternæ legis, qua determinatur obligatio.

Nulla specialis requiritur forma ad hanc legis naturalis promulgationem : sufficit ut præceptum Dei nobis innotescat.

Eodem modo in omnibus impressa et quasi scripta sunt prima morum præcepta. At fatendum est lumen istud mere rationale in multis deficere et rationem circa plurima primorum principiorum consectaria cæcutire, ut mox dicturi sumus, et clare demonstrabimus ubi de revelatione.

Ad juvandam autem imbecillitatem nostram Deus mentes nostras illustravit, 1° per revelationem ; 2° per Ecclesiæ auctoritatem et traditionem. Unde merito concluditur legem naturalem, quoad multa, in præsenti rerum statu, per conscientiam omni externo adminiculo destitutam non sufficienter promulgari. Ideo cunctos videmus philosophos, tam recentes quam antiquos, auxilia revelationis et traditionis abnegantes, in innumera abire systemata circa fere omnia hominum officia.

Adhuc debilitati nostræ auxiliantur universalis populo-

rum traditio et concordantes doctorum sententiæ. Nihilominus officia his omnibus viis cognita ad legem naturalem pertinent, quando in essentiis rerum fundantur, et ratione apprehendi possunt. Ergo, etc.

§ II. — An in præsenti rerum statu lex naturalis invincibiliter ignorari possit.

Illa ignorantia dicitur *invincibilis*, quæ communibus naturæ et gratiæ auxiliis vinci non potest : illa vero est *vincibilis*, quæ iisdem auxiliis superari potest.

Quidam rigidiores doctores, præsertim ex facultate Lovaniensi, tenebant nullam dari ignorantiam legis naturalis invincibilem etiam quoad remotissimas ejus consequentias. Deus enim, inquiebant, permittere non potest ut quæ essentialiter sunt mala ignorentur ab hominibus ratione præditis, et in necessitate agendi constitutis, unde unusquisque sedulo attendens, reflectens, studens et orans hanc ignorantiam semper expelleret.

Cæteri vero contendunt dari ignorantiam invincibilem circa conclusiones legis naturalis remotas. Hæc enim ignorantia est invincibilis quæ a sanctissimis et doctissimis viris superari non potuit : atqui datur ignorantia circa conclusiones remotas legis naturalis quæ a sanctissimis et doctissimis viris superari non potuit. Sanctissimi quippe et doctissimi viri frequenter propugnaverunt sententias sibi contradictorias, etiam in iis quæ lege naturali fundantur; v. g., S. Thomas docet judicem damnare posse reum juridice convictum, quem scientia privata scit esse innocentem, quod S. Bonaventura negat. Ergo, etc.

Notandum est insuper peccata ex ignorantia invincibili, Deo sic permittente, sequentia, non imputari agenti : ruit ergo fundamentale principium posterioris hujus sententiæ adversariorum.

Communius tamen ut certum habetur non dari ignorantiam invincibilem circa prima legis naturalis præcepta, v. g., *Non occides; Non furtum facies*, nec circa proximas conclusiones ex iis deductas; perfecto enim usu rationis adepto, si error circa hujusmodi veritates exis-

teret, data seria attentione, facile detegi posset. Ergo, etc.

Dicimus *perfecto usu rationis adepto;* nam absolute fieri potest ut, in idiotis, quibusdam rusticis aliisque hominibus stolidis et plumbatis, invincibilis per aliquod tempus detur error circa prima legis naturalis præcepta et proximas conclusiones ex iis deductas.

§ III. — De conscientiæ divisionibus.

Conscientia præcipue dividitur in veram et falsam, in certam et dubiam.

Conscientia *vera* ea est quæ tradit ut licitum vel illicitum quod tale est in se; et conscientia *falsa* seu erronea tradit, e contra, ut bonum quod est malum, vel ut malum quod bonum est.

Conscientia *certa* illa est qua quis prudenter seu absque probabili errandi formidine judicat aliquid in particulari esse bonum vel malum : unde patet conscientiam certam non necessario esse veram. Talis est conscientia invincibiliter erronea.

Conscientia *dubia* ea est quæ propter rationes hinc et inde oppositas manet suspensa inter bonitatem et malitiam alicujus actionis in particulari.

Plures sunt aliæ divisiones conscientiæ quas, velut in his Institutionibus philosophicis minus utiles, omittimus.

1° Certum est conscientiam veram et certam tutam esse actionum nostrarum regulam.

2° Contra conscientiam etiam erroneam nunquam licet agere. Non licet enim habere voluntatem peccandi : porro qui contra conscientiam etiam erroneam ageret, haberet voluntatem peccandi; eodem modo enim intus affectus esset ac homo qui sciens et volens quod præceptum est omittit, vel quod prohibitum est facit. Ergo, etc.

Cætera ad conscientiam spectantia remittuntur ad Theologiam, ubi in speciali *de Conscientia* Tractatu evolvuntur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE LEGIS NATURALIS IMMUTABILITATE.

Triplici modo lex aliqua dici potest mutari, nempe per abrogationem, per derogationem et per dispensationem. Mutatur *per abrogationem*, cum omnino tollitur, et *per derogationem*, quando ex parte tantum cessat; mutatur vero *per dispensationem*, quando vis ejus a superiore in gratiam alicujus individui relaxatur.

PROPOSITIO.

Lex naturalis nullam proprie dictam admittit mutationem, neque per abrogationem, neque per derogationem, neque per dispensationem.

Prob. 1° *Non per abrogationem.* Lex quippe naturalis nihil præcipit aut prohibet nisi quod ex natura sua bonum vel malum est : atqui lex hujusmodi abrogari non potest. Tunc enim quod ex natura sua bonum est fieret malum, et quod ex natura sua malum est fieret bonum; v. g., bonum esset pacta infringere, Deum inhonorare, blasphemare, etc.; porro illud repugnat. Ergo 1°, etc.

2° *Non per derogationem.* Quod enim essentialiter bonum vel malum est, non magis ex parte quam ex toto cessare potest. Ergo, etc.

3° *Non per dispensationem.* Aliquem enim a lege naturali dispensare, nihil aliud esset quam illi permittere ut quod ex natura sua malum est, licite faceret; atqui repugnat ipsum Deum hujusmodi licentiam concedere. Non magis enim Deus efficere potest ut quod malum est fiat bonum, quam falsum convertere in verum. Ergo, etc.

Aliquando tamen contingere potest totam legis naturalis materiam dominio Dei esse subjectam. In eo autem casu Deus hanc materiam mutare potest, et ea mutata, obligatio vel prohibitio antea subsistens jam non existit. Tunc lex naturalis per quamdam dispensationem indirecte mutatur; v. g., lex naturalis prohibet homicidium auctoritate privata susceptum, et furtum; quoniam vero

vita hominum et cuncta bona creata supremo Dei dominio subjiciuntur, Deo jubente vel permittente, licet homines occidere, bona eorum diripere, etc.

Abraham igitur contra legem naturalem non peccavit arripiendo gladium ut filium suum immolaret, nec Israelitæ vasa Ægyptiorum auferendo, et populos terræ Chanaan exterminando, etc.

ARTICULUS QUINTUS.

DE SANCTIONE LEGIS NATURALIS.

Veteres Epicurei et hodierni materialistæ futuram negant vitam ; Pythagorici eam quidem admittebant, sed post varias transmigrationes. Alii dicebant mentes puriores statim post mortem divinæ substantiæ uniri, impuras vero in alia transituras esse corpora : judicabant enim futuram vitam necessario esse beatam. Alii vitam futuram exoptabant, sed illius existentiam demonstrare non poterant : hujus sententiæ fuisse videtur Cicero, qui variis in locis de immortalitate animæ disertissime loquitur, præsertim in lib. *de Amicitia*, nis 10 et 14, et in *Quæst. Tusc.*, l. 1, nº 66.

Affirmabat Seneca opinionem magnorum virorum de immortalitate animarum gratam esse *magis quam probatam*.

Nos autem jam probavimus corporis dissolutionem mentis annihilationem non inducere. Nunc quærendum est 1º an altera, post præsentem, exstitura sit vita beata vel misera, pro uniuscujusque conditione, et 2º an aliquando desitura sit vel in æternum sit mansura. His per sequentes propositiones satisfaciemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Post præsentem, altera exstitura est vita beata vel misera, secundum uniuscujusque opera.

Prob. ex fide christiana, ex pluribus Dei attributis et facultatibus a Deo nobis concessis, ex consensu omnium populorum, et ex consectariis aliunde secuturis.

1° *Ex fide christiana.* Finis enim totius doctrinæ christianæ, respectu hominis, est vita futura summe beata pro bonis, et summe misera pro malis : *Fratres mei*, jam inquiebat, sub Veteri Testamento, junior e septem fratribus qui in persecutione Antiochi tam fortiter pro legibus suis mortui sunt (II Mach, VII, 36), *modico nunc dolore sustentato sub testamento æternæ vitæ effecti sunt : tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves.* In libris Novi Testamenti permulti sunt textus eamdem veritatem clare enuntiantes, ut omnibus manifestum est. Ergo 1°, etc.

2° *Ex pluribus Dei attributis*, videlicet, ex sapientia, bonitate, sanctitate et justitia ejus.

Ex sapientia ejus. Deus enim per legem naturalem omnibus præcipit bonum et prohibet malum; necesse est ergo ut proponat motivum universale et constans quo omnes in singulis circumstantiis rationabiliter determinari debeant ad bonum faciendum et malum vitandum ; alioquin vel nullum finem sibi proposuisset, vel finem intendendo, de mediis ad eum assequendum idoneis non curasset. Duo autem posteriora sapientiæ ejus manifesto repugnant. Atqui tamen si altera non exstitura sit vita, dicendum est Deum, bonum præcipiendo et malum prohibendo, aut nullum finem sibi proposuisse, aut de mediis ad assequendum finem sibi propositum idoneis non curasse; exclusa enim altera vita, nullum remanet præmium bonis, nullaque pœna malis, siquidem in hac vita bona et mala promiscue conceduntur sine ullo respectu ad virtutem. Ergo 2°, etc.

Ex bonitate ejus. Ille procul dubio ut optimus haberi non posset dominus, qui obsequiosissimos sui ipsius servos, post maximos exantlatos labores, post multas tribulationes, angustias et privationes, ex solo fidelitatis amore strenue perpessas, absque ullis præmiis et gratitudinis muneribus dimitteret: atqui ita se gereret Deus, si alter non existeret vita. Exigit enim ut homines malum moraliter fugiant et virtutem sectentur : porro sæpe jucundum est vitium et uberrima præstat commoda , dum ardua est virtus et in hac vita maximas generat miserias, ut exp

rientia constat; ergo impii merito dicerent: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*, I Cor., xv, 32. Ergo, etc.

Ex sanctitate ejus. Sanctitas quippe exigit ut Deus bonum morale semper diligat, et malum summo odio semper habeat : at si, post præsentem, altera non exstitura esset vita, Deus non videretur diligere bonum et aversari malum, cum in terra nec malos puniat, nec bonos præmiis donet, saltem ut communius. Ergo, etc.

Ex justitia. Superior qui aliquid inferioribus suis mandaret et tamen obedientes et inobedientes promiscue exciperet, certe justus non esset : atqui ita se haberet Deus, si altera non existeret vita. Imo, cum sæpe iniqui divitiis, honoribus et deliciis hujus vitæ affluant, dum justi in luctu, paupertate, abjectione, ærumnis et doloribus vitam miserrimam ducunt, inde sequeretur Deum plus contemnentibus se favere quam suis cultoribus; ergo læderetur ac tolleretur ipsius justitia, dum, e contra, jura ejus optime servantur si altera futura sit vita. Hinc civis Genevensis, *Emile*, t. II, p. 52 :

« *Dieu, dit-on, ne doit rien à ses créatures : je crois qu'il leur doit tout ce qu'il leur promit en leur donnant l'être : or, c'est leur promettre un bien que de leur en donner l'idée et de leur en faire sentir le besoin. Plus je rentre en moi, plus je me consulte et plus je lis ces mots écrits dans mon âme :* Sois juste et tu seras heureux. *Il n'en est pourtant rien, à considérer l'état présent des choses : le méchant prospère et le juste reste opprimé. Voyez aussi quelle indignation s'allume en nous quand cette attente est frustrée! La conscience s'élève et murmure contre son auteur : elle lui crie en gémissant : Tu m'a trompée !*

« *Je t'ai trompée, téméraire ! et qui te l'a dit ? Ton âme est-elle anéantie ? as-tu cessé d'exister?...*

« *On dirait aux murmures des impatients mortels, que Dieu leur doit la récompense avant le mérite, et qu'il est obligé de payer leur vertu d'avance. Oh ! soyons bons premièrement, et puis nous serons heureux. N'exigeons pas le prix avant la victoire, ni le salaire avant le travail. Ce n'est point dans la lice, disait Plutarque, que les vain-*

queurs de nos jeux sacrés sont couronnés, c'est après qu'ils l'ont parcourue.

« *Si l'âme est immatérielle, elle peut survivre au corps : et si elle y survit, la providence de Dieu est justifiée. Quand je n'aurais pas d'autres preuves de l'immatérialité de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste en ce monde, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une contradiction si manifeste, une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle, me ferait chercher à la résoudre. Je me dirais : Tout ne finit pas pour nous avec la vie ; tout rentre dans l'ordre à la mort.* »

3° *Ex facultatibus a Deo nobis concessis.* Repugnat enim Deum nobis dedisse facultates quæ absque culpa nostra nunquam expleri possent : atqui tamen si altera non futura esset vita, dicendum foret Deum nobis dedisse facultates quæ, etc. Nam 1° insatiabile existit in nobis desiderium cognoscendi verum ; at desiderium istud in præsenti vita satiari non potest. Quidquid enim eruditissimi et ingenio sagacissimi homines cognoscere possunt, fere nihil est comparatione eorum quæ ignorantur. 2° Invincibili propensione appetimus felicitatem veram, nullis malis admixtam, nullis vicissitudinibus caducam : atqui talis felicitas non invenitur in terra. 3° Mortem exhorrescimus, annihilationem refugimus, semper existere cupimus, futuram beatitudinem exoptant justi ; soli perversi homines nihilum invocant. Unde si altera non exstitura sit vita, Deus cultoribus virtutis perpetuo illudit. Ergo 3°, etc.

4° *Ex unanimi populorum consensu.* Plurimi quidem exstiterunt increduli qui vitam futuram irridebant, vel illam sufficienter probatam non arbitrabantur, et de illius existentia dubitabant. Sed omnes populi solum sensum moralem solamque traditionem consulentes, futuram esse alteram vitam constanter crediderunt ; admittebant enim Elysios campos et Tartarum, deos cœlestes et deos inferos ; plures homines mortuos colebant ut deos ; apud omnes maxima semper fuit cura mortuorum, in quorum memoriam variæ explebantur cæremoniæ piæ ac religiosæ. Porro hæc aliaque similia demonstrant, fatentibus ipsis

incredulis, tunc omnibus persuasum fuisse post præsentem alteram exstituram esse vitam : atqui unanimis hæc populorum consensio firmum est veritatis argumentum. Nec enim a præjudiciis, quæ tam universalia non essent, nec a cupiditatibus, quibus adversatur, oriri potest. Ergo 4°, etc.

5° *Ex consectariis aliunde secuturis.* Si enim altera non exstitura sit vita, unusquisque totus erit ut suam felicitatem in præsenti vita sibi procuret et augeat etiam cum aliorum detrimento : « *Que tous les hommes fassent mon bien aux dépens du leur, que tout se rapporte à moi seul, que tout le genre humain meure, s'il le faut, dans la misère et dans la peine, pour m'épargner un moment de douleur et de faim : tel est le langage intérieur de tout incrédule qui raisonne.* » (Rousseau, *Émile*, t. II, p. 119.) Hæc autem consectaria sunt perniciosissima, ut patet.

Requiritur ergo sanctio quæ 1° omnes complectatur actus, sive externos sive internos, alioquin ad totam legem naturalem non extenderetur; 2° quæ omnem transgressionem infallibiter sequatur et nullum relinquat actum bonum sine remuneratione nullumque actum malum sine proportionata pœna : necesse est ergo ut ultimis vitæ præsentis actibus sit posterior. 3° Ut completa remuneratio vel pœna omnibus tribuatur, necessarius est status in quo nullus amplius sit locus merito aut demerito; talis autem status in præsenti vita non reperitur. 4° Tanta debet esse spes ut nihil ei rationabiliter præferri possit, tantaque pœna timenda, ut omnia alia incommoda ei cedere debeant. Porro nihil simile sperari aut timeri potest in præsenti vita. Ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Cupimus a miseriis hujus vitæ liberari, mortem refugimus, et tamen hoc desiderium non impletur : ergo ex desiderio immortalitatis existentia alterius vitæ concludi non potest.

R. Nego conseq. et paritatem. Ideo enim a miseriis hujus vitæ liberari cupimus et mortem fugimus, quia invin-

cibili propensione felicitatem quærimus. Cum tamen veram felicitatem in præsenti vita non inveniamus, merito concludimus alteram futuram esse vitam in qua desiderium istud impleri debeat. Ergo ex præsenti objectione thesis nostra, nedum ruat, confirmatur.

Obj. 2° Qui colunt virtutem, pace suavissima perfruuntur; qui vero malum sectantur, conscientiæ stimulis excruciantur : ergo in præsenti vita sufficiens rependitur virtuti merces et vitio pœna.

R. Nego conseq. Nam 1° ad colendam virtutem sæpe graves suscipiendi sunt labores, et multæ superandæ difficultates. 2° Interna delectatio, quæ comitatur virtutem, a miseriis hujus vitæ non liberat. 3° Hæc delectatio fidem in Deum remunerantem et spem alterius vitæ supponit. 4° Sola pulchritudine virtutis plerique homines non moventur, nec ideo ad eam colendam sufficienter excitarentur. Similiter conscientiæ stimuli ex timore Dei summe justi, et præsertim ex formidine suppliciorum alterius vitæ oriuntur : tollatur formido ista, et conscientiæ remorsus sedabuntur. 5° Qui atrociora frequentius perpetrant crimina, eo ipso contra conscientiæ stimulos magis obdurescunt, et quidam huc usque deveniunt ut nullos aut fere nullos remorsus amplius sentiant. Hinc si altera non existeret vita, quo scelestiores fierent homines, eo minus punirentur. Sufficiens igitur non existeret sanctio conditionibus modo expositis donata. Ergo, etc.

Inst. 1° Præsens vita, ut pote opus Dei summe sapientis, inordinata dici non debet : atqui tamen inordinata esset si altera vita necessaria foret. Ergo, etc.

R. Nego min. Nam Deus ita nos constituit in præsenti vita ut ad alteram tendere deberemus : atqui vita præsens, respective ad futuram considerata, non est inordinata. In ea enim homines probantur, Deo libere serviunt, merita acquirere possunt, et in vita futura remunerantur vel puniuntur, secundum opera sua. Ergo hæc objectio supponit quod adversarii probare deberent, et nullius est roboris.

Inst. 2° Fides alterius vitæ cupiditates non coercet, ut

experientia constat : ergo inutile est eam velut sanctionem legis naturalis admittere.

R. Dist. ant. Fides alterius vitæ cunctas cupiditates efficaciter non coercet, *conc.;* efficacius non subministrat frenum ad eas coercendas, et multas de facto non coercet, *nego ant.* Equidem constat experientia fidem alterius vitæ cunctas cupiditates non semper cohibere ; sed numquid inferendum est illam cohibendis cupiditatibus esse inutilem? Certum est, e contra, quod multi qui nunc sibi vim inferunt, mox, si fidem alterius vitæ amitterent, suis indulgerint cupiditatibus. Unde *Montesquieu* (*Esprit des lois*, l. 24, c. 2) : « *Dire que la religion n'est pas un motif réprimant, parce qu'elle ne réprime pas toujours, c'est dire que les lois civiles ne sont pas non plus un motif réprimant.* » Si objectio ista aliquid valeret, probaret futuram vitam non esse sanctionem sufficientem, sed majorem ad coercendas cupiditates requirendam esse, quod est absurdum, etc.

Obj. 3°. Homo actus suos obliviscitur in morte : atqui repugnat illum puniri propter delicta prorsus oblita : ergo inordinatio hujus vitæ non exigit, etc. Ita *Voltaire, Questions sur l'Encyclopédie.*

R. 1°. *Nego maj.* Ad minus hæc assertio gratuita et temeraria est. Etenim actuum et cogitationum nostrarum obliviscimur in somno, in morbo, etc., et postea illarum recordamur : cur earumdem pariter non recordaremur post mortem ? Ergo, etc.

R. 2°. *Nego min.* Si quis enim adeo depravatus esset ut, maximis facinoribus inquinatus, ea oblivisceretur, numquid ea ratione innocens esset? Auderetne hanc excusationem coram justitia humana prætendere? Quomodo ergo illam justitiæ divinæ exhibere posset? Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Æternam fore beatorum felicitatem fides expresse docet et ratio fortiter suadet.

Prob. prima pars. Ubique enim in Scriptura, in Symbolis fidei, in testimoniis Patrum, in libris precum, in

catechismis et publicis concionibus docetur æternam futuram esse beatorum felicitatem, uti videre est apud theologos. Ergo, etc.

Prob. secunda pars. 1° Ex desiderio felicitatis, quæ non reperitur in terris, concludimus alteram futuram esse vitam : atqui non tantum appetimus felicitatem, sed felicitatem summam, constantem, *incontaminatam et immarcescibilem* (I Petr., I, 4) : Deus ipse desiderium istud naturale in cordibus nostris impressit : ergo ipsius objectum existit. Ergo beatitudo alterius vitæ futura est æterna.

2° Tandiu duratura est beatorum felicitas in altera vita, quandiu eos Deus diliget : atqui nulla excogitari potest ratio cur Deus illos diligere cessaret, cur a summa beatitudine eos detrusos in nihilum redigeret.

3° Proprium est sanctorum Deum diligere, honorare, glorificare, et ipsius gloriam in perpetuum procurare velle : porro repugnare videtur Deum aliquando destructurum esse animas ipsum sic diligentes, honorantes, et glorificantes.

4° Denique, vel beati futuram exstinctionem suam præviderent, vel non : si prius, anxii essent et de tali extremitate dolerint; si posterius, Deus eos deciperet ipsisque illuderet, quod illo prorsus est indignum. Ergo, etc. Unde ipse Tullius (*de Finibus boni et mali*, l. 3, n. 68) : « Si amitti vita beata potest, beata esse non potest. »

PROPOSITIO TERTIA.

Repugnare pœnas æternas in altera vita demonstrare nequeunt increduli.

Prob. Demonstrare non possunt increduli pœnarum æternitatem repugnare, nisi ostendant illam divinis attributis adversari : atque illud demonstrare nequeunt. Attributa enim Dei, quibus hæc pœnarum æternitas adversaretur, essent vel justitia, vel bonitas, vel sapientia ejus : atqui demonstrare non possunt increduli pœnarum æternitatem repugnare sive justitiæ, sive bonitati, sive sapientiæ Dei.

1° *Non justitiæ.* Si enim pœnarum æternitas justitiæ Dei adversaretur, certe quia conveniens non existeret proportio inter pœnam et offensam : atqui demonstrari non potest convenientem non existere proportionem inter pœnam æternam et offensam momentaneam. Proportio enim inter pœnam et delictum, ex gravitate actionis, non vero ex ipsius diuturnitate æstimari debet, alioquin levissimæ culpæ sæpe gravius puniri deberent quam atrociora crimina. Igitur demonstrandum esset æquam non existere proportionem inter gravem Dei offensam et pœnam æternam : atqui talis demonstratio est impossibilis; ad hoc quippe requireretur ut adæquate nosceremus quid sit Deus, quid sit creatura respectu Dei, quot et quanta habeamus vel habere debeamus motiva illi serviendi, a peccato abstinendi, quot media ex illo semel commisso emergendi, etc. Porro affirmare non possumus hæc a nobis adæquate cognosci. Generatim eo major est offensa quo major est personæ offensæ et minor offendentis dignitas. Deus autem homini a se creato infinite præstat : ergo peccatum quamdam inde haurit infinitatem, cui respondere videtur pœnæ infinita duratio. Ergo 1°, etc.

2° *Non bonitati Dei.* Bonitas enim Dei non consideranda est abstrahendo ab aliis divinis attributis, nec ipsa facere potest quod justitia vetat, nec id omne facere tenetur quod justitia permittit; nec meliori modo quo fieri potest manifestari necesse est, sed finite tantummodo et juxta arbitrium Dei. Porro demonstrari non potest justitiæ repugnare ut peccatum in æternum puniatur, et divinam bonitatem, quæ jam tot vias salutis tantaque beneficia suppeditavit, in majori gradu se exhibere teneri erga peccatores. Ergo, etc.

3° *Non sapientiæ Dei.* Sapientia enim Dei postulat ut lex naturalis convenienti sanctione muniatur, proindeque ut sua virtuti sit merces, suaque vitio pœna : atqui sola ratione definire non possumus limites inter quos pœna pro sceleribus a Deo statuta sistere debeat. Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Et vero, non repugnat peccatum tandiu puniri quan-

diu remanet non expiatum : atqui fieri potest ut peccatum per æternitatem maneat non expiatum : expiari enim non potest, nisi per liberam Dei condonationem, vel per congruam satisfactionem : atqui non repugnat ut neutra via sufficienter expietur. 1° Non per liberam condonationem; cum enim illa condonatio supponatur libera, pariter supponi potest non exstitura. 2° Non per congruam satisfactionem; fieri enim potest ut hæc vita ad probationem nostram sola fuerit concessa, peccator in suo peccato decedens, voluntatem suam Deo oppositam jam immutare non possit, et sic, propria culpa, destitutus auxiliis quibus ad conversionem opus haberet, æternum maneat Deo infensus. In eo autem statu nunquam Deo satisfacere potest : contra vero, talis est ut pœnis semper dignus sit. Ergo, etc.

Insuper omnes populi semper admiserunt, pro futura vita, sicut præmia æterna, ita et pœnas non desituras. Ergo talis persuasio manifestam non involvit repugnantiam, alioquin non sic generalis et constans fuisset. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Non repugnat Deum annihilare impios in vindictam delictorum : atqui hoc bonitati ejus multo conformius est : ergo facere debet.

R. 1° Non tantum æternitas, sed ipsa pœnarum futurarum existentia repugnaret, si argumentum istud valeret. Ergo, etc.

R. 2° *Nego maj.* Quod enim lædit attributa divina repugnat : atqui hæc annihilatio lædit attributa divina. Etenim justitia et sapientia Dei requirunt ut omnia delicta pœnarum distributione pro gravitate respectiva plectantur : atqui si Deus omnes peccatores æqualiter annihilaret, hæc pœnarum distributio non existeret, et qui semel peccassent, in teterrima scelerum monstra impune se provolutarent. Ergo, etc.

Præterea repugnat id ad puniendos scelestissimos homines statuere quod vehementer exoptant : atqui sce-

lesti homines vehementer exoptant annihilationem eamque invocant. Ergo illa pœna sufficiens legis naturalis sanctio non esset.

Inst. 1° Supponi potest Deum non eodem instanti cunctos peccatores annihilare, sed post brevius vel longius temporis spatium, juxta numerum et qualitatem criminum : atqui tunc justitia et sapientia Dei non læderentur Ergo, etc.

R. 1°. Totum concedi potest hoc argumentum, et nihil adversus propositionem nostram sequeretur. Etiamsi enim admitteretur possibilem esse, post diversa temporis intervalla, talem impiorum annihilationem, numquid inde concludendum esset Deum eam elegisse et pœnas futuras aliter instituere non potuisse? Certe nulla profertur ratio qua hæc assertio innitatur : atqui tamen ratio hujusmodi proferenda esset. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego min.* 1° Homines enim cupiditatibus abrepti, metu pœnarum æternarum, quas credunt et reformidant, sæpe efficaciter non cohibentur ; multo minus cohiberentur, si constaret pœnas a peccantibus luendas aliquando cessaturas esse. Ergo, etc.

Inst. 2°. Deus ut pote sapiens pœnam inutilem decernere non potest : atqui æternitas pœnarum foret inutilis. Ergo, etc.

R. Nego min. Illa enim pœna dici non potest inutilis quæ humanas libidines multum coercet et ad colendam virtutem nos impellit : porro ita se habet pœnarum æternitas. Ergo, etc.

Inst. 3°. Finis pœnarum est emendatio reorum : atqui pœnarum æternitas reos emendare non potest. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Finis pœnarum accidentalis est emendatio reorum, *conc.;* finis essentialis, *nego maj.* Aliquando enim pœna infligitur, ut reus emendetur : sed finis essentialis pœnarum est sanctio legis : porro sanctio legis obtinetur dum reus plectitur, sive emendetur, sive non ; alii namque homines metu hujusmodi pœnarum continentur. Ergo, etc. Sic legislatores humani capite vel perpetuo exsilio aut carcere plectunt reos, non in eorum emendatio-

nem, ut patet, sed ut alii perterriti ab iisdem criminibus abstineant.

Nota. Quod ratio sibi derelicta demonstrare non potest, scilicet pœnarum æternitatem, revelatio docet : omnes igitur credere debent alteram vitam futuram esse æternam, tum quoad bonorum præmia, tum quoad malorum supplicia. Ostendimus enim in Tractatu *de Peccatis*, de fide esse pœnas damnatorum futuras esse æternas.

SCHOLIUM.

Huc usque diximus de lege naturali, quam etiam ut fundamentum infra dicendorum habebimus : absit autem ut illam spectemus tanquam unicum officiorum nostrorum fontem ; sunt enim aliæ leges positivæ tum divinæ, tum humanæ, quæ non minores pariunt obligationes. Rejicienda est igitur doctrina eorum qui, in morali sicut in cæteris, non nisi puræ rationis dictamen admittunt.

De legibus positivis fusius agitur in theologia.

CAPUT SECUNDUM.

DE BONARUM ET MALARUM ACTIONUM PRINCIPIIS.

Principia actionum moralium sunt velut fontes e quibus bonitas et malitia earumdem oriuntur : tria sunt hujusmodi principia, scilicet, intellectus, libertas et voluntas.

De intellectu et facultatibus ad eum pertinentibus tractavimus in Metaphysica. Libertatis humanæ existentiam ibidem astruximus.

Certum est 1° præviam requiri cognitionem intellectus ad bonitatem aut malitiam moralem actionum humanarum constituendam ; ubi enim nulla est advertentia, nulla est actio humana, sed automatis operatio, ut patet.

Certum est 2° libertatem necessariam esse ut actiones hominis sint morales. Nulla enim actio moraliter bona vel

mala esse potest ex parte hominis, nisi sit ipsius : atqui nulla actio proprie est hominis et ipsi imputabilis, nisi ex libertate procedat. Actio enim necessario peracta, non tribuenda est agenti, sed primariæ causæ illum ad agendum determinanti. Ergo, etc.

Certum est 3° solam voluntatem esse causam et sedem peccati, quia sola voluntate homo legi Dei adversatur. Est pariter causa et sedes virtutis, cum homo propria voluntate ad sectandum bonum morale determinetur. Voluntas sic intellecta est libertas humana in exercitio.

Duplici modo *voluntas* considerari potest in actu, scilicet ut volens simpliciter, vel ut volens libere ; ipsius operatio dicitur *voluntarium*, quod ideo duplex est : unum dicitur voluntarium simpliciter et alterum voluntarium liberum. Voluntarium *simpliciter* est illud quod fit cum advertentia intellectus et secundum voluntatis inclinationem ; voluntarium *liberum* requirit insuper deliberationem. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa : sic felicitatem nostram in genere voluntarie quærimus, non vero libere.

Cum autem ad merendum aut demerendum proprie dicta requiratur libertas, solum voluntarium liberum actionum humanarum est principium.

Dividitur adhuc 1° in directum et indirectum. Voluntarium est *directum*, quando aliquid in se et positive intenditur ab agente, v. g., si quis sciens et volens alterum occideret ; illud vero dicitur voluntarium *indirectum* quod non fuit volitum in se, sed in causa cujus est effectus : v. g., aliquis catapultam versus urbem explodit, solam recreationem intendens, et hominem occidit : certe homicidium istud merito ei imputatur ut actus; volitum enim fuit in causa. Non autem illi imputatur ut peccatum, nisi eventum præviderit, aut si aliqua circumstantia prævidere debuerit.

Dividitur 2° in perfectum et imperfectum. *Perfectum* est quando nullam involvit aut supponit voluntatis repugnantiam; contra vero est *imperfectum*, si cum aliqua voluntatis repugnantia sit conjunctum, v. g., quando

mercator, timore naufragii pulsus, merces suas projicit in mare.

Itaque voluntarium liberum sæpe minui et aliquando omnino tolli potest : causæ autem quæ præcipue in illud influere queunt, sunt 1° coactio, 2° metus, 3° error et ignorantia, 4° passiones, de quibus aliquid seorsim dicitur in Tractatu *de Actibus humanis*.

CAPUT TERTIUM.

DE REGULIS QUIBUS ACTIONES BONÆ A MALIS SECERNI POSSUNT.

Constat, ex dictis, dari actiones bonas et alias malas, earumque discrimen in essentia rerum fundari. Certum est nos teneri cunctas actiones malas devitare, quia repugnat aliquid essentialiter malum fieri licitum ; non vero omne bonum peragere, hoc enim impossibile est. Unde præceptum de vitando malo est negativum et universale, dum præceptum de faciendo bono est affirmativum et particulare. Prius obligat semper et pro semper ; posterius autem obligat semper, sed non pro semper.

Ilic expendendum foret in tribus articulis, 1° quid sit bonitas et malitia actionum humanarum ; 2° an omnes ita sint bonæ vel malæ ut nulla sit indifferens; 3° undenam bonitas vel malitia earum desumenda sit. Verum ne eadem repetere cogamur, hæc iterum ad Tractatum *de Actibus humanis* remittimus.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE ACTIBUS HUMANIS IN SPECIE.

Sub triplici respectu homo moraliter agens considerari potest, scilicet, relative ad Deum, relative ad seipsum et relative ad alios homines. Unde triplicis generis distinguuntur officia ejus specialia, et in triplici capite de illis tractaturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS HOMINUM ERGA DEUM.

Non est dubium quin homo beneficiis a Deo cumulatus, primos aspectus suos ad ipsum convertere debeat, et statim expendere quibus officiis erga illum teneatur.

Complexio hujusmodi officiorum dicitur religio vel cultus Deo exhibendus.

Necessitatem religionis variis modis impugnant increduli. Alii enim dicunt Deum esse majorem ut officiis nostris honoretur, et negant quemlibet cultum ipsi exhibendum esse. Alii necessitatem cultus interni admittentes, cultum externum rejiciunt; alii cultum externum, non vero publicum aut nomine societatis exhibitum admittunt; alii denique dicunt gubernia recte instituta omnes religiones æqualiter tolerare, nulli specialiter favere teneri, et unumquemque religionem patriæ sequi debere, ita ut sit mahumetanus apud Mahumetanos, judæus apud Judæos, christianus apud Christianos, catholicus apud Catholicos, etc.

His notatis, præsens caput in tres dividemus articulos: primus erit de religionis necessitate; secundus, de religionis naturalis insufficientia; et tertius, de indifferentia circa religiones.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE RELIGIONIS.

Duplex erit hujus articuli paragraphus : in 1° necessitatem religionis adstruemus ex Dei et hominis natura ; in 2° dicemus de religione relative ad societatem et homines privatos.

§ I. — Necessitas religionis ex natura Dei et hominis adstructa.

Deo debitum esse cultum, tum internum, tum externum, tum publicum et solemnem, demonstrantes, eo ipso ostendemus ex natura Dei et hominis necessitatem religionis in genere. At triplicem Deo debitum esse cultum, internum, scilicet, externum et solemnem, per sequentes probationes ostensuri sumus.

PROPOSITIO PRIMA.

Deo debetur cultus internus.

Prob. Scriptura sacra, consensu hominum, et ratione :

1° *Scriptura sacra.* Matth., XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Joan., IV, 24 : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Eph., V. 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Multa alia citari possent. Ergo, 1°, etc.

2° *Consensu hominum.* Omnes moraliter homines, omnium locorum et temporum, persuasum semper habuerunt aliquem cultum Deo exhibendum esse : si autem aliquis cultus Deo exhibendus sit, maxime cultus internus ; impossibile quippe est Deum omnia inspicientem honorari cultu pure externo. Porro universalis et constans hæc hominum consensio firmissimum est veritatis argumentum, et tam efficaciter divini cultus necessitatem quam Dei existentiam adstruit. Ergo, 2°, etc.

3° *Ratione.* Cultus enim internus præcipue consistit in adoratione, amore, deprecatione et gratiarum actione :

atqui tenemur Deum adorare, amare, deprecari, et gratias illi agere.

1° *Illum adorare tenemur.* Deum enim adorare est excellentiam ejus venerari et nostram ab ipso dependentiam humiliter agnoscere : porro supremam Dei excellentiam venerari, nostramque ab ipso dependentiam agnoscere tenemur, siquidem in ipsius conspectu semper sumus, et eum contemplando, clare videmus esse supremum Dominum, nos vero nihil esse, nihil posse, nisi ab ipso et per ipsum. Ergo 1°, etc.

2° *Illum amare debemus.* Ipse enim facultatem amandi in nobis formavit, et simul sese nobis exhibet tanquam objectum summe amabile, a quo profluit quidquid amabile est in mundo : porro rationi repugnat nos ita agnoscere Deum et eum diligere non teneri. Ergo 2°, etc.

3° *Eum deprecari tenemur.* Qui enim sunt indigentes, eum a quo juvari possunt, natura duce, deprecantur : at in multis sumus indigentes, et solus Deus ea quæ nobis desunt concedere potest. Scimus aliunde illum esse bonum, ad beneficia proclivem, nos velut opus manuum suarum diligere, sicut optimus parens prolem suam naturaliter diligit. Nonne igitur ad illum supplices recurrere debemus, ut ea quæ nobis necessaria sunt obtineamus? Ergo 3°, etc.

4° *Gratias illi agere debemus.* Qui enim ingratum erga benefactorem suum se ostendit, rectam rationem offendit, juxta omnes : atqui Deus summe est beneficus respectu nostri. Ergo 4°; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Cultu hominum Deus non indiget, nec honoribus delectatur : ergo nullum exigit cultum.

R. Nego conseq. Deus enim ab hominibus non exigit cultum, quia illo indiget vel honoribus delectatur; sed quia ordo naturalis illum præcipit et ordinat : Deus autem necessario vult ut ordo naturalis servetur. Ergo, etc.

Inst. 1°. Cultus a creatura exhibitus Deo est indignus : ergo Deus illum exigere non potest.

R. Nego ant. Ille enim cultus Deo non est indignus, quem recta ratio approbat et præcipit : atqui talis est cultus Deo a creatura rationabili exhibendus, ut ostendimus. Ergo, etc.

Inst. 2°. Nulla est proportio inter cultum a creatura valde imperfecta præstitum, et Deum summe perfectum. Ergo, etc.

R. 1°. Simili argumentatione probaretur mundum Deo esse indignum, ab illo creari non potuisse, et influxu ejus non gubernari.

R. 2°. *Dist. ant.* Nulla est proportio æqualitatis, *conc.;* relationis, *nego ant.* Etenim mens humana prædita est facultatibus quibus Deum attingere potest, v. g., facultate cognoscendi, amandi, gratiarum actiones rependendi, etc. Ergo, etc.

Obj. 2°. Si Deus aliquem cultum a nobis exigeret, maxime propter gloriam suam : porro gloria Dei a cultu nostro est independens. Ergo, etc.

R. Dist. min. Gloria Dei essentialis et interna est a cultu nostro independens, *conc.;* gloria accidentalis et externa, quæ in honoribus a rationabili creatura exhibitis consistit, *nego min.* Quæstio est igitur an Deus hujusmodi honores præscribat : porro jam ostendimus Deum necessario exigere a creaturis ratione præditis honorem sibi debitum, quia secus inordinationi consentiret. Ergo, etc.

Obj. 3°. Multi semper exstiterunt homines impii, Deum postponentes, nullum cultum ei exhibentes : at si Deus cultum seipso dignum ab hominibus necessario exigeret, tantam impiorum multitudinem semper existere non permisisset. Ergo, etc.

R. Nego min. Probavimus enim in Metaphysica Deum, illæsis suis attributis, mali moralis seu peccati existentiam permittere potuisse : impietatis autem existentia non magis repugnat quam existentia aliorum peccatorum. Ergo, etc.

Obj. 4°. Forsitan religio ab arte politica in mundum fuit invecta, tanquam frenum ad populos facilius coercendos : ergo non constat Deum eam præscribere.

R. Nego ant. Nam 1° religio ex natura Dei et hominum profluit, in dispositionibus nostris naturalibus sedem habet; ars vero politica naturam Dei et hominum non constituit, naturales dispositiones nostras creare non potuit: 2° ars politica nec semper nec ubique exstitit; religio, e contra, semper et ubique viget ac viguit, ut ex antiquis recentioribusque historiis patet; 3° ars politica talem opinionem nunquam persuadere potuisset; nam vel solida adhibuisset argumenta vel non : si prius, ergo religio fundatur in natura; si posterius, repugnat opinionem sensibus imperviam et cupiditatibus adversam omnibus sic persuaderi potuisse. Ergo, etc.

Obj. 5° Si quid a Deo postularemus, vel in ordine physico, vel in ordine morali : at utrumque est vanum aut illicitum : ita *Rousseau*, *Émile*, t. II, p. 75, post nonnullos veteres impios quos memorat S. Hieronymus in Matth., cap. 6, t. IV, 1 part., col. 20 : ergo, etc.

R. Nego min. Nam multis indigemus, tum in ordine physico, tum in ordine morali; Deus autem ea nobis concedere potest : convenit ergo ut ad eum supplices recurramus.

Inst. 1° Deum per miraculi petitionem tentare non licet : sed qui aliquid postulat a Deo in ordine physico, miraculum petit a Deo, scilicet consuetis naturæ legibus derogationem, pluviam quando ex consuetis naturæ legibus debet esse siccitas, valetudinem quando exstiturus est morbus, etc. Ergo, etc.

R. 1° *Nego maj.* Non videtur enim cur miraculum a Deo postulare non liceat, modo id fiat cum debitis conditionibus, scilicet humiliter, fidenter, pro fine gravi, ut ex bonitate ac misericordia concedendum, et mediis a ratione præscriptis non omissis.

R. 2° *Nego min.* Nam aliquid exorare a Deo in ordine physico, v. g., pluviam, serenitatem, valetudinem, non est petere miraculum proprie dictum, quale in Theologia explicatur. Quædam postulatur consuetis naturæ legibus derogatio, siquidem petitur a Deo ut sua providentia nonnullos disponat et adducat effectus physicos qui natura-

liter non contingerent; sed illa postulatio legibus ordinis moralis est conformis, quia decet omnino creaturas necessitatem patientes fiducialiter recurrere ad Deum benefactorem suum, qui omnia potest. Quod ratio suadet, constans populorum traditio et universalis consuetudo tenent ut verum, scilicet orationem esse bonam, Deo gratam et hominibus utilem.

Inst. 2° Non licet petere a Deo ut decreta sua mutet : sed tales effectus physicos postulare a Deo, est petere ut decreta sua mutet : ergo, etc.

R. Nego min. Deus enim videt ab æterno quid homines in tempore ab ipso petere debeant; dignas eorum preces ab indignis secernit, et statuit has exaudiendas, illas vero respuendas : cum autem divina ejus præscientia libertati nostræ non noceat, pendet ab unoquoque nostrum, ut in orationibus suis exaudiri mereatur. Non igitur Deum rogamus ut necessitates nostras ei aperiamus, sicut quidam sibi fingebant impii, de quibus S. Hieronymus in loco superius citato, nec ut mutationem in decretis ejus absolutis impetremus quasi id quod justitia vel bonitas ejus requirerent ignorasset, sed ut ea obtineamus quæ dignis petitionibus nostris concedere ab æterno statuit. Unde et ipsa, de qua hic agitur, derogatio legibus naturæ a Deo, sub conditione precum nostrarum, ab æterno fuerat statuta. Ergo, etc.

Inst. 3° Vel quod petimus conveniens est, vel non : si prius, Deus illud nobis etiam non rogantibus concedet : si posterius, illud orare impium est : ergo, etc.

R. Nego minorem quoad primam partem : quidquid enim bonum est aut conveniens Deus creaturis suis concedere non tenetur; multa igitur statuere potuit hominibus digne rogantibus concedere, non rogantibus vero, aut male rogantibus denegare. Porro fides, Scriptura sacra, traditio et ratio, orationis necessitatem, utilitatem, praxim et efficaciam nobis testantes, sufficienter demonstrant Deum decreta sua sic ordinasse. Ergo, etc.

Inst. 4° Pii homines Deum frequenter orantes non minus publicis et privatis calamitatibus impetuntur, quam

impii nunquam orantes nec de Deo cogitantes : ergo inutilis est oratio.

R. Negari potest ant. Quis enim perfecte novit quas calamitates, sive publicas, sive privatas, Deus averterit, aut diu protraxerit, vel mitiores effecerit; quæ precibus justorum concesserit, vel quæ orantibus concessisset, et quæ non rogantibus denegaverit, etc.; Ergo, etc.

R. Nego conseq. Nam pii homines non pro seipsis tantum orant, sed pro civitate, pro patria; neque orant ut ab omnibus malis liberentur, bene vero ne illis obruantur : ergo, licet non minus quam cæteri homines calamitatibus impeti videantur, non sequitur preces eorum esse inutiles.

Præterea mala hujus vitæ non sunt absolute mala; sæpe utilius est ea sufferre, quam ab illis liberari. Ergo, etc.

Inst. 5°. Nunquam certo novimus quid nobis sit opportunum, quid inopportunum : ergo saltem nihil a Deo specialiter rogare debemus, sed generatim quæ novit magis nobis expedire.

R. Dist. ant. Nunquam certo novimus quid nobis sit opportunum in ordine physico, *conc.;* possumus tamen aliquid specialiter rogare, sed conditionate, et ex hypothesi quod Deus prævideat illud nobis profuturum esse; in ordine morali, *nego;* certissime enim novimus noxia nobis esse vitia, utiles vero et necessarias virtutes, tum naturales, tum supernaturales : absolute ergo efflagitare possumus vim et efficaciam superandi vitia, colendi virtutes, perseverandi usque in finem, etc. Ergo, etc.

Inst. 6°. Si quid postularemus a Deo in ordine morali, vel potestatem benefaciendi, vel ipsum bonum opus : atqui neutrum dici potest : non prius, quia postularemus quod jam habemus; non posterius, quia peteremus ut opus nostrum Deus faceret. Ita *Rousseau*, loco citato.

R. Nego min. quoad utramque partem. Habemus quidem naturalem benefaciendi facultatem, sed variis tentationibus sæpe lacessitam, perversis inclinationibus vexatam, et, qua existente, in malum morale frequenter labimur. Deus paratus est nos inter operandum adjuvare; vigilemus ergo, oremus et satagamus ut bonum

faciamus et malum morale fugiamus : Deum in adjutorium nostrum invocemus tum ad bene volendum, tum ad opus perficiendum. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deo debetur cultus externus.

Prob. ex traditione, ex natura hominis et ex necessitate cultus interni.

1° *Ex traditione.* Semper enim et ubique cultus externus fuit in usu, ut videre est in Scriptura et in antiquissimis historiæ monumentis. Sic Cain et Abel de fructibus terræ et gregibus suis Deo offerebant; sic Noe, vix egressus arca, ædificavit altare Domino; sic apud omnes gentes mos semper exstitit divinitatem ritibus externis adorandi, supplicandi, etc. Porro mos adeo antiquus et universalis certe haberi debet, ut in natura et in primæva voluntate Dei fundatus. Ergo 1°, etc.

2° *Ex natura hominis.* Homo enim ex duobus substantiis coalescit; utramque cum respectivis facultatibus et potentiis ejus accepit a Deo : utramque ergo modo convenienti Deo submittere debet. Verum corpus Deo submittere non potest, nisi per quædam externa religionis signa. Ergo, 2°, etc.

3° *Ex necessitate cultus interni;* nam, ex probatis, cultus internus est necessarius : at cultus internus existere non potest sine cultu externo. Sic enim constituti sumus ut vividos mentis nostræ affectus quasi necessario per motus corporis externe prodamus. Ergo 3°; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Deus est spiritus, et cor præcipue intuetur : ergo sufficit illum cultu interno honorare.

R. Nego conseq. Ex eo quod enim Deus sit spiritus et cor præcipue intueatur, recte infertur cultum mere externum Deo indignum esse, atque illi placere non posse nisi ex cultu interno procedat vel cum illo jungatur. A

male concluderetur cultum externum non esse requisitum; ipsius enim necessitas ex cultu interno et ex naturali hominis constitutione sequitur, ut ostendimus. Ergo, etc.

Inst. 1°. Meriti et peccati pariter incapax est corpus : ergo cultum externum Deus non exigit.

R. Dist. ant. Meriti et peccati incapax est corpus tanquam causa efficiens, *concedo;* ut instrumentum, *nego.* Homo quippe est persona ex corpore et anima coalescens. Porro recta ratio præscribit obsequium totius personæ sic compositæ erga Deum : est igitur persona sic composita quæ meretur vel demeretur. Ergo, etc.

Inst. 2°. Ex ritibus externis innumeræ ortæ sunt absurditates ridiculæque superstitiones : ergo non solum inutilis, sed noxius est cultus externus.

R. 1°. *Retorqueo argumentum.* Ex idea Dei ortus est polytheismus, et innumeræ secutæ sunt absurditates : ergo idea Dei est noxia.

R. 2°. *Nego ant.* Dari enim potest cultus externus nulla superstitione mixtus : ergo non ex cultu externo, sed ex rituum sacrorum abusu, ex ignorantia, præjudiciis, cupiditatibus aliisve causis religioni extrinsecis nascuntur superstitiones.

Præterea ipsæ superstitiones necessitatem cultus externi demonstrant. Non ita enim grassari et firmari potuissent per mundum universum, nisi omnes persuasum habuissent cultum externum Deo exhibendum esse, quemadmodum polytheismus universalis non evasisset si supremi Entis idea in omnium mentibus non exstitisset. Ergo, sicut, rejecto polytheismo, Deum esse firmiter credimus, ita, cunctis superstitionibus profligatis, cultum purum Deo debemus rependere. Vanas igitur traditiones ratione destitutas caute fugiamus ; sed multo magis timenda est incredulitas, quæ totius ordinis principia solvit, et habenas cupiditatibus relaxat.

PROPOSITIO TERTIA.

Deo debetur cultus solemnis, id est nomine religiosæ societatis exhibitus.

Prob. ex consensu populorum, ex necessitate cultus externi, et ex natura societatis.

1° *Ex consensu populorum.* Ubique enim et apud omnes gentes, semper exstiterunt templa, festa, solemnitates, sacerdotes, altaria, sacra, ritus publici, ut innumera testantur historiarum monumenta : hæc procul dubio ostendunt universis gentibus persuasum semper fuisse cultum publicum et solemnem Deo exhibendum esse : porro talis persuasio adeo constans et universalis, a præjudiciis vel ab aliis errorum fontibus oriri non potuit, sed a revelatione, traditione et ipsa hominis ac societatis natura.

Ad confirmationem hujus veritatis, ipsi religionis christianæ hostes infensissimi, in fine sæculi proxime elapsi, postquam omnes ritus sacros sustulerunt et cuncta pietatis signa tanquam superstitiones hominibus sensatis indignas prohibuerunt, novas instituerunt solemnitates sub nomine cultus Rationis vel *Theophilanthropiæ ;* sua habebant templa, suos sacerdotes, suos ritus, etc. Ergo 1°, etc.

2° *Ex necessitate cultus externi.* Ad conservandum enim cultum externum, cujus necessitas fuit demonstrata, requiritur cultus publicus. Nam 1° alioquin tot essent religiones quot sunt capita, et innumeræ nascerentur superstitiones. 2° Nisi homines circa Deum et cultum ejus sedulo erudirentur, cuncti sensus religionis in omnium mentibus mox deficerent : attamen communiter satis eruditi nequeunt, nisi publici fiant sermones in publicis cœtibus. Lugenda experientia probat pietatem multitudinis ritibus externis eam foventibus destitutam brevi evanescere ; ubi enim ritus sacri et publicæ solemnitates diu cessaverunt, vix quædam adhuc supersunt religionis vestigia. Ergo 2°, etc.

3° *Ex natura societatis*. Societas enim, ut talis, communes habet necessitates, communia suscipit beneficia : pro his ergo necesse est ut communes fiant orationes, communes rependantur gratiarum actiones. Porro hæc constituunt cultum publicum et solemnem, quem politicæ societates reddere deberent, ut apud nos olim fiebat et in multis regnis adhuc fieri solet.

Fieri tamen potest ut societas politica talem per se reddere non teneatur cultum, si nempe constituatur in necessitate, habita ratione circumstantiarum, diversos *legaliter* protegendi cultus externos. Tunc gubernium, ut tale, nullum profitetur cultum. Verum, si societatem in solidis basibus stabilire intendat, sollicite curabit ut populus æternis sanæ doctrinæ principiis imbuatur, tum quoad religionem cum suis ritibus, tum quoad mores. Ergo 1°, etc. ; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Societates non exspectant, ut tales, futuram vitam in qua debeant judicari et mercedem aut pœnas recipere : ergo Deo non debetur cultus publicus.

R. Nego conseq. Necessitas enim religionis relative ad societatem in propensione et constitutione hominum ad societatem destinatorum fundatur ; societas bonum omnium membrorum fovere, eisque media ad finem suum perveniendi suppeditare debet ; imo, et ipsa, ut persona moralis, a Deo accipit *in tempore* beneficia, pro quibus illum deprecari eique gratias agere tenetur. Ergo, licet societates in futura vita subsistere non debeant, male concluderetur eas veram religionem honorare et excolere non teneri. Aliunde maxime interest societatis ut saniora morum principia firma sanctione muniantur : at, seclusa religione, morum principia nullam habent sanctionem, ut mox dicemus. Ergo, etc.

Obj. 2°. Amor patriæ et boni publici, desiderium gloriæ, metus infamiæ, testimonium conscientiæ et denique leges humanæ sufficienter nos impellunt ad malum fugiendum et honestum prosequendum. Ergo falsum est

religionem quæ triplicem cultum supradictum importat, bono societatis conferre, ipsique necessariam esse.

R. Nego ant. Nam 1°, sublata religione, præcipuum humanarum actionum motivum esset propria utilitas, et quidem merito : at propria utilitas bono publico sæpe est opposita. 2° Desiderium gloriæ non impellit ad virtutes occultas bono societatis tamen utilissimas; metus infamiæ non retrahit a criminibus occultis et quæ in notitiam hominum non ventura æstimantur ; attamen hujusmodi crimina bono societatis valde sunt adversa. Præterea, infima plebs immortalitatem nominis parum curat, nec infamiam multum reformidat, quando de explendis cupiditatibus agitur. 3° Conscientia, quam plures hodierni philosophi morales tradunt ut naturaliter honestam et tutam boni ac mali regulam, secluso Dei timore, vana est, omni sanctione destituta, contradictoria et absurda docens, ut nimis constat exemplo eorum qui quovis tempore religionem contempserunt, et multis vitiis communiter fuerunt inquinati. 4° Leges humanæ, actiones occultas, sive bonas, sive malas, attingere nequeunt, nec consequenter eas dirigere possunt. Insuper sanctione indigent ut sint efficaces : at præcipua earum sanctio ex religione, id est, ex fide in Deum omnia prospicientem, virtutes præmiis et vitia suppliciis æternis prosequentem, oritur; quod sic exprimit *Rousseau*, *Emile*, t. II, p. 117 : « *Philosophe, tes lois morales sont fort belles ; mais montre-m'en, de grâce, la sanction : cesse un peu de battre la campagne, dis-moi nettement ce que tu mets à la place du* POUL SERRHO [1]. »

Obj. 3°. Multi olim fuerunt et etiam nunc multi sunt homines sua probitate suaque legibus submissione commendabiles, et tamen nullum Deo exhibentes cultum. Ergo, etc.

R. 1°. *Negari potest antecedens.* Non constat enim hu-

[1] *Poul Serrho* est, apud Persas, pons super abyssum elevatus et valde exiguus, per quem omnes mortui transire debent. Boni feliciter transeunt, et ad beatitudinem perveniunt : reprobi vero titubant, cadunt, et in inferno concluduntur.

jusmodi homines nullam conservare religionem, ne quidem Dei timorem et futuræ vitæ, beatæ aut miseræ, fidem. Certum est, e contra, plerosque juxta religionis principia fuisse institutos, et saltem aliqua primæ educationis vestigia retinere. Unde fit ut quandoque in vita, et maxime in periculo mortis, actus religionis exerceant, ut notam impietatis vel atheismi pro injuria habeant, ut suos liberos, servos, ancillas religionem doceri velint, etc.

Aliunde constat viros omni religionis sensu destitutos communiter fuisse perversos, et non nisi horrorem coætaneorum ac posterorum sibi conciliasse.

R. 2° *Nego conseq.* De sola enim doctrina hic agitur, non vero de agendi ratione eorum qui doctrinam defendere nituntur : porro certum est doctrinam impiorum omnem religionem abjurantium nullum relinquere frenum vitiis, nullum subministrare incitamentum virtutibus. Si ergo inter eos qui talem profitentur doctrinam plures inveniantur sua probitate, honestate et legibus submissione commendabiles, id tribuendum est eorum indoli, educationi, tentationum defectui, quibusdam religionis vestigiis, aliisve causis extrinsecis.

Præterea qui pronuntiaret leges pœnales esse inutiles, quia multi viri probi solo justitiæ et honestatis amore bonum faciunt, male ratiocinaretur : ergo a pari concludi non potest religionem bono societatis inutilem ex eo quod plures visi sint philosophi probi et tamen irreligiosi. Unde *Rousseau, Émile*, t. II, p. 112 :

« *Par les principes, la philosophie ne peut faire aucun bien que la religion ne le fasse encore mieux, et la religion en fait beaucoup que la philosophie ne saurait faire...*

« *Nul homme ne suit en tout point sa religion, quand il en a une ; cela est vrai : la plupart n'en ont guère, et ne suivent point du tout celle qu'ils ont ; cela est vrai encore : mais enfin quelques-uns en ont une, la suivent du moins en partie, et il est indubitable que des motifs de religion les empêchent souvent de mal faire, et obtiennent d'eux des vertus, des actions louables qui n'auraient point eu lieu sans ces motifs.* »

§ II. — An religio sit necessaria relative ad societatem et homines privatos.

Modo vidimus quo fundamento nitatur triplicis cultus, interni, externi et publici, necessitas. Nunc nobis dicendum est quantum religio, triplicem hunc cultum complectens, bono societatis et privatorum conferat; unde mira exsurget eorum quæ statuimus confirmatio, et intelligetur celebre effatum, quod si Deus religionem non instituisset, illa excogitanda fuisset.

PROPOSITIO PRIMA.

Religio est fundamentum societatis, ita ut societas nec prosperare, nec etiam existere possit sine religione.

Prob. Illud admittendum est quod constat monumentis historicis et ratione : atqui, etc.

1° *Monumentis historicis.* Deus enim societatem creans, præcipuum ejus vinculum constituit in religione, sive per seipsum, tempore creationis, sive per patriarchas et prophetas, sive notanter per Moysen, qui apud omnes habetur saltem ut perfectus legislator, sive per Christum et Apostolos. Omnes legislatores ac præcipue ii qui primarii fuerunt societatum fundatores, ut Osiris apud Ægyptios, Zoroastres apud Persas, Orpheus, Minos et Cecrops apud Græcos, Numa apud Romanos, etc., sic et sapientes omnium temporum ac regionum necessitatem religionis pro societatis prosperitate agnoverunt. Ergo 1°, etc.

2° *Ratione.* Religio, ut diximus, complectitur fidem in Deum creatorem ac providum, omniaque officia ex divina et nostra natura profluentia. Præstat igitur motiva quibus unumquodque societatis membrum impellitur ad observandam legem naturalem, quæ est ipsamet voluntas Dei bonum societatis ordinem respicientis. Rejecta religione, jam nulla est obligationis nec cujusque officii ratio; evertuntur mores, leges, auctoritas principis, jus gentium.

1° *Mores.* In ea quippe hypothesi sola utilitas privata esset principium morum et sanctio officiorum nostrorum :

sed hujusmodi principium omnem justitiæ et honestatis notionem subvertit.

2° *Leges.* Sepositis enim motivis a religione præstitis, leges humanæ nullam vim habent, saltem in eos qui pœnas civiles devitare, fugere aut repellere possunt, ut patet.

3° *Auctoritas principis.* Posito enim quod Deus curam hujus vitæ non habeat, auctoritas principis est solummodo vis physica, quam populus, timore Dei non retentus, destruet si viribus prævaleat, vel quam princeps tyrannice exercebit, si rebellionem non timeat.

4° *Jus gentium.* Nisi enim agnoscatur supremus Legislator, qui communia gentium erga se invicem officia auctoritate sua sanciat, vis fortior erit ultima boni et mali, justi et injusti regula, sicque per fas et nefas gentem debiliorem opprimere, imo et exterminare licebit. Ergo, etc. Unde sic nervose, ut solet, *Rousseau, Émile,* t. II, p. 114, in-4°, an. 1793 :

« *Fuyez ceux qui, sous prétexte d'expliquer la nature, sèment dans le cœur des hommes de désolantes doctrines, et dont le scepticisme apparent est cent fois plus affirmatif et plus dogmatique que le ton décidé de leurs adversaires. Sous le hautain prétexte qu'eux seuls sont éclairés, vrais et de bonne foi, ils nous soumettent impérieusement à leurs décisions tranchantes, et prétendent nous donner pour les vrais principes des choses, les inintelligibles systèmes qu'ils ont bâtis dans leur imagination. Du reste, renversant, détruisant, foulant aux pieds tout ce que les hommes respectent, ils ôtent aux affligés la dernière consolation de leur misère, aux puissants et aux riches le seul frein de leurs passions; ils arrachent du fond des cœurs le remords des crimes, l'espoir de la vertu, et se vantent encore d'être les bienfaiteurs du genre humain. Jamais, disent-ils la vérité n'est nuisible aux hommes. Je le crois comme eux, et c'est, à mon avis, une grande preuve que ce qu'ils enseignent n'est pas la vérité.* »

Experientia omnium temporum, præsertim recentiorum, nimis probat eo magis facinora adversus societatem multiplicari, quo magis sensus religionis decrescit. Quid

ergo fieret si nullum religionis vestigium remaneret? Mox certe tota societas in luctuosam abiret ruinam. Ergo, etc.

Hinc 1° principes et magistratus, ut pote boni publici provisores, tenentur incrementum religionis promovere, ipsiusque agressores, quantum moraliter possunt, reprimere, nempe pseudophilosophos, qui religionem a cordibus hominum per scripta, sermones et exempla, avellere tentantes, societatem in ipsius fundamentis concutiunt.

Hinc 2° patet infensissimos societatis inimicos esse pseudophilosophos, qui religionem suggillantes, prædicant illam non nisi populo necessariam esse. Nam 1° tunc religio natura Dei et hominum non fundaretur, ac proinde falsa esset; 2° nemo accenseri vellet populo; 3° nullus cupiditates suas freno religionis cohiberet, cum nihil inde sperare posset, præter famam stultitiæ; 4° si magnates religionem contemnant, impossibile est populum eam diu et sincere professurum esse. Ergo, etc. Vide D. *Frayssinous*, *Conf.*, t. II, q. 51 et seq.

PROPOSITIO SECUNDA.

Religio necessaria est homini privato; respectu ejus, est fons multorum bonorum; irreligio vero radix multorum malorum.

Prob. 1° Amor et timor Dei, accurata mandatorum ejus observatio, divini cultus exercitium ac proinde religionis praxis, fere ubique commendantur, aut prescribuntur in Scriptura et in tota traditione. Ergo, etc.

Insuper, quæ supra diximus de necessitate cultus interni et externi, directe demonstrant necessitatem religionis quæ ex utroque coalescit. Unde longius in hoc non immorandum ducimus.

Prob 2°. Religio est fons multorum bonorum pro homine privato, irreligio vero radix multorum malorum.

1° *Religio est fons multorum bonorum.* Etenim 1° maximam dat securitatem in hac vita, cum supremum Dominum omnia prospicientem, omnibus providum, criminis vindicem, virtutis remuneratorem semper exhibeat; 2° non relinquit hominem sine solatio in quibuscumque infor-

tuniis constituatur, siquidem eo majorem ei promittit felicitatem in futura vita, quo miserior fuerit in terris; 3° cuncta philosophorum dubia unica voce tollit, lucida tradit principia circa Deum, mentem humanam, vitam futuram, morum regulas, etc. Ergo, etc.

2° *Irreligio est radix*, etc. Sublata enim omni religione. homo remaneret sine securitate in vita, sine solatio in miseriis, et sine ulla spe veræ felicitatis. 1° *Sine securitate in vita :* in ea quippe hypothesi omnia licent; propria unicuique utilitas erit sola regula boni et mali, proindeque cæteri homines poterunt pacta nobiscum inita violare, nos injustitiis opprimere, verberare, spoliare, occidere, quando propria eorum utilitas hæc ipsis suadebit. 2° *Sine solatio in miseriis :* unde enim exspectaretur solatium? Non a Deo, qui rebus humanis non prospiceret; non ab aliis hominibus, qui, nullo sensu religionis imbuti, nobis succurrere sæpe nollent, et sæpius non possent etiamsi vellent, quia multæ sunt in hac vita miseriæ omnem facultatem et bonam voluntatem hominum superantes, ut infirmitates, dolores, tristitiæ, infamiæ, infelices exitus, etc. 3° *Sine ulla spe veræ felicitatis.* Omnis namque felicitas in præsenti vita quærenda esset : at, semota religione, nulla est vera felicitas in præsenti vita; neque in divitiis, quæ communius frustra desiderantur et a multis miseriis non liberant; neque in voluptatibus, quæ brevi tædium generant, et multa graviaque inducunt mala; neque in bonis ordinis moralis, quia tunc omnia forent incerta circa Deum et ejus attributa, circa mentem humanam ejusque originem ac destinationem, circa morum principia eorumque sanctionem. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE RELIGIONIS NATURALIS INSUFFICIENTIA.

Religio naturalis est complexio veritatum et officiorum nostrorum erga Deum, quæ sola ratione deprehenduntur in natura rerum fundata. Duplex est medium ea cognos-

cendi, ratio scilicet et revelatio. Solam rationem sufficere clamant increduli; revelationis necessitatem invocant theologi. Diximus autem hæc sola ratione deprehendi posse quæ in natura rerum fundantur, a modo cognoscendi consulte abstrahendo.

Quæstio est igitur an ratio vitiata, qualis fuit et nunc est in paganismo, sufficiens fuisset ad Deum recte cognoscendum et debite colendum : affirmant deistæ, dicentes cum *Rousseau*, de religione naturali loquendo : « *Il est bien étrange qu'il en faille une autre* » (*Émile*, t. II, p. 78) : alii vero omnes necessariam esse revelationem contendunt.

Ut autem status quæstionis recte dignoscatur,

Notandum est 1° Deum, cum sit essentialiter recti ordinis conservator, debito modo coli non posse a nobis, nisi cuncta officia nostra erga ipsum, proximum et nosmetipsos bene noscamus et recte impleamus : quæcumque enim voluntaria recti ordinis violatio ipsum necessario offendit.

Notandum 2° duplicem distingui impossibilitatem, absolutam, scilicet, quæ tolli non potest, et moralem, quæ natura et indole hominum fundatur. Sic absolute impossibile est hominem ascendere in lunam, vel transire natando in Africam; moraliter vero impossibile est plures homines, loco, legibus, studiis, moribus, præjudiciis, cupiditatibus a se disjunctos sibi consentire, absque ulla spe utilitatis propriæ, ad fucum faciendum.

Impossibilitas moralis potest esse *stricta*, si nempe superari non possit, ut in exemplo præcedenti; vel *minus stricta*, si videlicet aliquando, quamvis difficile, vincatur: eo sensu impossibile est hominem ætate provectum et laboris impatientem celebrem fieri poetam, mathematicum, theologum, etc.

Dicimus quidem rationem, in præsenti rerum statu spectatam, sufficientem esse ad cognoscenda prima legis naturalis principia et proximas eorum conclusiones : hoc patet ex dictis. Dicimus iterum eam sufficere, pro nonnullis hominibus, ad quasdam legis naturalis conclusiones remotas plus minusve distincte cognoscendas.

Sed contendimus rationem, in præsenti statu consideratam et sibi derelictam, non esse sufficientem ad colligendum corpus doctrinæ completum, recti erga Deum cultus rationem continens, et ad illud convenienter docendum ac persuadendum.

Quæ circa hanc quæstionem nobis dicenda sunt, triplici propositione absolvemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Ratio sufficere potest ad plurima cognoscenda legis naturalis officia saltem distributive sumpta.

Prob. 1° *auctoritate B. Pauli*, Rom., I, 21 : *Quia cum cognovissent Deum*, ex inspectione mundi, *non sicut Deum glorificaverunt*, ideo pronuntiat eos, id est, philosophos romanos revelationem ignorantes, inexcusabiles esse; et II, 14 : *Cum enim gentes quæ legem non habent*, id est legem Mosaicam, *naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ergo 1° ratio cognoscere potest existentiam Dei et saltem quædam præcipua legis naturalis officia.

Prob. 2° *experientia.* Plurimi enim citari possunt philosophi, qui sublimem exposuerunt doctrinam circa pleraque religionis naturalis officia, ut Zoroastres apud Persas, Confucius apud Sinenses, Charondas, Zaleucus, Socrates, et Plato apud Græcos; Cicero, Epictetus, Seneca, Antonius Pius apud Romanos, etc. Nullus quidem exhibuit corpus doctrinæ in quo graves non essent errores; at « si exstitisset aliquis qui veritatem sparsam per « singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac « redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. « Sed hoc nemo facere, nisi peritus ac sciens, potest. « Verum autem non nisi ejus scire est, qui sit doctus « a Deo. » (Lactantius, *Institutionum divinarum*, lib. 7, cap. 7.) Ergo 2°, etc.

Non negamus antiquas populorum traditiones, ex primæva revelatione orientes, multum ad earum veritatum cognitionem servandam contulisse. At certum est etiam

homines opus legis scriptum in cordibus suis invenire, ut ait B. Paulus, et ejus rationem deprehendere, veritates quasdam morales intelligere, et ex illis, tanquam ex principiis, consectaria deducere. Hæc advertere sufficit ut inconcussa maneat nostra propositio.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sine revelatione moraliter impossibile erat colligere et convenienter docere corpus religionis quo Deus debito modo honoraretur.

Prob. Constat propositio nostra si omnes populi quibus non illuxit revelatio, gravissimis laboraverint erroribus circa officia hominis erga Deum, proximum et seipsum, et si ratio ad expellendos hujusmodi errores fuerit insufficiens : atqui hæc duo certa sunt.

1° *Omnes populi quibus*, etc., videlicet 1° *in iis quæ Deum spectant.* Excultissimi enim populi, ut Ægyptii, Chaldæi, Græci, Romani, in densissimis idololatriæ tenebris versabantur; adorabant deos multiplices, sceleribus fœdatos, imbecilles, ex lapidibus vel lignis confectos, crocodilos, feles, olera, etc. « *On adorait jusqu'aux bêtes et aux reptiles ; tout était Dieu, excepté Dieu lui-même,* » inquit *Bossuet, Discours sur l'hist. univ., 2e part., chap.* 3. Hæc deorum monstra ritibus absurdis, impuris et crudelibus celebrabantur. Mos fere ubique invaluerat mactandi homines super altaria, ut apud Phœnicios, Syrios, Arabes, Carthaginenses, Thraces, Scythas, Gallos, Germanos, etc. imo apud ipsos Græcos et Romanos ubi aliquod grave imminebat reipublicæ periculum. Eadem barbara consuetudo reperta est apud gentes Americanas, scilicet apud Mexicos, Peruvianos, etc. 2° *In iis quæ spectant proximum.* Pauperes contemnebant, miseros non sublevabant, servos velut jumenta tractabant, et licite, juxta leges, occidebant; liberos onerosos præfocabant vel exponebant, gladiatorum sese jugulantium spectaculo delectabantur, etc. 3° *In iis similiter quæ spectant seipsum.* B. Paulus sapientes Romanos describens (Rom., I, 29), dicit eos esse

repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Porro si tales fuerint philosophi sapientiæ excultores, quid esse debuerunt populi a regulis sapientiæ alieni, cupiditatibus abrepti, superstitionibus, deorum exemplis et religionis actibus excæcati, ad turpia, crudelia, et quæque flagitia quasi sancte impulsi? Ergo 1° populi quibus non illuxit revelatio, etc.

2° *Ratio* sibi derelicta *non erat sufficiens* ad præcavendos aut expellendos hujusmodi errores. Si enim sufficiens fuisset, maxime in præstantissimis philosophis qui, ut aiebant, toti erant in inquisitione et manifestatione veritatis : at illi celebres viri hos errores expellere moraliter non potuerunt, ut experientia constat, siquidem nullus accuratum exhibuit corpus doctrinæ. Aliunde, ut populos recte docerent, ipsis deerant scientia sufficiens, bona voluntas, certitudo, auctoritas et methodus apta.

1° *Scientia sufficiens,* ut jam ostendimus : nullus quippe philosophus omnem tenuit veritatem, nullus in gravissimos non impegit errores. Plato, qui eminentiorem inter eos tenuit locum, mulierum communitatem, barbaramque infantium qui deformes nascuntur vel sunt onerosi expositionem, in sua republica permittit; nudos utriusque sexus homines digladiari jubet. Alii vero aliter erraverunt, ita ut merito dixerit Tullius, de Divinatione, l. 2 : « Nihil tam absurde dici posse quod non dicatur « ab aliquo philosophorum. »

2° *Bona voluntas* ad expellendas superstitiones populorum requisita ipsis deerat. Secretam enim habebant doctrinam de diis et ritibus sacris, quam palam manifestare nolebant vel non audebant. « Vetus autem illud Catonis « admodum scitum est, inquit Tullius, de Divin., l. 6, « n. 54, qui mirari se aiebat quod non rideret aruspex « aruspicem cum vidisset; » et tamen volebat servari aruspicum instituta, propter falsam vulgi æstimationem. Ita

similiter alii multi, inter quos Seneca, referente S. Aug., de Civitate Dei, l. 6, c. 10 : « Omnem istam ignobilem « turbam quam longo ævo longa deorum superstitio con- « gessit sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus « magis ad morem quam ad rem pertinere. »

3° *Certitudo.* Nullum enim circa religionem habebant principium fixum extra omne dubium positum, ex quo procedentes, corpus doctrinæ bene institutum colligerent ac recte docerent : fere in omnibus sibi dissentiebant, etiam in gravissimis punctis ; alii dicebant deos existere ; alii negabant ; alii dubitabant. « Qui vero deos esse dixe- « runt, tanta sunt in varietate ac dissensione constituti, ut « eorum molestum sit numerare sententias, » ait Cicero, de Natura deorum, l. 1, n. 2. Eadem erat incertitudo circa mentis humanæ existentiam, naturam et destinationem, ut videre est apud eumdem Ciceronem, Quæst. Tuscul., l. 1, n. 26.

Unde ipse *Rousseau, Emile*, t. II, p. 23 : « *Je consultai les philosophes, je feuilletai leurs livres, j'examinai leurs diverses opinions : je les trouvai tous fiers, affirmatifs, dogmatiques, même dans leur scepticisme prétendu, n'ignorant rien, ne pouvant rien, se moquant les uns des autres; et ce point commun à tous me parut le seul sur lequel ils ont tous raison : triomphants quand ils attaquent, ils sont sans vigueur en se défendant. Si vous pesez les raisons, ils n'en ont que pour détruire ; si vous comptez les voix, chacun est réduit à la sienne : ils ne s'accordent que pour disputer.* » Ergo 3° etc.

4° *Ipsis* pariter *deerat auctoritas.* Supponatur quemdam philosophum cæteros adeo superasse ut corpus sanæ doctrinæ collegisset, numquid illud efficaciter per orbem universum promulgare, convenienter docere et persuadere potuisset? Ipsius ratiocinia fuissent tantum verba hominis, quæ ab unoquoque tam merito rejici quam admitti potuissent. Unde *Locke, Christianisme raisonnable*, l. 8, c. 27 : « *Zénon avait-il le droit de faire des lois au genre humain? s'il ne l'avait pas, tout ce que lui ou quelque autre philosophe pouvait dire, n'était compté que*

pour le sentiment d'un simple homme, que les autres pouvaient recevoir ou rejeter. » Ergo 4°, etc.

5° *Deerat ipsis methodus apta ad docendum.* Procedebant enim ex principiis abstrusis, et præcepta sua per argumenta sæpe intricata inculcare tentabant : at talis methodus captui multitudinis non est accommodata, ut patet. Hinc paucos habebant discipulos, eosque non e vulgo communiter, sed ex adolescentibus liberaliter educatis, quibus suppetebat tempus, ingenium et pecunia sumptibus faciendis proportionata : sicque pauperes, servi et generaliter plebeii documentis sapientiæ erant extranei, spernebantur a philosophis, et ipsi spernebant philosophos, ut viros superbos, singulares, societati noxios potius quam utiles. Unde iterum *Locke*, loco citato : « *A l'égard de la plus grande partie des hommes, il est sans doute beaucoup plus sûr et plus court qu'une personne envoyée de Dieu avec des preuves sensibles de sa mission, vienne à eux, en qualité de roi et de législateur, pour les instruire de leurs devoirs et leur recommander de les remplir, que de se remettre de ce soin là sur des raisonnements d'une longue discussion, et souvent fort embarrassés.* » Ergo 5°, etc. ; aliunde, etc. Ergo, etc.

Concludendum est igitur revelationem esse moraliter necessariam tum ad Deum recte cognoscendum et debite colendum, tum ad plurima legis naturalis præcepta erga proximum et nosmetipsos detegenda atque implenda, quod sic contra deistas probat *de Montazet*, Lugd. archiepisc., *Instruction past.*, p. 40 : « *Quelle sera donc la ressource des incrédules pour combattre l'autorité d'une expérience qui est celle de toute la terre, qui a duré quatre mille ans, et qui atteste si hautement la nécessité de la révélation? Diront-ils que la lumière naturelle peut aujourd'hui ce qu'elle n'a pu dans les plus beaux âges du monde, qu'elle est plus vive, plus pénétrante dans le vulgaire de nos jours, dans ces hommes qui n'ont ni le temps ni les moyens de s'appliquer à la recherche de la vérité, qu'elle ne le fut dans les plus grands philosophes de l'antiquité profane, dans ces âmes éminentes où la sagesse humaine*

parut dans tout son éclat ? Prétendront-ils que le peuple, c'est-à-dire la totalité morale du genre humain, peut se former à lui-même un corps de doctrine certain, entier et lié, tandis que ces hommes célèbres n'eurent que des débris, des opinions flottantes, quelques vérités éparses et mutilées, sans suite, sans motif, sans autorité ? »

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *cum* Rousseau *aliisque incredulis :* Deus nobis concessit rationem ad eum recte cognoscendum et debite colendum, seu ad explenda omnia religionis naturalis officia : ergo sufficere debet ad, etc.

R. 1° Etiamsi certum esset Deum ab initio concessisse homini rationem ad explenda omnia religionis naturalis officia plene sufficientem, non sequeretur eam nunc sufficere; nam fieri potest ut homo culpa sua e statu in quo fuerat constitutus deciderit, factus fuerit tenebris involutus, errori obnoxius, etc. Porro sic contigisse constat ex fide, quæ mysterium infirmitatis nostræ mirifice elucidat.

Hinc egregie *Pascal :* « *Si l'homme n'avait jamais été corrompu, il jouirait de la vérité et de la félicité avec assurance ; et si l'homme n'avait jamais été que corrompu, il n'aurait aucune idée de la véreté ni de la béatitude ; mais, malheureux que nous sommes, et plus que s'il n'y avait aucune grandeur dans notre condition ! nous avons une idée du bonheur et ne pouvons y arriver ; nous sentons une image de la vérité, et ne possédons que le mensonge : incapables d'ignorer absolument et de savoir certainement, tant il est manifeste que nous avons été créés dans un degré de perfection dont nous sommes malheureusement tombés.* » (*Pensées*, édit. de 1754, p. 33.)

R. 2° Etiamsi per multa sæcula ratio sufficiens fuisset ad cognoscendum cultum Deo reddendum et præcipua legis naturalis præcepta, cum Deus novas revelare possit veritates supra rationem positas et nova, pro suo arbitrio, imponere officia, nemini licet, absque serio examine, novam revelationem nomine Dei propositam gravibusque

evidenter nixam rationibus, rejicere. De hoc iterum et fusius in articulo sequenti.

R. 3° *Nego ant.* Scimus enim, ex Genesi, Deum ab initio hominem ad statum supernaturalem elevasse, ipsique revelationis auxilia statim præstitisse. Ruit ergo fundamentum systematis *Rousseau* aliorumque deistarum.

Inst. 1°. Omnia religionis naturalis officia lege naturali præcipiuntur, seu ad legem naturalem pertinent : atqui lex naturalis semper observari potuit. Ergo, etc.

R. Dist. min. Lex naturalis semper observari potuit quoad primaria ejus præcepta et conclusiones eorum proximas, *conc.;* quoad conclusiones remotas, *subdistinguo :* potuit absolute, *transeat;* moraliter ad sensum expositum, *nego min.* Etenim non negamus legem naturalem semper observari potuisse quoad primaria ejus præcepta et conclusiones eorum proximas : alioquin homo rationabiliter vivere non potuisset. Unde quicumque, ratione præditi, hæc transgrediuntur præcepta, etiam in regionibus ubi revelatio christiana non illuxit, a peccato per bonam fidem omnino excusari nequeunt. Non inficiamur pariter legem naturalem absolute observari potuisse ab hominibus distributive sumptis, id est a quibusdam individuis, quoad remotas ejus conclusiones : nam de stricta impossibilitate morali hic tractare consulto abstinuimus. Loquimur tantum de magna difficultate pro individuis et de morali impossibilitate pro omnibus collective sumptis. Porro clare ostendimus homines etiam peritissimos et doctissimos ante revelationis notitiam exstitisse et etiam nunc versari saltem in magna difficultate, cæteros vero in impossibilitate morali, omnia legis naturalis officia sola ratione cognoscendi. Ergo, etc.

Inst. 2°. Deus semper jussit legem naturalem observari in omnibus præceptis etiam remotis : ergo semper observari potuit, quia Deus impossibilia non jubet.

R. Dist. ant. Deus semper jussit legem naturalem observari, id est nunquam consentire potuit ut violaretur, *conc.;* transgressionem ejus semper imputavit ad pecca-

tum, *nego ant.* Equidem repugnat Deum consentire ut lex naturalis violetur etiam in levissimis punctis, quia consentiret in malum. Unde transgressio illius legis, etiam in remotis ejus conclusionibus, semper est peccatum saltem materiale, atque vera inordinatio coram Deo. Sed Deus hujusmodi transgressionem non semper imputat ad peccatum formale; nam secundaria legis naturalis præcepta invincibiliter ignorari possunt : at Deus certe non imputat ad peccatum transgressionem ex ignorantia invincibili provenientem. Ergo, etc.

Obj. 2°. Salus semper obtineri potuit : atqui revelatio non semper exstitit. Ergo, etc.

R. 1°. *Dist. maj.* Salus semper obtineri potuit ab individuis, magna cum difficultate, et plerumque cum cultu Dei valde imperfecto, cujus inordinatio invincibiliter ignota non imputabatur ad peccatum, *conc.;* ab omnibus collective sumptis, vel cum facilitate et recto cultu divino, *nego antec.* Responsio patet ex dictis.

R. 2°. *Nego min.* Ex scriptura enim sacra et traditione novimus Deum ab initio revelationem homini dedisse. Hæc autem revelatio primitiva apud Judæos sæpe renovata et mirabiliter conservata, eos ab universali ignorantia servavit. Apud alias gentes valde deturpata, sed tamen, quoad quædam potiora, per traditionem transmissa, rationem cæcutientem adjuvabat. Ergo falsum est revelationem non semper exstitisse.

Obj. 3°. Non rectius sub revelatione vivunt quam ante revelationem vivebant homines, et quam nunc multi vivunt deistæ revelationem negantes. Ergo, etc.

R. Nego ant. Nam 1° apud populos revelatione carentes adeo communia erant vitia horrenda, ut qui ex aliqua parte morum innocentiam conservabant aut nonnullas colebant virtutes, velut prodigia haberentur. Hinc factum est quod valde laudati fuerint pauci, tum apud Græcos, ut Aristides, Conon, Socrates; tum apud Romanos, ut Cato, Scipio, etc., ob quædam virtutum specimina quæ edidere. Sub revelatione vero notantur crimina, quia communes sunt virtutes. Apud Christianos enim sæpe

multo plura sunt virtutis exempla in uno pago quam olim fuere in tota Græcia tantopere celebrata.

2° Si mores sub revelatione corrumpantur, id maxima ex parte rejiciendum est in novos sophistas, qui totis viribus auctoritatem revelationis et ejus efficacitatem tollere conantur. Quo vividior enim est fides in revelationem, eo majora et numerosiora perspiciuntur virtutis exempla; et e contra, quo magis grassatur incredulitas, eo magis atrocissima cujuscumque generis multiplicantur crimina, ut experientia docet.

3° Virtutes infidelium ordinarie non erant puræ et sinceræ : communius ex superbia et vana gloria procedebant sæpe cum turpissimis vitiis erant conjunctæ, ut legitur de Socrate.

4° Recentiores increduli in ipsa revelatione quam blasphemando rejiciunt, hauserunt sana morum principia quæ retinent. Si enim apud Indos et Sinenses vixissent, et nihil de veritatibus revelatis audiissent, numquid meliores forent quam philosophi in his regionibus celebrati?

5° Si revelatio rationi superaddita ad bonos mores informandos non sit efficax, quanto minus sola ratio sufficeret! Qui enim revelatione destituuntur, ex ignorantia et ex perversitate cordis ad malum rapiuntur; qui vero revelationis luce donati sunt, eo ipso non in tanta versantur ignorantia, siquidem, præter lumen rationis quod servant, supernaturali auxilio illuminantur et adjuvantur. Si ergo causæ peccati per revelationem non tollantur, saltem minuuntur, et remedia malis proportionata præparantur. Ergo, etc.

Obj. 4° Si necessaria esset revelatio, Deus tanto tempore eam non distulisset, nec tot populis eam nunc denegaret. Ergo, etc.

R. Deus, ut docet ratio, ea tantum debet homini quæ ipsi necessaria sunt ad salutem : porro non demonstratur hominem, ante revelationem, in impossibilitate, saltem absoluta, constitutum fuisse salutem suam operandi. Attamen constat, ex dictis de gravi et universali corruptione, altum existere mysterium rationi sibi derelictæ im-

pervium : solus Deus mysterium istud aperire potuit, et illud optime aperuit per ea quæ docet fides de supernaturali nostra destinatione, de lapsu primi hominis, de peccati originalis labe in cunctis hominibus existente, de Redemptore promisso, de ejus adventu et superabundantibus gratiis ex illo profluentibus, etc.

Deus autem pro suo divino arbitrio differre potuit reparationem lapsus sibi non imputabilis, et quem nunquam reparare potuisset. Similiter intelligitur quomodo nonnullis revelatio concedatur et aliis adhuc vel denegetur, vel differatur. Quod enim non debetur, uni concedi et alteri negari potest ex sola voluntate tribuentis. Neque in hac agendi ratione redarguenda est personarum acceptio; nam personarum acceptio in eo consistit quod facies personæ et ejus qualitates respiciantur : at Deus bona sua distribuendo, neque faciem neque qualitates personæ respicit, sed tantum voluntatis suæ beneplacitum, *ut non glorietur, omnis caro in conspectu ejus*, I Cor., I, 29.

Communiter tamen docent theologi Deum ita paratum esse revelationem hominibus concedere, ut nemo rationis compos ea privetur nisi ex propria culpa. Deus enim, inquiunt, vult omnes homines salvos fieri : salvari nequeunt absque fide et gratia; fides et gratia obtineri non possunt sine revelatione : ergo unicuique suppeditare debet media, quibus si bene utatur, fidem et gratiam ad salutem necessarias, proindeque saltem sufficientem revelationem, obtinebit. Unde, juxta S. Thomæ doctrinam (de Veritate, q. 14, art. 2, ad. 1), si gentiles ratione sua recte uterentur, et legis naturalis præcepta fideliter servarent, inquantum ea cognoscere possunt, revelationem sufficientem Deus illis concederet sive per ministerium angeli, sive immediate per vocem internam, sive alio modo nobis incognito : consilia enim Dei altissima sæpe nos latent, et semitæ ejus nobis sunt inscrutabiles. Quidquid sit, certum est Deum esse justissimum, atque homines ultra peccata nunquam esse plecturum.

Ex his autem sequitur minime labefactari necessitatem revelationis ad sensum a nobis expositum.

Obj. 5° Sub prætextu religionis revelatæ, innumeræ propagatæ sunt superstitiones, ortum habuerunt dissidia et bella : ergo, nedum revelatio sit necessaria, est, e contra, societati noxia. Ita *Rousseau, Émile*, t. II, p. 79.

R. Nego conseq. Homines enim optimis rebus et institutionibus sæpe abutuntur : sic in ordine physico, abutuntur medicina ad se aliosve occidendos, vino ad se inebriandos, alimentis ad se ingurgitandos, in ordine morali, abutuntur facultate loquendi ad detractiones, contumelias, blasphemias, turpiloquia; faculate legendi et scribendi, ad discendam et docendam perversam doctrinam, ad componendos pessimos libros : sic subditi sapientioribus abutuntur legibus ut seditiones foveant : sic et principes aliique superiores sua nonnunquam abutuntur legitima potestate ut inferiores tyrannice opprimant. Numquid hæc ideo sunt rejicienda tanquam mala ? Nemo certe id dixerit. Ergo a pari, licet sub prætextu revelationis, etc., valde immerito diceretur revelationem societati noxiam esse; quod recte sic notat *Montesquieu, Esprit des lois* l. 1, chap. 2 :

« *C'est mal raisonner contre la religion, que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération des maux qu'elle a produits, si on ne fait de même celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les lois civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables.* »

PROPOSITIO TERTIA.

Sine revelatione absolute impossibile est cognoscere plurima quorum notitia magni nostra interest.

Prob. Nostra magni interest noscere causam præsentium miseriarum, formam cultus Deo exhibendi, remedium peccati et futuram destinationem nostram : atqui hæc in præsenti rerum statu accurate cognoscere non possumus, nisi ope revelationis.

1° *Causam præsentium miseriarum.* Ratio quidem suggerit nos e statu primæ creationis decidisse, sed causam

hujusmodi lapsus non indicat. Frustra eam quæsierunt veteres philosophi ; recentiores increduli, contradictiones naturæ nostræ sola ratione explicare volentes, non nisi incohærentia et absurditatibus plena excogitaverunt systemata. Ergo 1°, etc.

2° *Formam cultus Deo exhibendi.* Quamvis enim ratio necessitatem alicujus divini cultus demonstret, non dictat qualem Deo exhibendum deceat; formam bene ordinatam, universalem et constantem determinare non potest, quia per se nullam habet auctoritatem in alios homines. Unde Plato in *Epinomide* ait, loquendo de utilitate veram pietatem ediscendi : *Quis autem illud edocere queat, nisi Deum habeat ducem?* et in dialogo cui titulus : *Secundus alcibiades,* concludit *tutius esse exspectare donec aliquem Divinitas mittere dignetur, ut nos edoceat.* Veteribus ita persuasum erat solius esse Dei cultum quo honoraretur determinare, ut præcipui legislatores, v. g., Minos, Lycurgus, Zaleucus, Numa, etc., finxerint se ab ipsa Divinitate, mediate vel immediate, fuisse afflatos. Item et Mahumes in VII° æræ nostræ sæculo. Ergo 2°, etc.

3° *Remedium peccati.* Ratio quidem docet nos Deum sæpe offendere : at nullam ostendit viam ut ad illum redire et veniam ab illo obtinere valeamus ; quod sic observat *Clarke, de l'Existence de Dieu,* t. II, chap. 10 : « *Comment saura-t-on avec certitude que Dieu est disposé à recevoir en grâce les pécheurs qui retournent vers lui, et qu'il acceptera leur repentance, à moins que Dieu n'ait déclaré expressément que telle est sa volonté?... Car il n'y a aucun des attributs de Dieu qui prouve positivement qu'il soit obligé de pardonner à un pécheur repentant uniquement en vertu de sa repentance. La nature seule n'est donc pas capable de calmer les agitations et les doutes de l'homme pécheur sur les moyens d'apaiser la Divinité offensée.* » Ergo 3°, etc.

4° *Futuram nostram destinationem.* Quamvis enim ratio doceat alteram post præsentem exstituram esse vitam, in qua sua erit vitio pœna, suaque virtuti merces, nihil satis determinat circa vitia et virtutes, circa qualitatem et dura-

tionem pœnarum ac remunerationum : attamen maxime utile est ut hoc apprime noscamus. Ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

COROLLARIUM.

Etiamsi, stricte loquendo, ratio sufficeret, quod negamus, ad cognoscenda explendaque cuncta religionis naturalis officia, saltem evidens est revelationem esse viam ad erudiendos homines aptissimam. Illa enim admissa, datur corpus doctrinæ officia nostra erga Deum, proximum et nosmetipsos manifeste continens : præcepta sunt clara, nitida, omnium captui accommodata, summa sanctione munita, extra omne dubium posita; simpliciter docentur, facile persuadentur, sicque sublimis sapientiæ arcana, olim celeberrimis philosophis maxima ex parte occulta, ipsis rudibus et idiotis patent. Experientia constat Judæos, scientiarum humanarum ignorantes, multo melius de Deo et illius natura, de homine et ipsius officiis sensisse, quam alios populos etiam excultos. Similiter certum est plebeios, mulieres et infantes apud christianos multo plura et saniora circa officia nostra doceri, solum catechismum ediscendo, quam olim præstantes philosophos per multos annos in scholis suis disputando.

SCHOLIUM.

Non solum intellectus humanus lumine revelationis indiget ad cognoscenda officia, sed etiam ad ea explenda voluntati non minori auxilio opus est. Nemo nescit quam infirmi simus ad vincendas tentationes omnesque superandas difficultates quæ nobis in via virtutum occurrunt. Quoties enim deficimus, licet mens nostra apprime noscat officia nobis imposita et nos ad ea implenda incitet! Quod sic olim exprimebat ipse poeta :

..... Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Legatur etiam cap. VII Epist. ad Romanos.

Revelatio autem non tantum nos illuminat, sed et efficacia suppeditat auxilia, quibus voluntas adjuta nullius

virtutis est impar. Ex his quæ hic indigitamus patet revelationem omni studio ex parte cujuscumque sapientis dignam esse. Hinc etiam videtur quam admirabiles sint divinæ Providentiæ circa nos viæ, et quanto lumine altissima naturæ humanæ ordinisque moralis mysteria revelatione perfundantur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INDIFFERENTIA CIRCA RELIGIONES.

Duplici modo hæc indifferentia considerari potest: vel 1° eo sensu quod quis maneat in deismo, seu in religione naturali ut eam intelligunt deistæ, omnemque revelationem rejiciat; vel 2° eo sensu quod unusquisque religionem in qua natus est admittat ut revelatam ac veram, sub prætextu quod, salva divini cultus substantia, varietas rituum sit indifferens. Hæc indifferentia vocatur *tolerantismus* theologicus, quia omnes exhibet religiones ut æqualiter Deo gratas; sed longe discrepat a tolerantia civili qua suprema auctoritas politica cunctis diversarum religionum sectatoribus dat facultatem cultum suum libere exercendi. De hujusmodi tolerantia hic tractandi non est locus. Refellemus itaque, in duplici propositione, 1° quietem in deismo, et 2° indifferentiam circa diversas religiones quæ exhibentur ut revelatæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Nemo potest, tuta conscientia, in deismo conquiescere et omnem revelationem rejicere.

Prob. 1°. Sola ratio demonstrat possibilem, exoptandam et moraliter necessariam esse revelationem; existentia ejus est factum solis testimoniis adstruendum. Deistæ igitur impossibilitatem aut inconvenientiam ejus allegare non valentes, saltem examinare debent, bona fide, naturam et vim testimoniorum quæ proferuntur; alioquin imprudenter agerent. Ergo manere non possunt indifferentes.

2° Si revelatio de facto existat, certe qui eam non agnoscunt, nec de illa curam habere volunt, coram Deo sunt

inexcusabiles : at deistæ, videntes tot populos, tot viros graves et doctos revelationem ut certissimam habentes, ac testimoniis historicis diu ponderatis secure innixos, prudenter judicare non possunt, absque ullo examine, hæc omnia nulla mereri fidem. Ad minus dubitare debent, et eo ipso, tuta conscientia, manere non possunt indifferentes.

3° Qui futili principio innixi maximo sese exponunt periculo, habendi sunt ut insani : atqui tales sunt deistæ revelationis existentiam ne quidem examinare volentes. Maximo sese exponunt periculo, ut evidens est, et futili tantum nituntur principio, cum dubia et negationes tantum proferant, et talibus innixi dubiis revelationem suggillent. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Nullus manere potest indifferens circa diversas religiones quæ dicuntur revelatæ.

Prob. 1°. Admitti non potest indifferentia Deo injuriosa : at indifferentia de qua hic agitur Deo est injuriosa. Si talis quippe indifferentia esset bona ac licita, dicendum foret Deum omnes religiones existentes et possibiles æqualiter approbare vel indifferenti oculo cernere; atqui hæc certe Deo sunt indigna et ipsi injuriosa ; repugnat enim Deum approbare mendacium, vel circa veritatem et mendacium esse prorsus indifferentem : porro in dicta hypothesi Deus approbaret mendacium, vel ad minus circa veritatem et mendacium esset prorsus indifferens. Neminem enim latet quod in diversis religionibus, quæ habentur ut revelatæ, contradictoriæ doceantur propositiones : v. g., apud Judæos Christus blasphematur ut impostor, apud Mahumetanos habetur ut simplex homo, apud Christianos adoratur ut Deus; apud Catholicos præsentia realis Christi in Eucharistia admittitur, apud Calvinistas rejicitur, apud Lutheranos *consubstantiatio* creditur, etc.; attamen Deus has omnes religiones simul approbaret vel indifferenter cerneret, atque omnibus similiter honoraretur. Ergo, etc.

Prob. 2°. Qui circa diversas religiones manet indifferens et eam in qua natus est profitetur, juxta suppositionem, vel credit omnes esse veras, vel omnes esse falsas, vel persuasum habet unicam esse veram : at si dicat omnes simul esse veras, admittit absurditatem quam ipse *Rousseau* sic confessus est, *Émile*, t. II, p. 93 : « *Parmi tant de religions diverses qui se proscrivent et s'excluent mutuellement, une seule est la bonne, si tant est qu'une le soit.* » Si credat omnes esse falsas, exsecrandus est hypocrita, qui in re tanti momenti simulat quod non credit : alios suo exemplo in errorem inducit, eos ad mendacium et hypocrisim impellit, et gravissimam injuriam Deo facit. Si vero persuasum habeat unicam religionem esse veram, eam totis viribus inquirere debet, nec tuto manere potest in ea in qua natus est, præcise quia in ea natus est. Non percipitur quomodo veritas tam aperta ab homine rationis compote impugnari possit. Ergo, etc. Legantur opus *D. de Maistre sur la maxime qu'un honnête homme ne change jamais de religion*, et caput quartum operis dicti *Essai sur l'indifférence en matière de religion*.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Variæ religiones positivæ haberi possunt ut diversi modi Deum legitime honorandi : ergo, etc.

Ita etiam nunc plures philosophi, qui varias habent religiones ut diversas formas *pro tempore* existentes et legitimas.

R. Nego ant. Nam 1° Deus legitime honorari non potest religionibus eum facientibus mendacem, aut circa veritatem et mendacium indifferentem ; 2° si Deus ipse formam cultus quo honoraretur determinavit, alios divini cultus modos ab hominibus excogitatos, verum cultum dividentes, deturpantes, fœdantes ac destruentes, propitio respicere non potest oculo, nec eis legitime honoraretur : at, si revelatio existat, Deus ipse, etc. Ergo, etc.

Inst. Rex diversas sub sceptro suo habens provincias, obsequia, secundum diversos earum mores, varia libenter acceptat : ergo a pari Deus, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Rationes disparitatis sunt 1° quod rex non determinavit, in hypothesi, modum quo honoraretur; nam si illum determinasset, alio modo honorari nollet; 2° quod in obsequiis secundum mores provinciarum variis nulla sit contradictio, nihil regia majestate indignum reperiatur; dum, e contra, in diversis religionibus vera sit contradictio, quæ in ipsum refunderetur Deum, siquidem tum docendum foret omnes a Deo venire et ipsi pariter gratas esse. Ergo, etc.

Obj. 2°. Plerique homines sunt incapaces examinis ad astruendam revelationis existentiam, eamque a falsis religionibus distinguendam : ergo, etc.

R. Nego ant. Sola enim expendenda sunt credibilitatis motiva ut revelationis existentia astruatur et a falsis suppositionibus distinguatur, cum evidenter repugnet dari revelationem divinam alteri revelationi divinæ oppositam : porro quilibet homines rationis compotes capaces sunt examinis ad expendenda credibilitatis motiva requisiti. Hæc namque motiva sunt facta sensibilia, obvia, publica, a multis testibus relata, ut in Tractatu *de vera Religione* ostenditur : at quicumque homines rationis compotes capaces sunt examinis ad cognoscenda hujusmodi facta requisiti. Omnes enim plurima facta naturalia, etiam antiquissima, ex testimonio hominum infallibiiter credunt : verum facta supernaturalia quæ revelationis existentiam adstruunt, adeo sensibilia, clara, distincta et publica sunt ut omnium captui sint proportionata, et sine erroris periculo admitti debeant, sicut certissima facta naturalia. Ergo, etc.

Inst. 1°. Qui omnium religionum existentium libros, miracula, prophetias et singula quibus nituntur monumenta non expendit, comparavit, ponderavit, prudenter judicare non potest quænam sit vera, et quænam falsæ : at plerique homines tanti examinis non sunt capaces : ergo, etc.

R. Nego maj. Si enim clare ostendatur unam religionem esse revelatam, statim concludendum est alias ei oppositas esse falsas et rejiciendas, ob rationem superius expositam. Ergo, etc.

Inst. 2°. Judices litem imprudenter terminarent vel accusatum damnarent, si advocatos unius partis tantum audiissent : ergo a pari imprudenter judicaremus unam religionem præ cæteris esse veram, nisi prius aliarum omnium defensores audiissemus.

R. Nego conseq. et paritatem. Ideo enim judices sententiam imprudenter ferrent, 1° quia lex positiva, sapienter instituta, exigit ut partes adversæ semper audiantur; 2° quia lites non moventur contra evidentiam, sed ordinarie in dubiis et intricatis negotiis : nemo autem damnandus est quia est accusatus, sed antea probandum est illum esse reum quoad factum et intentionem ; accipiuntur excusationes ex ignorantia, delirio, violentia, etc, petitæ. Equitas igitur postulat ut partes adversæ audiantur. Si vero de damnando homine in flagranti delicto coram judicibus deprehenso ageretur, seclusis legibus positivis contrarium præscribentibus, nulla existeret ratio testes et advocatos audiendi, quia plena haberetur certitudo. Pariter si demonstretur, vel alio modo clare percipiatur unam religionem esse revelatam, inutile est cæterarum defensores audire ; evidenter enim tunc patet eas esse falsas.

Obj. 3°. De veritate suæ religionis nemo dubitare potest : ergo examinare non debet an vera sit religio in qua natus est.

R. Dist. ant. De veritate suæ religionis nemo dubitare debet, si plenam habeat convictionem, *concedo ;* talis quippe dubitatio Deo injuriosa esset ; si plenam convictionem non habeat, *nego ant.* Oportet enim obsequium nostrum erga Deum esse rationabile, et doctrinam aliquam credere non tenemur, nisi sufficientia nobis affulgeant credibilitatis motiva. Ergo, ubi plena non habetur convictio, sedulo inquirenda est veritas. Si, facto examine, manifesta credibilitatis motiva non affulgeant, prudenter suspenditur assensus. Porro qui falsæ adhærent religioni, communiter sufficientia credibilitatis motiva non habent ut plenissime sint convicti illam esse veram. Nam si ad rectum rationis dictamen attendant, mox quædam sal-

tem dubii specimina in se reperient, dum, e contra, qui vera religione sufficienter imbuuntur, tot et tam lucida vident credibilitatis motiva, ut eo majorem habeant convictionem quo magis attendunt et in se reflectunt. Unde quodcumque voluntarium haberent dubium, esset peccatum infidelitatis erga Deum.

Possunt tamen motiva fidei examinare et discutere, non dubitando, sed abundantiorem veritatem inquirendo, ut in illa magis confirmentur, eam doceant, defendant ac propugnent : sic theologi ipsaque concilia sæpe veritates fide catholica tenendas diversis rationibus stabilire conantur, licet fides eorum minime vacillet. Similiter rustici, plebeii homines et infantes circa motiva credibilitatis quotidie in publicis concionibus et catechismis erudiuntur, et tamen de veritatibus fidei non dubitant, sicut qui de motivis certitudinis naturalis instituuntur, primas veritates his motivis in sua mente innixas negare non tentantur.

Qui vero hujusmodi discursus non sunt capaces, temerarii forent si tali incumberent studio. Suam enim convictionem aliunde acquisitam obnubilarent et forte perderent. Idcirco lectio librorum hæreticorum et impiorum, nec non publicæ aut privatæ circa religionem discussiones iis omnibus jure naturali interdicuntur qui sufficienter eruditi sunt ut rationabiliter credant, non vero ut sophismatibus aliisque erroris ambagibus non decipiantur. Ergo, etc.

Diximus eos qui falsæ adhærent religioni *communiter* sufficientia non habere credibilitatis motiva, non vero diximus *semper* et *absolute ;* fieri enim potest ut quis bona fide et inculpabiliter falsæ religioni adhæreat : in eo autem casu ob suam ignorantiam non damnabitur, quia Deus est justus et impossibilia nunquam jubet.

Obj. 4° Sententia quæ societatem perturbat admitti non potest : atqui sententia docens unicam religionem esse veram perturbat societatem : ergo, etc.

R. Nego min. Illa enim sententia societatem perturbare non potest quæ cum vera religione humilitatem, benevolentiam, obedientiam erga omnes præpositos, charitatem,

pacem, misericordiam, patientiam, longanimitatem, injuriarum oblivionem commendat, ad nulla bella vel dissidia nullasque seditiones impellit. Aliunde vera religio per credibilitatis motiva persuaderi debet; nunquam vero per arma et violentias.

Inst. 1° Doctrina quæ tenet unicam religionem esse veram ad proximum odio habendum nos inclinat : ergo, etc,

R. Nego ant. Constat enim, e contra, veram religionem jubere ut omnes homines etiam errantes velut fratres diligamus : ergo, etc.

Inst. 2° cum *Rousseau*. Juxta hanc doctrinam, qui veram non profitentur religionem certo damnandi sunt : at eos quos certo damnandos putamus diligere non possumus : ergo, etc.

R. Nego maj. Nam 1° fieri potest ut falsæ religioni adhærentes ex bona fide errent, et in invincibili ignorantia constituantur : at in eo casu non damnabuntur præcise quia falsam religionem profitentur; 2° contingere potest ut cœlesti lumine illuminati ad veram religionem ante mortem redeant, justificationem obtineant et salvi fiant : ergo, etc.

R. 2° *Nego min.* Quandiu enim errantes et peccatores vivunt, ad Deum misericordiæ fontem recurrere, delicta sua pœnitentiæ lacrymis delere et veniam consequi possunt. Porro hujusmodi homines digni sunt amore in ordine ad justitiam quam acquirere possunt, etsi prævideretur eam nunquam de facto acquisituri : eos igitur velut fratres miseros et plangendos diligere debemus. Sic Christus quos certo prævidebat damnandos adeo nihilominus dilexit ut pro ipsis sudores experiri, labores sustinere, sanguinem effundere et vitam ponere non dubitaverit. Ergo, etc.

Inst. 2° Eos odio habere debemus quos Deus odit : atqui Deus odit eos qui certo damnandi sunt. Ergo, etc.

R. Nego min. Deus enim odit quidem eorum peccata et vitia, sed eos absolute non odit quandiu vivunt, ut patet exemplo Christi. Aliunde Deus peccatores multis modis ad meliorem frugem sollicitat, sufficientia eis præbet auxilia, quibus, si bene uterentur, salvi fierent. Ergo, etc.

Obj. 5° Qui obsequium supremæ auctoritati non præstat, societatem quantum in se est perturbat; ergo unusquisque religionem patriæ servare tenetur.

R. 1°. Hæc objectio deistas eam allegantes toto pondere premit; volunt enim unumquemque religionem patriæ in qua natus est profiteri, et ipsi totis viribus religionem christianam, sub qua nati sunt, evertere conantur.

R. 2°. *Dist. ant.* Qui obsequium supremæ auctoritati non præstat in iis quæ habet jus præcipiendi, societatem perturbat, *concedo*, et res patet; in iis quæ non habet jus præcipiendi, *nego ant.* Si tunc enim aliqua nascatur in societate perturbatio, non tribuenda est subditis obsequium negantibus, sed principi vel magistratibus potestate sua abutentibus. Porro qui supremam exercent auctoritatem jus non habent præcipiendi ut servetur religio patriæ si falsa sit, quia nihil legitime possunt contra veritatem, ordinem et Dei voluntatem. Unde tyrannis religionem christianam injuste persequentibus martyres et confessores semper responderunt, sicut Petrus et Joannes Judæis, Act., IV, 19 : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.* Hoc ipse sic agnovit *Rousseau, Emile*, t. II, p. 109 : « *Le devoir de suivre et d'aimer la religion de son pays ne s'étend pas jusqu'aux dogmes contraires à la bonne morale.* »

Non ideo tamen probamus eos qui nuper inculcare voluerunt subditos injuste quoad religionem suam vexatos contra principem tyrannice gubernantem insurgere, et armis justitiam sibi debitam petere ac exigere posse. Docemus, e contra, omnis generis mala potius subeunda esse, sicut olim tot millia martyrum maluerunt inter atrocissima supplicia occumbere, quam adversus crudelissimos persecutores fieri rebelles, licet fortitudine et numero ipsis inferiores non fuissent. Hinc merito, non multis abhinc annis, Greg. XVI, indignatione commotus, principia rebellionis a D. *de la Mennais* stylo eloquentiæ celebrata, in duplici encyclica solemniter profligavit.

Inst. 1°. Tranquillitas publica exigit ut omnis nova religio prohibeatur : ergo supremam auctoritatem exer-

centes jubere possunt ut subditi religionem patriæ sequantur.

R. Dist. ant. Tranquillitas publica exigit ut nova religio falsa prohibeatur, *transeat ;* vera, *nego ant.* Nam veritas religionis præcipuum est bonum hominis et vinculum societatis : impossibile est ergo ut ejus prohibitio ad publicam tranquillitatem sit necessaria.

Inst. 2°. Quælibet nova religio etiam vera violentas inducit mutationes. Ergo, etc.

R. Nego ant. Vera enim religio recte intellecta omnia reprobat vitia, omnes commendat virtutes, reverentiam erga parentes, submissionem erga principes aliosque superiores, charitatem erga omnes homines. Mutationes quidem inducit, sed via persuasionis, ad publicam tranquillitatem conducentes, eam nunquam perturbantes. Ergo, etc.

Obj. 6°. Repugnat homines ideo damnari quia in hac vel in illa nati sunt religione : at si unica religio sit vera, extra quam nulla salus, dicendum est homines ideo damnandos fore, quia, etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Omnibus enim sufficientia præbentur auxilia, quibus recte utendo ad veræ religionis notitiam pervenire possunt : non igitur damnabuntur quia in hac vel in illa nati sunt religione.

Præterea, vel in bona fide versantur, vel non : si prius, non damnabuntur propter veræ religionis ignorantiam, quæ in ipsis non est peccatum ; secundum ea legis Dei præcepta quæ cognoverunt aut cognoscere potuerunt judicabuntur : si posterius, non repugnat eos veram religionem voluntarie ignorantes ideo damnandos fore.

Adhuc *objicitur* auxilia sufficientia, de quibus modo, multis deesse, cum paucissimi a falsis religionibus recedant, ut veræ adhæreant; hoc autem falsum est. *Arguitur* etiam ex infantibus qui gratia baptismatis carent, quia in tali religione nascuntur. Hæc et similia evidenter non veniunt ad rem; ad theologos, qui has difficultates facile solvent, remittimus.

De Intolerantia.

Pseudophilosophi et scriptores qui religionem christianam impugnarunt, maxime contra ejus *intolerantiam,* ut aiebant, insurrexerunt, plurimos, sub eo prætextu, non minus incautos ac infensos ei suscitantes adversarios. Sic etiam nunc multi, falsam charitatem Deo injuriosam, hominibus noxiam, rectaque ratione reprobatam prædicantes.

Quamvis in responsis ad difficultates, eos jam refellerimus, utile judicamus quædam addere de intolerantia.

Duplex distinguenda est intolerantia, juxta doctores, theologica scilicet et civilis, quidquid in contrarium dicat *Rousseau, Emile,* t. II, p. 109. Intolerantia *theologica* in eo consistit quod unica religio admittatur ut vera, et cæteræ rejiciantur tanquam falsæ. Hanc intolerantiam unusquisque sapiens admittere debet : omnino enim repugnat duas et a fortiori multas religiones sibi contradictorias esse veras. *Quæ enim participatio justitiæ ad iniquitatem? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* II Cor., VI, 14.

Intolerantia civilis locum habet cum homines alios persequuntur et exagitant ob diversam quam profitentur religionem, et præsertim cum principes, suprema auctoritate pollentes, omnes religiones, præter unicam, severitate cohibent, a ditionibus suis repellunt, vel omnes, sine exceptione, indistincte vexationibus opprimunt : porro doctrina quæ tenet unicam religionem esse veram, seu intolerantia theologica, ad hæc non inducit. Vera quippe religio nobis præcipit misericordiam erga cunctos homines errantes; vult ut illos tanquam fratres diligamus, lenitate sermonum, fervore orationis, doctrina veritatis et omnium virtutum exemplis a via erroris, quantum possumus, retrahere tentemus, non vero permittit ut ad credendum eos vi impellamus. Unde S. Aug. : « *Interficite errores : diligite homines;* » et *Du Voisin,* Nannetensis episc., *Essai sur la tolérance,* 4e édit., p. 344 : « *Si la religion proscrit les erreurs, parce qu'elle est vérité, elle*

nous apprend à supporter les errants, parce qu'elle est charité. »

Qui caput reipublicæ constituitur bono publico invigilare, pacem procurare et conservare tenetur, quantum in se est : si ergo pax publica sibi videatur exigere ut falsas religiones cohibeat, a ditione sua repellat, eas cohibere vel repellere debet ; secus, eas existentes tolerare potest. Imo subditis falsas religiones profitentibus potest templa concedere, cœtus religiosos permittere, rituum sacrorum exercitia a turbis sua protectione defendere, etc., quia hæc agendi ratio principis non est intrinsece mala. Non enim per se ad errorem inducit, ut patet, sed tantum libertatem errantium in se bonam assecurat.

Notandum tamen 1° principem jus habere non posse veram religionem opprimendi, quia nunquam bono publico erit nociva, et aliunde repugnat existere jus aliquod contra veritatem ; 2° religionem falsam jus strictum non habere ut ab auctoritate publica protegatur, quia stricto jure nihil errori debetur ; 3° ingens dari discrimen inter tolerantiam et protectionem. Errantes tolerare eosque in exercitio cultus sui ab omni injuria defendere, sæpe licitum et quandoque præceptum est ; eos vero in erroribus suis directa protectione adjuvare, nunquam licet.

Omnia igitur bella et dissidia quæ occasione vel sub prætextu religionis orta sunt in mundo, ipsi veræ religioni non tribuenda sunt, ut supra jam ostendimus.

COROLLARIUM.

Immortales igitur gratiarum actiones rependere debemus optimo Deo, qui evidentissima veritatis signa nobis misericorditer præstitit, et abundantia donorum, præ multis aliis, nos cumulavit. Caveamus ne ingratos imitemur homines, qui ad verum Dei cultum parum attendentes, curiositate vel potius impietate ducti, anxie quærunt quomodo schismatici, hæretici, infideles, etc., salvi fieri possint, de assecuranda salute propria minime curantes : sollicitudinem nostram in nosmetipsos convertamus et non

in æquitatem judiciorum Dei erga alios homines : sufficiat nobis scire ea semper futura esse justissima.

In Tractatu *de vera Religione* ostendemus revelationem esse possibilem, ejus existentiam esse factum eo modo inquirendum et probandum quo facta præterita inquiruntur et probantur : manifestos assignabimus characteres quibus illius existentia certo constare potest : libros Veteris et Novi Testamenti esse authenticos, integros et veros, religionem christianam veram et divinam, demonstrabimus.

Deinde, cum aperte pateat omnes ecclesias christianas, sibi contradicentes, simul veras esse non posse, in Tractatu *de Ecclesia* tradentur regulæ quibus Christi Ecclesia, visibilis, perpetua, extra quam nulla salus, a societatibus pseudochristianis tuto secernatur : hujusmodi regularum seu notarum applicatione facta, clare noscitur Romanam Ecclesiam solam esse veram.

CAPUT SECUNDUM.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM.

Duplicis generis sunt officia hominis erga seipsum, alia quæ spectant ejus animam, et alia quæ spectant corpus. Hinc in eo capite duo erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OFFICIIS HOMINIS QUÆ SPECTANT EJUS ANIMAM.

Pluries jam observavimus duplicem præcipue distingui facultatem in mente humana, nempe intellectum et voluntatem ; hinc officia hominis erga animam pertinent ad intellectum vel ad voluntatem : de illis igitur sub duplici hoc respectu paucis verbis disserendum est.

§ I. — De officiis hominis relative ad intellectum.

Intellectus versatur circa verum cognoscendum. Mens certitudinis est capax, sicut ostendimus in Logica, ubi

plurimas tradidimus regulas ad verum a falso secernendum : nunc examinandum est an homo hac facultate uti teneatur , et cui studio præsertim incumbere debeat. Objectum circa quod exerceri potest intellectus humanus, est immensum; omnes scientias et artes complectitur.

Triplicis generis distinguuntur scientiæ, videlicet necessariæ, utiles et vanæ.

Illæ scientiæ dicuntur *necessariæ* quarum notitia jure naturali præscribitur, sive omnibus, qualis est cognitio veræ religionis et sanæ moralis, sive aliquibus, ut politica regibus eorumque ministris, jurisprudentia magistratibus, medicina medicis, theologia clericis, etc.

Scientiæ *utiles* eæ sunt quæ nulla ratione præscribuntur, sed quarum acquisitio bona est in se, animum delectat et ad fines laudabiles dirigi potest; tales sunt cognitio linguarum, logica, mathesis, physica, historia naturalis, historia universalis, critice, rhetorica, poesis, denique philosophia et litteratura.

Eæ autem scientiæ dicuntur *vanæ* quæ sunt falsæ aut dubiæ, nullis fundamentis innixæ, intricatæ, mere speculativæ et ad nihil utile conducentes : hujus generis sunt astrologia judiciaria, divinatio, dissertationes de possibilibus , systemata gratuitis suppositionibus fundata , et multæ quæstiones otiosæ in scholis olim famosissimæ.

Artes, a voce græca ἀρετή, industria, sic dictæ, quædam sunt methodi aliquid secundum determinatas regulas operandi. Dividuntur in liberales seu pulchras, in quibus mens præsertim agit : tales sunt rhetorica, eloquentia, poesis, pictura, scriptura, etc., et in mechanicas, quæ magis pendent ab exercitio corporis quam a facultatibus animi, ut officia lignariorum, cæmentariorum, etc.

Nullum est dubium quin unusquisque teneatur addiscere scientiam sibi necessariam, sive absolute, sive respective , juxta definitiones expositas. Eo ipso tenetur acquirere scientias ad scientiam sibi necessariam præ requisitas , qualis est logica relative ad alias scientias; historia civilis ad politicam , historia ecclesiastica a

theologiam, cognitio veterum linguarum ad perfectam Scripturæ sacræ intelligentiam, etc.

Qui vanis scientiis operam dare vellet, insanus esset; eas enim corde et animo despicere omnesque libros de illis tractantes rejicere debemus, ne tempus breve et celeriter fugiens incassum teramus.

Restat igitur ut de scientiis quas dicimus utiles et quas alii vocant curiosas, paucis verbis disseramus. Quidquid autem de his scientiis dicemus, de pulchris artibus intelligendum est.

J.-J. Rousseau, vir paradoxis notissimus, sibi proposuit ex professo demonstrare, speciali oratione quæ in academia Divionensi solemniter coronata est anno 1770, restitutionem scientiarum et artium non tantum nihil contulisse ad bonos mores, sed, e contra, eos multum corrupisse, contenditque hominem scientiis imbutum esse animal depravatum; contra quem sit sequens

PROPOSITIO.

Scientiæ et artes per seipsas hominem non depravant, nec damnari possunt ut malæ.

Prob. 1° Absurdum est dicere veritatem in se spectatam hominem corrumpere et depravare : atqui scientiarum pulchrarumque artium principia tot sunt veritates. Ergo, etc.

2° Deus omnia noscit, et hæc cognitio est in ipso perfectio. Ergo cognitiones acquirendo, quamdam similitudinem cum Deo acquirimus : atqui repugnat nos depravari præcise quia talem similitudinem cum Deo acquirimus. Si autem singuli homines scientias et artes discendo non corrumpantur, falsum est eas natura sua esse malas et populos depravare. Ergo, etc.

3° Scientiæ infinitas Dei perfectiones ostendunt, supremæ potentiæ ejus innumeros effectus per orbem sparsos demonstrant, mentes ad superna erigunt, amore virtutis et vitii horrore inflammant, aut saltem ad laudabiles hujusmodi fines conducere possunt : ergo dici non potest eas per se bonos mores corrumpere.

4° Singularis *J.-J. Rousseau* opinio ab omnibus æstimatur paradoxum quod nullatenus defendi potest. Ipse auctor sic de oratione sua loquitur (*Confessions*, t. II, p. 14) : « *Cet ouvrage, plein de chaleur et de force, manque absolument de logique et d'ordre ; de tous ceux qui sont sortis de ma plume, c'est le plus faible de raisonnement, et le plus pauvre de nombre et d'harmonie.* » Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Ob. 1°. Ex scientiis et litteris infinita numero scaturierunt mala, v. g., hæreses, impietates, absurda systemata, perniciosissimi libri corruptelam morum inducentes, temerarii novatores societatem religiosam et civilem conturbantes, etc. ; ergo scientiæ et litteræ homines depravant.

R. Nego conseq. Hæc enim aliaque ejusdem generis exempla id unum probant, scilicet, perversos homines scientiis et litteris abuti posse et reipsa sæpius abusos esse. Sed quid inde? Nonne optimis rebus quotidie plurimi abutuntur, v. g., arte legendi, arte scribendi, legibus, religione, etc. ? Numquid ideo hæc omnia damnanda sunt ut mala?

Præterea, si de scientiis et litteris per eventus judicandum sit, tunc boni effectus cum malis conferendi sunt. Porro, hac comparatione facta, boni effectus scientiarum litterarumque malis multo præstabunt. Quot enim sancti et pii viri, eruditione in litteris conspicui, totam societatem illustrarunt, religionem propugnaverunt, virtutem stabilieruut, vitia contuderunt, innocentiam defenderunt, et bonas disciplinas multum commendaverunt! Ergo, etc.

Inst. 1°. A priscis virtutibus recedunt populi quando apud ipsos prævalent scientiæ et artes, ut exemplo Ægyptiorum, Græcorum et Romanorum constat : ergo, etc.

R. 1°. *Nego antecedens* propter nimiam generalitatem ejus. Diu enim floruerunt scientiæ et artes in Ægypto et Græcia antequam illi populi fuerint corrupti. Numquid litteræ corruperunt Italos sub Leone X et Gallos sub Francisco I, ac imprimis sub Ludovico XIV? Conferantur

tempora scientiis illustrata cum sæculis barbaris, et pronuntietur qua epocha magis obtinuerint vitia. Certe nullus est dubitandi locus quin pro scientiis et artibus judicandum sit. Ergo, etc.

R. 2° *Nego conseq.* Sæpe quidem corruptio apud populos scientiis imbutos grassatur. Verum id non provenit ex scientiis, quæ potius ei obsistunt et adversantur, bene vero ex divitiis, mollitie, luxu et consuetudinibus perversis, quæ paulatim admissæ, quotidie obfirmantur, societatem quatiunt, lædunt et tandem subvertunt. Imo, societate depereunte, ipsæ litteræ mutantur et barbaræ fiunt : philosophia in artem mere sophisticam degenerat, de omnibus disseritur, controvertitur et disputatur, omnia in dubium revocantur. Hinc horribilis idearum confusio in omni genere, impietas, quædam mentis iniquitas, tædium ordinis existentis, amor novitatis, machinationes occultæ, et mox turbationes publicæ. Talis est cujusque institutionis humanæ caducitas et cordis nostri proclivitas ad malum : at nemo non videt hæc perversitatis humanæ consectaria scientiis et litteris tribui non posse.

Inst. 2° Veteres Persæ, Lacedæmones, Scythæ, Romani, Germani, etc., fuerunt invincibiles quandiu scientias ignorarunt : ergo scientiæ et artes eos corruperunt.

R. Nego conseq. Probandum enim foret populos istos ideo periisse quia scientiæ et artes apud ipsos introductæ sunt : porro illud non ostenditur nec ostendi potest.

Aliunde, immerito dicti populi ut cunctis virtutibus ornati nobis exhibentur. Erant quidem duri, in bello strenui, a præcipuis cupiditatibus nostris alieni, sed fere unicam colebant virtutem, nempe amorem patriæ et libertatis : nec Deum, nec cultum ipsi exhibendum, nec multa legis naturalis præcepta perfecte noscebant; variis in punctis turpissimos errores admittebant. At certe hujusmodi populi proponi non possunt ut ornatissimi cunctarum virtutum cultores, nec proinde dici potest eos usu scientiarum et artium depravatos fuisse.

Inst. 3° Multo difficilius reguntur populi exculti quam inculti, et prorsus impossibile esset populum ex philoso-

phis et litteratis duntaxat coalescentem gubernare : ergo quilibet princeps sapiens philosophos et litteratos e ditionibus suis expellere debet, sicut olim Spartiatæ et Romani eos expulerunt.

R. Dist. ant. Difficilius reguntur populi exculti quam inculti, id est, difficilius opprimuntur et jugo servitutis subjiciuntur, *concedo;* id est, difficilius est pacem inter eos servare et bonum publicum procurare, *subdistinguo;* si illi populi sint corrupti, *conc.;* si non sint corrupti, *nego ant.* Etenim multo difficilius est populos excultos jugo servitutis subjicere quam populos incultos, quia pluris æstimant libertatem, vividius sentiunt injustitiam, fortius contra oppressores insurgerent, constantius et efficacius eos debellarent. Item si essent corrupti, longe difficilius esset pacem inter eos servare et bonum publicum procurare; scientiæ enim et artes multa nocendi media subministrant hominibus perditis. Verum sit apud populum sanis doctrinis imbutum auctoritas suprema moderata, sapiens, justa, et quidquid voluerit obtinebit; pax servabitur, virtutes privatæ et publicæ colentur, et cuncta erunt prospera. Optimi ergo principes formidare non debent scientias et artes, sed ipsis summopere curandum est ut subditi sanæ religionis moralisque principia edoceantur.

Nunquam exstitit nec exstiturus est populus ex solis philosophis et litteratis coalescens : inutile est ergo speciali dissertatione quærere an possibile vel impossibile esset talem populum gubernare.

Præterea, non diximus totam multitudinem scientiis imbuendam esse : ingentia quippe inde sequerentur mala. Nullus etenim artes mechanicas exercere vellet. Sufficit ergo ut omnes claras veræ religionis et sanæ moralis notiones habeant, tum generales, tum speciales et ad proprium statum pertinentes. Tunc vanis contentionibus se non immiscebunt, fidei dogmata in simplicitate sua credent, æquitati et honestati naturali adhærebunt, sicque mirabilis ordo in cunctis conditionibus enitescet.

Idem, servata proportione, dicendum est de mulieri-

bus, quæ communiter aliud scire non debent nisi quod ad religionem, bonos mores, rectam domus administrationem et status sui decentiam requiritur.

Porro, his ita notatis, quis adhuc contendere audebit scientias et artes bono publico esse noxias et ab optimis principibus arcendas? Nonne certum est, e contra, illas multum conferre posse ad inducendam urbanitatem, decentiam, amænitatem, reciprocam observantiam moralesque virtutes quæ meliores faciunt homines et beatiores reddunt populos? Docti enim et sapientes viri habendi sunt respectu societatis, sicut oculi respectu corporis. Sed iterum affirmamus cavendum esse ne perversæ doceantur doctrinæ. Prudentis est ergo principis curare ut in scholis publicis et privatis integri semper constituantur magistri, qui sanis principiis juventutem erudiant eamque bonis disciplinis informent.

Plurima hic notanda sunt scilicet :

1° Qui scientiis et litteris operam dare sibi proponit, non omnes sine ordine acquirere intendat, alioquin imperfectis rerum notionibus quasi obrutus, nihil perfecte noscet, ut experientia constat. *Plus scire velle quam satis est, intemperantia est*, ait Seneca. Sicut enim non ea quæ manducantur nutriunt corpus, sed quæ digeruntur; ita non quæ leguntur aut discuntur faciunt hominem disertum, bene vero quæ clare distincteque percipiuntur ac retinentur. Unde vetus adagium: *Timeo virum unius libri.*

2° Unusquisque eas specialiter excolat artes vel scientias sibi magis consentaneas : intempestive procul dubio quærerent magistratus et clericus, v. g., perfectam medicinæ vel artis belli notitiam sibi comparare.

3° Ubi verum a falso secernendum est, caveat scientiæ cupidus a sophisticis libris qui tenebras in mentem injiciunt et in errores deducunt, præsertim si de veritate cupiditatibus opposita agatur. Hinc valde noxia est imprudens librorum pravorum lectio. His tantum impune permitti potest qui recto præditi sunt judicio, fundamentalia veritatis principia optime norunt, et longo exercitio cupiditates refrenare didicerunt. Nemo itaque tales libros

apud se detineat aut legat absque consilio viri gravis ac prudentis.

Quæritur an expediat ut omnes indistincte legere discant.

R. Plurimi negant, propter frequentes qui inde provenire solent abusus. Nos vero partem affirmantem tenemus; multo enim facilius est religione et bonis disciplinis eos imbuere qui optimos legere possunt libros, quam ignaros et fere stupidos homines, qui, viva voce tantum eruditi, nihil retinent, et præclarissimas veritates sæpe absurdis superstitionibus fœdant.

Duo tamen necessaria sunt, scilicet, 1° ut solummodo exquisiti præficiantur magistri puritate doctrinæ et morum integritate conspicui, qui religionis et virtutis exemplum tenellis semper præbeant discipulis; 2° ut mali vel suspecti prohibeantur libri; eo magis quippe noxii forent, quo incautiores essent juniores animi.

Cæterum, optandum esse nobis videtur ut communiter infantes variarum classium plebis ediscant solummodo legere, scribere et computare, ita ut officia conditioni suæ propria implere valeant. Quod ultra noscerent, superfluum et sæpe nocivum esset : hinc enim oritur desiderium supra conditionem suam assurgendi, ambitio, inquietudo, manuum operationis tædium et fuga, aliaque vitia nunc magis ac magis grassantia.

Diximus *communiter*, quia certe a scientiis et artibus liberalibus excludere non intendimus plebeios ingenio conspicuos, bonis moribus commendatos, etc.

§ II. — De officiis hominis quæ voluntatem respiciunt.

Voluntas, ut supra notavimus, versatur circa bonum amandum et malum fugiendum : rectum idcirco facultatis hujus exercitium meliores nos facit.

Cum felicitatem nostram invincibili propensione cupiamus, bonum, verum aut apparens, necessario quærimus, et quidquid nobis videtur malum, odimus ac fugimus. Ex fonte isto, nempe ex amore nostri, omnes voluntatis nostræ affectiones nascuntur.

In solo Deo sita est vera felicitas nostra, ut ostendimus. Ad eum ergo jugiter tendere debemus. Sed tenebris obcæcati variisque cupiditatibus abrepti, a summo bono sæpius dejicimur.

Tres potissimum distinguuntur cupiditates mentem nostram depravantes, videlicet, superbia, avaritia et voluptas.

Superbia est inordinatus propriæ excellentiæ appetitus: nomine appetitus intelligitur amor, desiderium et complacentia. Nos impellit ad prosequendos honores hujus vitæ tanquam præcipuum felicitatis nostræ objectum. Ex illo appetitu oriuntur vana gloria, invidia, ambitio, contentio, præsumptio, obstinatio, ira, vindictæ, etc.

Avaritia. immoderatus est amor divitiarum, unde proveniunt fraudes, mendacia, injustitiæ, perjuria, sordida parcimonia, infames viæ quæstum faciendi, duritia cordis erga miseros, etc.

Voluptas circa bonum delectabile versatur, et ex illa nascuntur luxuria, gula, id est, comessationes et ebrietates, sensualitas, inedia, gaudium et tristitia, amor et odium, spes et timor, etc., quatenus hi sensus ex appetitu boni delectabilis et mali oppositi aversione oriuntur.

Certum est has cupiditates infaustos producere effectus, ut quotidiana lugendaque constat experientia. Proh! felices qui ab illis immunes se custodiunt! Eas deinceps non ægre coercent, expeditas mentis facultates habent, integras vires corporis servant, abundanti pace in pura conscientia fruuntur, bonam famam sibi comparant, in gloria sunt apud Deum et homines, etc.

Contra vero, qui eas in teneris annis non refrenant, sed habenas illis imprudenter laxant, damnabiles male agendi habitus induunt, gravissima sibi imponunt vincula quæ difficile postea disrumpunt. Si interdum quædam habeant desideria e profundo iniquitatis emergendi, mox pondere libidinum victi, profundius relabuntur, multa prorsus dedecora faciunt, aciem mentis hebetant, corpus enervant, per vias difficiles ambulant, et *perversi difficile corriguntur*. Eccle., I, 15.

Maxime cavere debent adolescentes a cunctis voluptatum incitamentis, quæ sensus commovent, imaginationem accendunt, venenum corruptionis insinuant, mentem excæcant, decipiunt, ac peccati laqueis irretiunt.

Inter periculosa hæc incitamenta præsertim computari debent, quidquid in contrarium insanus allegare soleat mundus :

1° Libri amatorii, vulgo diti *romans*. Profanos enim amores ordinarie describunt, vividis coloribus illicitas mentis affectiones, tanquam laudabiles, depingunt, turpes actiones imaginibus exhibent, colloquia flammas impudicas spirantia, artificia ad seducendam innocentiam diabolice excogitata referunt, etc. Nemo nescit quam infausta inde nascantur consectaria. Ergo 1°, etc.

2° Choreæ et saltationes, quales nunc sæpius fieri solent. Ibi enim variis modis excitatur atque inflammatur libidinis incendium : juvenes utriusque sexus, vehementi propensione ad se invicem illecti, vultu, gestu, nutu sese provocant, temere et audacter maximis periculis sese objiciunt in fragiliori ætate, dum prudentiores vix a cupiditatum æstu temperare queunt. Si hæc agentes, integram servarent castitatem, ingens ibi agnoscendum esset prodigium. Ergo 2°, etc.

3° Ludi scenici, gallice *spectacles*, pariter habendi sunt pro plerisque velut fontes multorum vitiorum. In his namque libidines excitantur, amor inordinatus, odium infensum, ambitio insatiabilis, ira implacabilis, vindicta crudelis, aliaque vitia celebrantur in theatris. Minimum malum quod inde sequi solet, est maximum tædium pro cunctis gravibus studiis vel negotiis. Vide in hanc materiam *Traité de la Comédie* (*Essais de morale*, t. III); *Bossuet, Maximes et réflexions sur la comédie* (*Œuvres*, t. XXXVII); *Desprez de Boissy* (*Lettres sur les spectacles*, 2 vol. in-12). Ipse *J.-J. Rousseau* pericula hujusmodi ludorum ostendit (*Lettres à d'Alembert, Mélanges*, t. II, p. 156). De spectaculis nosmetipsi longius disserimus in *Theologicis institutionibus*.

Hæc principia impugnantur a pluribus qui dicunt,

1° ipsam naturam ad appetendum bonum sensibile nos impellere; 2° sublatis concupiscentia et cupiditatibus, jam magnas et generosas fieri non posse actiones; 3° ex hinc sequi omnem interdicendam esse recreationem juvenibus, qui tunc gravem et tristem necessario ducerent vitam.

Sed respondetur, ad 1^um^, naturam nos impellere quidem ad bonum sensibile appetendum, ut et promptius et efficacius conservationi nostræ invigilemus : at ille appetitus lumine rationis dirigi debet, alioquin ultra limites a sapientissimo Creatore præscriptos mox excurreret nosque secum traheret. Sic ad manducandum et bibendum recte inducimur : verum huic appetitui ultra modum cedentes, nos ingurgitamus vel inebriamus, et ita de cæteris.

Ad 2^um^, motus concupiscentiæ, si recte dirigantur, bonos esse et principia magnarum virtutum fieri posse ; si vero non coerceantur, uberrimi fiunt omnium vitiorum fontes. Habenæ dimittantur superbiæ, avaritiæ ac præsertim voluptati, et statim effluunt innumera malorum genera. Ex triplici namque hoc capite cuncta ortum habent delicta ac scelera quæ universam coinquinant terram.

Ad 3^um^, multas esse recreationes honestas, ab omni periculo probabili alienas, quas neutiquam improbat ratio, ut deambulationes, colloquia, nonnullæ ludorum species, præsertim inter personas ejusdem sexus. Pura et innocentia gaudia ex recreationibus istis aliisque similiter honestis percipere licet. Nedum autem tristis tunc ducatur vita, multa inde provenit jucunditas, pax abundans in cordibus, amœnitas interna in cunctis actibus relucens. Multo feliciores sunt in hac vita juvenes qui juxta rationis dictamen libidines coercent, quam illi qui, voluptatum illecebris attracti, omnia sibi permittunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OFFICIIS HOMINIS QUÆ CORPUS EJUS SPECTANT.

Deus animam intime junxit cum corpore, non ut ab eo duceretur, sed ut illud regeret. Repugnaret enim substan-

tiam ratione præditam alteri multo inferiori subjectam esse.

Præcipue nunc quærendum est 1° an mens unionem suam cum corpore servare teneatur; 2° quænam naturalis hujus obligationis sint consectaria. Itaque præsentis articuli duo erunt paragraphi.

§ I. — De obligatione servandi unionem mentis cum corpore.

Hanc obligationem non agnoscebant Epicurei, nec veteres Stoici, qui cruentam sui ipsius occisionem laudabant ut virtutem, præsertim in nonnullis circumstantiis, quod exemplo Bruti, Catonis, etc., comprobatur. Insanæ huic opinioni plures pseudosapientes nostri subscripserunt, inter quos *d'Holbach*, *Toussaint*, *Helvétius*, etc. Qui enim nihil agnoscunt præter materiam, nulla ratione probare possunt violentam sui ipsius mortem esse illicitam. Cæteri vero, religionem aut solam philosophiam hodiernam sectantes, doctrinam oppositam unanimiter tenent.

PROPOSITIO.

Lex naturalis stricte prohibet liberam sui ipsius occisionem.

Prob. Quod est Deo injuriosum, regulis prudentiæ contrarium, voci naturæ oppositum, sensui populorum adversum et societati noxium, lege naturali prohibetur : atqui talis est libera sui ipsius occisio.

1° *Est Deo injuriosa.* Deus enim existentiam dedit homini et animam ejus univit corpori; illum ergo statuit in terra ut servum aliquid operaturum, vel ut militem stationem suam servaturum : atqui servus famulatum suum deserere non potest, nec miles stationem sibi assignatam, quin gravem injuriam superiori suo inferat. Ergo similiter homo gravis injuriæ erga Deum fit reus si propriis manibus mortem sibi inferat.

2° *Regulis prudentiæ est contraria.* Altera quippe post præsentem nos manet vita, beata vel misera, secundum uniuscujusque opera. Sapientis est igitur vitam beatam per acquisitionem virtutum mereri, quandiu in hac vita

a Deo relinquitur, usque dum ad suscipiendam operum mercedem accersatur. Qui autem libere se occidit, omnia sibi præripit media aliquid merendi, ut patet. Qua fronte ante supremum Judicem non vocatus se sistens, remunerationem petere auderet? Ergo, etc.

3° *Naturæ voci opposita est.* Mortem enim, natura duce, refugiunt homines, ab illa abhorrent, et quodlibet periculum subito occurrens incogitantes et quasi inviti statim devitant; cuncta animantia eumdem mortis horrorem continuo manifestant: porro tam universalis tamque constans et invincibilis propensio ab ipso Creatore evidenter procedit.

Et vero, qui mortem violenter sibi inferre volunt, ordinarie dubitant, hærent, manentque suspensi, et, nisi delirio, furore, desperatione, gravi aliqua passione vehementer commoveantur ac timorem supremi Judicis prius abjecerint, propositum suum perficere non audent. Ergo tota natura contra atrocem hujusmodi actum fortiter insurgit. Hoc quidem adeo verum est, ut eo minora videantur hujus generis exempla, quo puriores sunt mores et vividiores religionis sensus. Et, e contra, eo frequentiores evadunt, quo magis impietas ac morum corruptela grassantur: factum istud jam negari non potest. Ergo, etc.

4° *Sensui populorum est adversa.* Omnes enim populi, omnesque sensati persuasum habent non licere seipsum propriis manibus occidere. Idem opinabantur veteres saltem plerique. Unde Virgilius, Æneid., l. 6, v. 434:

> Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
> Insontes peperere manu, lucemque perosi
> Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
> Nunc et pauperiem et duros perferre labores!

Ergo, etc.

5° *Societati est noxia.* Homo enim creatus est propter societatem, ut infra probaturi sumus: ergo lex naturalis vetat ne ullo modo societatem offendat. Verum qui per mortem cruentam vitam spontanee abjicit, graviter societatem offendit. 1° Etenim unum ex membris ejus violen-

ter avellit et abscidit. 2° Curas sibi commissas incaute relinquit. Nullus namque est homo qui non habeat saltem aliqua officia erga alios homines explenda, v, g., exempla pietatis, humilitatis, patientiæ, illis præbenda. 4° Perversum aliis dat exemplum : si enim, propter ærumnas et tædium vitæ, mortem sibi inferre liceat, et omnibus hæc doctrina persuadeatur, quicumque erunt miseri et afflicti, pœnis suis voluntaria morte tuto se subtrahere poterunt. Cum autem maxima pars generis humani tribulationibus exerceatur, horrenda mortis voluntariæ spectacula quotidie oculis nostris subjicerentur. 4° Qui voluntarie se occidit, parentes, cognatos, amicos, ipsamque societatem valde contristat. Ergo denique illam offendit. Ergo, etc.

Probatur insuper, in Tractatu *de Decalogo*, liberam sui occisionem oppositam esse fidei christianæ, verbis Scripturæ *Non occides*, et unanimi doctorum sensui. Ergo, etc.

Omnes illæ probationes forte non simul in quocumque casu aderunt. Sed plures semper erunt quam necesse est ut thesis nostra maneat, etiam ex ratione, invicte demonstrata, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Natura nos impellit ad quærendum bonum nostrum et fugiendum malum : atqui sæpe contingit vitam præsentem reipsa nobis esse malum : ergo illam fugiendo naturæ ipsique Deo paremus.

R. Dist. maj. Natura nos impellit ad quærendum bonum nostrum et fugiendum malum sub regimine rationis, *conc.;* secus, *nego maj.* Ratio hujus distinctionis ex superius dictis patet. Porro recte judicare non possumus bonum nostrum per voluntariam mortem quærendum esse, vera enim felicitas nostra in solo Deo sita est: atqui constat Deum prohibere ne præsentem vitam libere deseramus, sub prætextu quod sit misera.

Aliunde, si præsens vita sæpe sit misera, hoc frequenter propriis culpis nostris tribuendum est, id est, vitiis et libidinibus etiam quibus imprudenter servimus : porro justum est nos pœnas culpis nostris accersitas luere. Ergo, etc.

Præterea, communiter illæ miseriæ sunt transitoriæ, brevi leniuntur, deinde cessant, et pax eis succedit, sicut tranquillitas succedit tempestati : ergo non solum culpabiliter, sed imprudenter agit homo qui, ut eas declinet, cruentas manus in se conjicit. Ergo, etc.

Unde *Rousseau, Nouv. Héloïse*, t. 1, lettre 22 : « *Mais je ne tiens à rien : je suis inutile au monde. Philosophe d'un jour, ignores-tu que tu ne saurais faire un pas sur la terre sans trouver quelque devoir à remplir, et que tout homme est utile à l'humanité par cela seul qu'il existe? Écoute-moi, jeune insensé ; tu m'es cher, j'ai pitié de tes erreurs. S'il te reste au fond du cœur le moindre sentiment de vertu, viens, que je t'apprenne à aimer la vie. Chaque fois que tu seras tenté d'en sortir, dis en toi-même : Que je fasse encore une bonne action avant de mourir. Puis va chercher quelque infortuné à consoler, quelque opprimé à défendre... Si cette considération te retient aujourd'hui, elle te retiendra encore demain, après-demain, toute ta vie.* »

Inst. 1°. Licet crus aut brachium tradere chirurgo amputandum ut gravis dolor cesset, vel ut cætera membra serventur : ergo si tota vita sit misera, illam pariter abjicere licebit.

R. Nego conseq. et parit. Cum enim ingenita in nobis a Deo insita sit propensio qua propriæ conservationi nostræ invigilamus, certe contra illam non agimus, nec ideo contra voluntatem Dei, si membrum vitiatum tradamus ut cætera serventur integra ; voluntaria enim amissio cujusdam membri ex ea sequitur lege qua Deus jubet ut corpus servemus, et qua simul prohibet ne illud voluntarie destruamus : ergo plus favet quam nocet comparatio.

Inst. 2°. Eodem modo se habet corpus respectu animæ, ac membrum respectu corporis : ergo si ad conservandum corpus membrum amputare liceat, pariter totum corpus destruere licebit, ut mens, a doloribus libera, facultatibus suis plene gaudeat.

R. Nego ant. Quodlibet enim membrum modo suo ad efficiendum corpus integrum concurrit, sicut pars ordinatur ad totum ; pars autem, si necesse est, perire debet

pro toto : unde si cuncta membra simul servari nequeant, unum pro aliis tradere licet. Verum corpus relative ad animam non se habet sicut pars ad totum ; est enim in genere suo completum, et ex illius unione cum anima integer efficitur homo : qui ergo corpus occidit, non tradit partem ut servet totum, sed ipsum destruit hominem, ut talem. Ergo, etc.

Inst. 3°. Insipientis est sustinere mala quæ facile devitari possunt : ergo ubi misera est vita, eam abjicere licet.

R. Dist. ant. Insipientis est sustinere mala quæ facile et licite devitari possunt, *transeat ant.* ; quæ facile, sed illicite devitari possent, *nego ant.* Itaque insipientis esset quidem sustinere mala quæ facile ac licite devitari possunt, quando in eis sustinendis nulla est utilitas, sed potius detrimentum : hoc patet. At, si hæc mala licite vitari non possent, insipientis non esset, sed potius sapientis ea sustinere. Nam vera sapientia consistit in adimplenda justitia et in exercendis virtutibus, etiam cum dispendio actualis utilitatis nostræ.

Diximus *transeat ant.*, quia sæpe insipientis non esset sustinere mala, quæ facile et etiam licite vitari possent, si sustinerentur patienter ad colendam virtutem, corrigendam naturam, acquirendam perfectionem.

Obj. 2°. Seipsum propriis manibus occidere est actus strenui hominis : ergo Deus hunc actum in altera vita remunerare debet.

R. 1° *Retorqueo argumentatum.* Non raro scelerati homines strenue agunt patrando crimina; ergo Deus eos remunerare debet in altera vita.

R. 2°. *Nego antec.* Fortitudo enim animi in adversis constanter perferendis maxime relucet ; ita judicant omnes. Porro qui propter miserias hujus vitæ voluntarie se occidit tantam animi fortitudinem non exhibet; physice enim loquendo, facilius est vitam unico ictu amittere, quam longos dolores æquanimiter tolerare. Und poeta Martialis :

> Rebus in adversis facile est contemnere vitam ;
> Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Sic pariter *Rousseau*, *Nouvelle Héloïse*, 4e partie, lett. 22, t. 1, p. 572 :

« *Tu t'ennuies de vivre et tu dis : La vie est un mal. Tôt ou tard tu seras consolé, et tu diras : La vie est un bien. Tu diras plus vrai sans mieux raisonner ; car rien n'aura changé que toi. Change donc dès aujourd'hui, et puisque c'est dans la mauvaise disposition de ton âme qu'est tout le mal, corrige tes affections déréglées, et ne brûle pas ta maison pour n'avoir pas la peine de la ranger...*

« *Que tes exemples sont mal choisis, et que tu juges bassement les Romains, si tu penses qu'ils se crussent en droit de s'ôter la vie aussitôt qu'elle leur était à charge ! Regarde les beaux temps de la République, et cherche si tu y verras un seul citoyen vertueux se délivrer ainsi du poids de ses devoirs, même après les plus cruelles infortunes. Régulus, retournant à Carthage, prévint-il par sa mort les tourments qui l'attendaient ? Que n'eût point donné Posthumius pour que cette ressource lui fût permise aux Fourches Caudines ? Quel effort de courage le sénat même n'admira-t-il pas dans le consul Varron pour avoir pu survivre à sa défaite ? Par quelle raison tant de généraux se laissèrent-ils volontairement livrer aux ennemis, eux à qui l'ignominie était si cruelle et à qui il en coûtait si peu de mourir ? C'est qu'ils devaient à la patrie leur sang, leur vie et leurs derniers soupirs, et que la honte ni les revers ne les pouvaient détourner de ce devoir sacré.* »

Quamvis immediate post hæc verba, celebris auctor, juxta morem suum, sibi contradicat, eloquenter tamen ostendit veram fortitudinem animi multo magis relucere in adversis constanter perferendis, quam in eis per voluntariam mortem fugiendis. Ergo, etc.

R. 3°. *Nego conseq.* Nam ea tantum fortitudo est virtus a Deo remuneranda, quæ bene, non vero quæ male ordinatur.

Inst. Dici non potest ignavos fuisse Lucretiam, Catonem, Brutum, Cassium, Antonium, Arriam, Mithridatem, Annibalem, aliosque plures qui maluerunt mortem sibi inferre aut ab aliis inferendam jubere, quam infamiæ vel

libertati superesse, aut vivi hostibus tradi : ergo voluntarie seipsum occidere fortis est animi.

R. Dist. conseq. Voluntarie seipsum occidere fortis est animi, si actus ille in se spectetur, *conc.;* si spectetur cum cunctis suis adjunctis, *nego conseq.* Itaque non dicimus actum seipsum occidendi in se spectatum nullam fortitudinem animi exhibere : qui enim prorsus ignavi sunt, nec adversa patienter tolerare possunt, nec mortem sibi inferre audent. Animi ultra modum dejecti et contemptibili desidia indigne torpentes, cujusque actionis laudabilis e firmi propositi sunt incapaces. Attamen negavimus et iterum negamus voluntariam sui ipsius mortem, cum omnibus adjunctis, esse actum veræ fortitudinis, propter rationem jam expositam.

Personæ superius memoratæ ut fortes quidem habitæ sunt apud posteros; verum ut multo fortiores habitæ fuissent, si dura fata constanter pertulissent. Hoc patet exemplo Aristidis, Reguli, Varronis, Belisarii, S. Ludovici Francisci I, etc.

Obj. 3°. Fieri potest ut quis ab aliis hominibus contemnatur, repellatur, injustitia vexetur et opprimatur : a in eo casu seipsum occidendo non lædit societatem : erg saltem in eo casu seipsum occidere licet.

R. 1°. *Nego min.* Si enim prædictus homo gravem in juriam ab aliis hominibus susceperit, certe hæc injuri toti societati tribui non potest : atqui tamen per voluntariam sui ipsius mortem totam læderet societatem : a minus enim perversum illi præberet exemplum, ut supr notavimus. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Etiamsi enim supponeretur ali quem hominem in talibus circumstantiis versari ut, seip sum occidendo, societatem non læderet, non ideo licite s occidere posset; præcipua namque nihilominus exister ratio propter quam talis actus grande esset crimen nempe, stricta Dei prohibitio evidentibus signis manifestata, ut probavimus. Ergo, etc.

Inst. 1°. Supponatur aliquis morbo contagioso infectus, qui virus aliis communicaturus est : at certe exp

dit ut quamprimum moriatur. Ergo seipsum occidere potest.

R. Distinguo min. Certe expedit, si mors ex ipso morbo naturaliter sequatur, *concedo;* certe expedit, etc., etiamsi non nisi ex occisione mors oriatur, *nego.* Non negamus quidem in priori casu mortem ad bonum publicum conferre; secus vero in posteriori. Illud enim non expedit quod tot rationes superius expositæ prohibent. Insuper, eo vel simili prætextu, omnis sui ipsius occisio justificaretur. Nemo ergo non videt quantum hujusmodi doctrina sit reprobanda.

Inst. 2°. Qui ob grave motivum in apertum discrimen se conjiciunt, v. g., ad salvandum regem in prælio, ad occidendum ducem adversariorum, ad privatos e periculo eruendos, magnis laudibus apud omnes celebrantur; item qui, ad placandam ferocitatem hostium, libere se eis tradunt occidendos, ut patet exemplo Eustachii *de Saint-Pierre*, et quinque sociorum ejus. Ergo similiter in his casibus seipsum occidere liceret.

R. Nego conseq. et paritatem. In his enim casibus, qui ita se tradunt vel in discrimen se conjiciunt, directe se non occidunt, sed tantum periculo moriendi se objiciunt, ut effectum gravis momenti obtineant: porro inter utrumque magnum datur discrimen. Qui enim directe se occidit, suscipit actum lege naturali prohibitum; qui vero ob gravem causam periculo mortis se exponit, facit actionem ex se bonam et *permissive* tantum se habet relative ad mortem sibi inferendam. At, fatentibus omnibus, licet ponere actionem ex se bonam ex qua duo secuturi sunt effectus, unus bonus et alter malus, bonum intendendo, et malum duntaxat permittendo, modo adsit ratio sufficiens; nisi enim principium istud admitteretur, nihil fere licitum esset in ordine morali, ut alibi dicemus. Ergo, etc.

Inst. 3°. Plures, apud Christianos, laudantur ut probi et sancti, et tamen mortem voluntarie sibi intulerunt, ut, v. g., Samson, qui columnis templi Dagon concussis, simul cum Philisthæis obrutus est; Eleazar, qui sub elephante positus, eum percussit et pondere ejus oppressus

est; Apollonia virgo, quæ in rogum accensum propri nutu prosilivit, etc. Ergo, etc.

R. Nego conseq. 1° Prædicti enim viri ac mulieres fort inspirante Deo ita egerunt : sic revera egit Samson, cum sola Dei operatione columnas templi concutere et everter potuerit. 2° Forsitan indirecte tantum mortem sibi intule runt, faciendo rem ex se bonam ut bonum obtinerent effec tum, eumque solum intendendo : sic Eleazar, I, Mach., vi 43, sibi proponebat, confodiendo elephantem, regem Antiochum in terram dejicere. Insuper sperare potera fore ut bestia non statim corrueret, aut ad dextram vel a sinistram prostraretur, vel denique quod prius se retra here posset quam illa occumberet. 3° Si defecerit motivur in se sufficiens, dici potest eos ex recta piaque intention ita egisse, invincibili ignorantia arbitrantes se hæc facer posse; talis autem ignorantia ab omni peccato coram De excusat. Sic excusari potest sancta Apollonia et alii Chris tiani qui eam imitati sunt, ut ostenderent persecutoribu se mortem non formidare, nisi etiam dicatur eos e specia Dei inspiratione, de qua modo dicebamus, egisse, quo multis probabile videtur. Ergo, etc.

Obj. 4°. Vita est beneficium a Deo nobis concessum atqui licet abjicere beneficium onerosum : ergo, si vit nobis fiat onerosa propter mala ingruentia, eam per vo luntariam mortem abjicere licet.

R. 1°. *Dist. maj.* Vita est beneficium cum obligation bus, *conc.;* est merum beneficium, *nego maj.* Equide certum est vitam nobis concessam fuisse ut beneficium at non est merum beneficium nobis oblatum quod abjice liceat. In nobis est enim absque nobis, est ipsa natu nostra : porro natura nostra comparari non potest bene cio nobis oblato et quod recusare possemus.

Insuper, si vita nostra merum esset beneficium, nu lam rationem de illa reddere teneremur : attamen acc ratam totius vitæ nostræ rationem reddere Deo tenemu ut jam ostendimus. Ergo vita est beneficium cum oblig tionibus.

R. 2°. *Nego min.* Qui enim beneficium a Deo conce

sum in conspectu ejus abjiceret, sub prætextu quod onerosum esset, certe videretur illum contemnere, providentiam ejus accusare et benignitati diffidere : at talis agendi ratio Deum graviter offenderet. Quis enim beneficium a principe concessum in præsentia ejus abjicere auderet, dicens illud esse nimis onerosum ? Nonne princeps hac agendi ratione offenderetur? Ergo a fortiori et Deus. Ergo, etc.

Inst. Divitias a Deo nobis concessas licite abjicere possumus : ergo *a pari* et vitam.

R. Nego conseq. et paritatem : divitiæ enim naturam nostram non constituunt, sed quædam sunt media quibus rationabiliter uti debemus ad consequendum finem nostrum, id est, ad Deum possidendum. Unde qui eas abjicit ut liberius Deo serviat, majores virtutes acquirat et felicitatem alterius vitæ tutius obtineat, contra Creatoris intentionem non agit. Qui vero naturalem constitutionem suam per mortem voluntariam destruit, Deo manifeste adversatur, ut constat ex dictis. Ergo, etc.

Obj. 5°. Aliquando tædium vitæ adeo insuperabile est ut hominem ad sui necem invincibiliter determinet : ergo saltem in eo casu sui occisio est licita.

R. Dist. antec. Aliquando tædium vitæ adeo insuperabile est ut hominem ad sui necem invincibiliter determinet, ex præcedenti mala agendi ratione, *transeat ;* absolute, *nego ant.* Etenim cunctis libidinibus serviens, in perversitate obduratus, ad tale vitæ tædium non raro ducitur, ut mortem ex desperatione sibi inferat. Communiter tamen, etiam in eo casu , sufficientes haberet vires pro tentatione superanda, si Deum invocaret, et, vitia detestando, ad principia virtutis rediret. Si autem determinatio, ex mala agendi ratione præcedenti, invincibilis esset, tunc suicidium imputaretur ut volitum in causa. Si vero in se et absolute invincibilis esset, quod non nisi per accidens admittendum putamus, tunc dicimus rationem esse turbatam, et actionem, licet malam in se, non imputari ad peccatum. Ergo, etc.

§ II. — Quænam sint consectaria obligationis servandi corpus.

Sequitur ex dictis naturalem nobis incumbere obligationem corpus juxta regulas prudentiæ conservandi. Ex illa autem obligatione plurima inferuntur ; scilicet :

1° Non licere periculo, ex intentione mortem sibi procurandi, se objicere : id evidenter patet.

2° Nec tali periculo temere et absque ratione sufficienti se exponere ; quod enim in causa volitum est merito imputatur ad peccatum, si malum sit : porro in eo casu mors in causa volita esset. Ergo, etc.

Diximus *absque ratione sufficienti :* quia, ex jam observatis, periculo mortis incurrendæ se objicere licet ut bonus obtineatur effectus, modo sufficiens adsit causa quæ labem temeritatis abstergat. Sufficientia autem illius causæ ex judicio viri prudentis determinari potest : eo major esse debet causa quo gravius est periculum. Sic laudabilis est vir qui, ut alterum aquis demersum eripiat, in flumen cum evidendi periculo se præcipitat, et prorsus inexcusabilis esset si sola recreationis causa id faceret ; item minime peccant artifices qui super ædificiorum tecta ascendunt, huc atque illuc cum notabili vitæ periculo circumvagantur, dum funambuli a peccato excusari nequeunt.

3° Qui absque necessitate aut rationabili causa duris laboribus, vigiliis excessivis, macerationibus indiscretis, vires corporis nimis debilitant et valetudini graviter nocent, plus minusve peccant, secundum gradum imprudentiæ cujus fiunt rei. Ut ergo recte judicetur an hæc aliaque ejusdem generis sint licita vel illicita, laudabilia aut vituperanda, pensanda sunt motiva quibus agentes determinantur.

Non facile tamen judicandum est tot viros amore solitudinis, jejuniis, vigiliis, aliisque afflictationibus carnis celebres, imprudenter egisse et contra legem naturalem peccasse ; ex puro enim ac sanctissimo fine ita se gerebant et ad illum, talibus adhibitis mediis, acrius intendebant. Insuper, plerique morbos inter homines volupta-

tibus deditos frequentes devitarunt; sanam ac robustam valetudinem diutissime protraxerunt, et expeditas animi facultates jugiter habuerunt. Unde ipsorum agendi ratio, non solum ex bona fide, sed ordinarie per se recta atque laudabilis erat.

4° Multo magis peccant homines contrariis excessibus indulgentes; voluptatibus enim corporis semper illecti, multas sibi creant necessitates a quibus postea, præ difficultate, se expedire nolunt: cibis abundantioribus se ingurgitant, potibus immoderatis se inebriant, liquoribus extraordinariis humores inflammant, somniis prolongatis et continua mollitie membra sua torpere et totum corpus ingravescere faciunt, mentem mole carnis quasi obruunt, morbos generant, dolores et infirmitates sibi accersunt, ægram trahunt vitam. Alii passionibus ignominiæ servientes et infamiis se inquinantes, sanitati corporis grave nocumentum inferunt et ante tempus senes turpiter facti, misere pereunt. Alii, ut quibusdam oblectamentis vacent, v. g., saltationibus et spectaculis, refectiones, requiem, somnia, vigilias, omnia denique invertunt; et propter vanas istiusmodi causas gravius sibi nocent quam solitarii, quorum severitatem arguunt.

Qui autem vere est philosophus christianus ab his aliisque similibus diligenter abstinet, nihilque sibi permittit, nisi quod recta ratio fidei subjecta sub omni respectu approbat.

CAPUT TERTIUM.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS HOMINES.

Tria nobis occurrunt in hoc capite examinanda, nempe 1° an homo natus sit ad societatem; 2° quænam sint ejus officia erga alios homines generatim spectatos; 3° quænam sint ipsius officia erga homines in variis societatis speciebus consideratos. Itaque tres hujus capitis erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS.

AN HOMO NATUS SIT AD SOCIETATEM.

Hobbes, in opere suo *de Cive*, fatetur homines alio aliis indigere, maxime pueros, senes et ægrotos; con tendit tamen eos ex natura sua ad societatem non ess destinatos, sed essentialiter esse malos et perpetuam ha bere voluntatem lædendi, aliosque vi aut fraude supplan tandi, ita ut conditio illorum sit status belli omniu contra omnes.

Rousseau, Discours sur l'origine et les fondements d l'inégalité parmi les hommes, libenter agnoscit statu naturæ puræ nunquam exstitisse, quia homines de fac semper fuerunt in societate, Deo ita volente et dispo nente : at, ex hypothesi quod ille status exstitisse requirit quid fuissent homines et unde conditionum in æqualitas oriri potuisset. Deinde, hypothesim suam obl viscens, eodem modo ratiocinatur ac si status natu puræ olim exstitisset. Asserit hominem natura esse re tum, simplicem, bonum, germina omnium virtutum corde suo habere, ipsius vero depravationem soli societ tribuendam esse. Unde juxta singularem hunc auctore si homo in silvis, speluncis et cavernis vitam omni agrestem duceret, more belluarum, ipsius conditio lon melior esset.

PROPOSITIO.

Homo natus est ad societatem cum aliis hominibus ineundam.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Gen., II, 18 : *Dixit quo Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solu faciamus ei adjutorium simile sibi.* Eccle., IV, 9 : *Mel est duos esse simul quam unum; habent enim emolum tum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulciet Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem.* Unde semper de facto et ubique homo vixit in societ et ad societatem ab origine destinatus est. Ergo 1°,

Prob. 2° *ratione.* Homo natus est ad societatem cum aliis hominibus ineundam, si ipsius necessitates, facultates et propensiones id expostulent : atqui necessitates, facultates et propensiones hominis expostulant evidenter ut societatem cum aliis hominibus ineat.

1° *Ipsius necessitates.* Sive enim spectetur homo in pueritia, sive in adolescentia, sive in ætate virili, sive in senio, consortio aliorum hominum semper indiget. 1° In pueritia. Etenim infans recens natus, debilis, nudus, omnibus indigens, omnium incapax, frigori, æstui et belluis expositus, nonne fame vel siti, aeris intemperie vel morsu ferarum statim periret? 2° In adolescentia, nisi ab aliis hominibus erudiatur, nobiles facultates suas ignorabit, in crassa et insuperabili ignorantia constanter versabitur, erit animal brutum, feris sylvarum simile : nemo autem non videt quam hæc conditio homine sit indigna. 3° In ætate virili fiet procreatio prolis. Sed proles suscepta enutrienda, fovenda, protegenda et educanda est : porro hæc fieri nequeunt, si vir et mulier casu fortuito, dein mox secessuri, more pecudum, sibi coadunentur; quod jam modo advertimus de homine in pueritia spectato. Insuper, etiam in ætate virili consideratus, varias experiri potest et sæpe experitur infirmitates diversosque morbos, quibus sublevandis aliis indiget. Laboribus omnino necessariis sive pro se, sive pro cæteris qui a se pendent, si sibi derelinquatur, impar est. Quod magis adhuc verum est de mulieribus, propter sexus imbecillitatem. 4° In senio quid fieret homo solus in medio silvarum jacens? Quis illum enutriret, vestiret, confoveret, infirmum curaret, cadentem sublevaret, etc.? Ergo 1°, etc.

2° *Idem postulant facultates ejus.* Præclaris enim facultatibus donatus est homo quibus præcipue a brutis discrepat, v. g., habet ideas, eas comparat, in eas reflectit, ratiocinando conclusiones ex præmissis deducit, suas cogitationes vultu, gestu, vocibus, scriptura, aliisque signis arbitrariis exterius manifestat, scientias acquirit, artes ediscit, suas cognitiones suamque peritiam quotidie auget, et novas perfectiones in diverso genere sibi com-

parare potest. At præstantissimæ illæ facultates prorsus inutiles forent, si homo, sicut feræ, vitam solitariam et omnino agrestem duceret in silvis, montibus et speluncis. Ergo 2°, etc.

3° *Naturales hominis propensiones* similiter ostendunt illum ad societatem cum aliis hominibus ineundam fuisse destinatum. Quod enim perpetua et universali experientia constat, ab ipsa natura seu ab ipso Deo provenire merito judicatur: atqui perpetua et universali experientia constat homines ad societatem valde esse propensos. Etenim nullus est communiter qui omne consortium cum aliis hominibus fugiat; pauci admodum visi sunt qui vitam omnino segregem ducere voluerint, et illam non ex odio societatis, sed ex alio digniori motivo eligebant. Omnes colloquiis amicorum gaudent, suos dolores eis aperiendo solatio leniuntur, vividas sensationes suas eis læti communicant, bonam famam obtinere cupiunt, aliorum miseriis commoventur, patientibus vel periclitantibus auxilium naturæ impulsu præbent, etc. Ergo 3°, etc. Ergo, etc.

Præterea, cum exemplis multo efficacius persuaderi soleant homines quam verbis, civis Genevensis debuisset vestimenta abjicere, ab omni humano consortio fugere, per campos, silvas et montes currere, herbas depascere, de aquis sibi occurrentibus bibere, humi jacens pernoctare. Quicumque hanc doctrinam defendere volunt, eumdem vivendi morem statim amplecti debent, ut ad primam integramque naturam quamprimum redeant.

Si autem adeo corrupti sint homines ut ad primævam conditionem amplius reduci nequeant, inutilis est hæc doctrina. Magis adhuc vana est si de mera hypothesi speculativa intelligi debeat, ut affirmat *Rousseau :* verus namque philosophus non disserit de homine prout creari potuisset, sed prout reipsa creatus est et nunc existit. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Societas juri naturali adversatur : ergo falsum est hominem ad illam creatum fuisse.

R. Nego ant. Ibi enim de consortio hominis cum aliis hominibus in genere tractamus : atqui demonstravimus hanc destinationem hominis non solum juri naturali non adversari, sed illi valde congruam esse. Ergo, etc.

Inst. 1°. Nulla existere potest societas quin inde oriatur conditionum inæqualitas : at conditionum inæqualitas juri naturali adversatur : ergo, etc.

R. Nego min. Quod enim a natura oritur, juri naturali non adversatur : at conditionum inæqualitas a natura oritur. Alii quippe natura sunt juniores et alii ætate provectiores, alii fortes et alii debiles, alii sani et alii infirmi, alii genio conspicui et alii hebetes, alii parentes et alii filii. Porro hæc omnia æqualitati adversantur. Ergo, etc.

Inst. 2°. Omnes jure naturali sunt æquales : ergo conditionum inæqualitas juri naturali adversatur.

R. Dist. ant. Omnes jure naturali sunt æquales, eo sensu quod omnes eamdem habeant naturam, eamdem originem, eamdemque destinationem, *conc.;* eo sensu quod nullus ab altero pendere debeat, *nego ant.* Etenim omnes homines eamdem habent naturam, scilicet, corpus organis instructum et animam rationalem ei intime conjunctam ; omnes eamdem habent originem, videlicet a primo parente descendunt, et Deum tanquam principalem sui auctorem agnoscere debent ; eamdem pariter habent destinationem, nempe felicitatem alterius vitæ : sub his respectibus merito dicitur illos jure naturali esse æquales. Sed inde concludi non potest juri naturali repugnare unum esse superiorem et alterum inferiorem ; repugnaret, e contra, omnes in perfecta æqualitate eo sensu versari. Ergo, etc.

Inst. 3°. Ex conditionum inæqualitate contingit alios esse tyrannos et alios servos, alios summe et aliquando injuste divites, alios vero valde pauperes et quasi fame pereuntes : hæc autem juri naturali evidenter adversantur : ergo conditionum inæqualitas juri naturali adversatur.

R. Dist. maj. Ex conditionum inæqualitate contingit, etc., per abusum, *conc.;* ex ipsa conditionum inæqualitate et natura societatis, *neg. maj.* Fatemur equidem ex con-

ditionum inæqualitate contingere alios esse tyrannos et alios servos, etc. Verum infausta hæc consectaria ex primæva conditionum inæqualitate non oriuntur, nisi per abusum; nam excogitari possunt societates in quibus tales abusus locum non habent, et plures hujusmodi sunt societates: si ergo quidam homines potestate sua abutantur ut alios tyrannice opprimant, solertia vel astutia sua ut ingentes divitias acquirant, dum multi alii nimia paupertate languescunt ac pereunt, id malitiæ eorum tribuendum est, non vero ipsimet societati.

Aliunde, hæc incommoda frequentiora et graviora exstitissent in statu naturæ puræ; tunc enim fortiores debiliores oppressissent, eos supplantassent, fructus collegissent, aliaque cibaria sibi acervassent, et sic in abundantia fuissent, dum alii fame periissent. Nulla fuisset securitas, neque libertas, neque mutua charitas, sed continua trepidatio et jugis pugna. Ergo conditionum inæqualitas nobis objecta multo minus juri naturali recte intellecto adversatur, quam horrendus ille status omnino agrestis.

Obj. 2°. Homo natus est ad felicitatem: atqui societas felicitati ejus adversatur: ergo, etc.

R. Nego min. Nam 1° multo minus beatus fuisset homo vitam solitariam in silvis ducendo, quam in societate commorando, ut constat ex huc usque dictis. 2° Diversis legibus sapienter institutis ad bonum commune societas nos dirigit: in statu vero naturæ bonum commune non intenderemus, sed proprium commodum cum aliorum detrimento jugiter quæreremus. 3° Si veteres perlegamus historias, nullum reperiemus populum qui vitam socialem omnino deseruerit. Ergo omnes persuasum semper habuerunt societatem felicitati hominis essentialiter non adversari. Ergo, etc.

Inst. 1°. Illud felicitati hominis adversatur quod originem, cupiditatibus præbuit: atqui societas originem, etc. Ergo, etc.

R. Nego min. Eadem enim non est ubique forma societatis, et tamen semper et ubique eædem fuerunt cupiditates, eadem proclivitas ad malum, ad superbiam, ad iram,

ad gulam, ad luxuriam, ad ignaviam, etc. Ergo in pectore humano sedem habent cupiditates. Multa quidem sunt vitia in societate. v. g., in magnis urbibus, quæ in vita silvatica non existerent; sed alia essent vitia in silvis quæ non sunt in urbibus, ut crudelitas, universalis corruptio, etc. Permultæ sunt etiam virtutes quæ in conditione barbara existere non possent. Illæ ergo virtutes ex ipsa societate oriuntur, dum vitia ex sola malitia humana beneficio societatis abutente procedunt. Ergo iterum dici non potest societatem per seipsam felicitati hominis adversari.

Inst. 2° *alio sensu.* Ex societate infiniti numero scaturiunt morbi, innumeræ infirmitates : ergo, sub hoc respectu, societas felicitati hominum noxia est.

R. 1°. *Dist. ant.* Ili morbi hæque infirmitates ex abusu societatis scaturiunt, *conc.;* ex ipsamet societate, *nego ant.* Equidem non inficiamur plurimos existere morbos in societate qui forte non existerent in vita agresti, quamvis ille status, omnibus sedulo perpensis, valetudini corporis non ita favere videatur. Sed negamus illas corporis infirmitates ipsi societati tribuendas esse; si enim prudentes essent homines, temperantes, continentes, a cunctis vitiis lege naturali prohibitis abstinentes, plerasque hujusmodi infirmitates ignorarent et aliarum remedia melius noscerent. Non ergo societati, sed imprudentiæ hominum eorumque libidinibus hæc mala tribui debent.

R. Nego conseq. Etiamsi enim concederetur majori robore corporis fruitos fuisse homines in silvis quam in societate, non inde sequeretur societatem felicitati eorum vere noxiam esse. Sola quippe valetudo corporis non facit hominem beatum, sed præcipue recta facultatum ejus exercitatio: atqui, fatente ipso cive Genevensi, facultates mentis minime exercerentur et nullæ forent in vita agresti; nulla haberetur distinctio inter verum et falsum, bonum et malum; nullus cultus Deo exhiberetur. Homines essent rationales, et tamen ratione non uterentur, sua tantum imbecillitate suisque miseriis a brutis animantibus discreparent; bruta enim, divina Providentia ordinante, ad vitam agrestem destinata, plumis, pilis, pelle crassa,

contra intemperiem aeris mirabiliter muniuntur; dentibus, unguibus vel cornibus adversus hostes suos fortiter armantur; proles eorum intra breve tempus sufficienter sibi providere potest. Quantum ergo daretur discrimen inter belluas et hominem more earum viventem! Adeo manifestum est illum ad societatem esse destinatum, ut absurditates, quæ contra hanc veritatem proferri solent, amplius confutare nos pudeat.

SCHOLIUM.

Homo itaque non essentialiter est malus, ut placuit *Hobbes;* nec essentialiter bonus, ut voluit *Rousseau;* sed perversas et optimas simul habet inclinationes. Ordinarie bonus vel malus erit juxta primam educationem quam susceperit, et prout cupiditates refrenare studuerit, vel eis indulgere consueverit.

Rationem hujus contradictionis clare subministrat revelatio, aperte docens hominem in rectitudine creatum, per lapsum primi parentis a primæva justitia excidisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS HOMINES GENERATIM SUMPTOS.

Cuncta officia hominis erga alios homines generatim spectatos his duobus principiis ratione evidenter fundatis et ab omnibus generaliter admissis, nituntur : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Matth., VII, 12 : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Hinc officia nostra erga alios homines, sic generatim consideratos, duplicis sunt generis, alia positiva et alia negativa. In prioribus aliquid præcipitur faciendum, in posterioribus aliquid prohibetur ne fiat.

§ I. — De positivis officiis nostris erga alios homines generatim spectatos.

Præcipua hæc officia sunt dilectio, beneficentia, gratitudo et fidelitas.

1° *Dilectio.* Cum enim omnes homines a Deo veniant,

ab eodem patre communi descendant et natura nobis sint consimiles, eos tanquam proximos et fratres debemus diligere, honorare et prævenire, juxta singulorum ætatem, meritum ac dignitatem : multam benevolentiam omnibus exhibere tenemur, quia, natura duce, hæc ab aliis nobis præstari desideramus. Si quem igitur verbis, signis vel actis offenderimus, hanc injuriam quamprimum reparare oportet, veniam petendo vel convenientem satisfactionem exhibendo. Si quis vero nos offenderit, facile condonemus, sicque etiam inimicos diligamus.

2° *Beneficentia*. Unusquisque commodum et utilitatem aliorum procurare debet, quantum moraliter potest ; naturaliter quippe desiderat, ut alii ita se gerant erga se. Ergo, etc.

Cuncta beneficentiæ munia sub denominatione generali vocantur *officia humanitatis*, quia respiciunt homines ut tales, et sola eorum natura fundantur. Naturalem hanc obligationem agnoverunt ipsi gentiles ; sic enim se habet Tullius (de Officiis, l. 1, n. 52) : « Una enim ex re satis « præcipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commo- « dari, id tribuatur cuique vel ignoto. »

Hinc periclitantibus et necessitatem patientibus succurrendum est, sive in iis quæ ad animam, sive in iis quæ ad corpus spectant. In iis quæ ad animam pertinent, ignorantes erudire, errantes reducere, peccantes corrigere, dubitantibus consilium dare, mœstos consolari, defectus sufferre tenemur, quantum charitas suadet et prudentia permittit. In iis vero quæ spectant ad corpus, hæc in primis, pro circumstantiis, præstare oportet, scilicet, infirmos visitare, esurientes nutrire, sitientibus potum dare, captivos redimere, nudos vestire, derelictos hospitio colligere, mortuos sepelire, etc.

Si autem cunctis necessitatem habentibus subvenire nequeamus, aliquis instituendus est ordo in beneficiis conferendis. Cæteris paribus, anteferre debemus, 1° parentes et proximos consanguineos nostros ; 2° amicos et vicinos ; 3° quamvis homines cujusque religionis generali dilectione prosequi et sincera misericordia sublevare debea-

mus, eis tamen præferendi sunt qui eamdem religionem nobiscum profitentur.

Diximus *cæteris paribus* : nam qui graviori necessitate premitur, omnibus, etiam proximis consanguineis, anteferendus est : « Vera in hoc est charitas, ut qui indigent « amplius accipiant prius. » S. Bernardus, t. I, col. 1440, edit. an. 1690.

Non idcirco tenentur divites cunctas possessiones suas pauperibus erogare, saltem communiter, et, seclusa necessitate extrema, naturalis ordo id non postulat. Ita sentiunt omnes.

Quantitas igitur distribuenda, ex variis circumstantiis æstimanda est, nempe ex conditione tribuentis, et ex necessitate accipientis. Triplicis generis esse possunt bona possidentis, videlicet, alia stricte necessaria, alia statui congruentia et alia superflua. Similiter triplex distinguitur necessitas, scilicet, communis, gravis et extrema. Ex bonis etiam necessariis succurrendus est egenus in necessitate extrema constitutus; in necessitate communi sufficit dare ex superfluis; in necessitate gravi tribuendum est etiam ex bonis statui congruis.

Maxime cavendum est ne beneficia, sive magna, sive parva, cum asperitate aut indifferentia tribuantur, sed semper cum benignitate, hilaritate et urbanitate.

3° *Gratitudo*. In eo consistit gratitudo ut signis exterioribus manifestemus nos beneficium acceptum juxta pretium ejus æstimare, et gratias pro eo retribuere studeamus.

Nullum est dubium quin gratum animum benefactoribus exhibere teneamur : si enim cunctos homines diligere, eisque benefacere debemus, quanto magis diligendi sunt qui specialia dilectionis signa nobis ostenderunt! Ipsæ bestiæ, ratione destitutæ, aliquos gratitudinis sensus benefactoribus suis exhibent; a fortiori ergo beneficiorum nobis præstitorum memores ut simus necesse est. Unde cor ingratum omnes contemnunt et detestantur.

4° *Fidelitas*. Homines diu in societate existere nequeunt quin multas conventiones secum ineant ad jura et onera singulorum recte determinanda : atqui vanæ et illusoriæ

forent conventiones, si stricta non existeret obligatio fideliter eis standi. Aliunde, valde odibilis semper habita est infidelitas in pactionibus. Ergo, etc.

§ II. — De officiis nostris negativis erga alios homines generatim spectatos.

Duo præsertim nobis prohibentur relative ad alios homines generatim spectatos, videlicet, homicidium et furtum : hinc duplex sectio.

SECTIO PRIMA.

De homicidio.

Homicidium est injusta alterius hominis occisio. Certum est talem hominis occisionem lege naturali prohibitam esse, et velut grande crimen semper habitam fuisse. Quidquid vitam hominis lædit, similiter lege naturali prohibetur, v. g., mutilatio, vulneratio, percussio, incarceratio, minatio, ira, rixæ, disputatio, necessariorum victui aut vestitui substractio, etc.

Duo præcipue discutienda hic nobis occurrunt, nempe 1° an injustum vitæ aggressorem occidere liceat; quædam in consectariis dicemus de invasore bonorum fortunæ et de invasore pudicitiæ; 2° an singularia certamina sint licita.

PUNCTUM PRIMUM.— An injustum vitæ aggressorem occidere liceat.

Plurimi Ecclesiæ Patres et theologi christiani fortiter contenderunt quod injustum vitæ aggressorem nunquam occidere liceret. Nunc communiter theologi et omnes sanioris doctrinæ philosophi contrariam sententiam unanimiter tuentur, et affirmant unumquemque propriam vitam cum dispendio vitæ injusti aggressoris, tuta conscientia, defendere posse; quibuscum sit

PROPOSITIO.

Qui aliter propriam vitam defendere nequit, injustum aggressorem occidere potest.

Probatur, in Tractatu *de Decalogo*, Scriptura sacra, jure canonico et testimoniis Patrum, quæ ideo hic tantum indicamus.

Sic insuper probatur *ratione*. 1° Cunctis animantibus insita est propensio naturalis qua propriæ conservationi jugiter invigilant et vim quamlibet vi opposita repellunt: ergo, si vitam nostram aliter tueri nequeamus, injustum aggressorem, naturæ impulsu, occidere possumus.

2° Charitas bene ordinata incipit a semetipso : sic apprehendunt omnes : ergo, cæteris paribus, vitam alterius propriæ vitæ anteferre non tenemur : atqui vitam alterius vitæ nostræ anteferre teneremur, cæteris non solum paribus sed longe inæqualibus, si injustum aggressorem occidere non liceret. Supponitur enim, ex una parte, illum esse injustum, et ex altera parte, aliam nobis non suppetere viam ad eum repellendum. Ergo, etc.

3° Sensus omnium hominum certissima est veritatis regula : atqui omnes persuasum habent licitum esse injustum aggressorem occidere, quando moraliter impossibile est propriam vitam aliter defendere. Unde quamvis homicidium ultimo supplicio ubique plectatur, mors ex legitima sui defensione illata nunquam habita est ut crimen. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Mortem injusti aggressoris sibi proponere non licet, quia esset actus iræ, odii, vindictæ, etc.; at qui caput injusti aggressoris amputat, pectus transfodit, etc., mortem illius, quidquid dicat, evidenter sibi proponit, siquidem tales actiones ex natura sua sunt mortales. Ergo, etc.

R. Dist. min. Qui caput, etc., mortem ejus sibi proponit tanquam medium ad conservandam propriam vitam omnino necessarium, *conc.*; tanquam malum aggressoris, *nego min.* Itaque negari non potest eum qui alterius caput amputat vel pectus transfodit, mortem ejus revera aliquo sensu sibi proponere, cum hujusmodi actiones mortem inducere soleant : at certum est illum sui defensionem primario sibi proponere posse, et contendimus quod hunc finem tantum intendere debeat. Unde, si mortem sibi paratam alia via fugere posset, v. g., currendo, se abscondendo, clamando, aggressorem verberando, muti-

lando, etc., eum occidere non deberet. Mors igitur aggressoris soli imprudentiæ, injustitiæ vel obstinationi ejus tribuenda est, non vero ei qui, juste se defendere volens, ponit actionem ex se bonam, duos effectus habituram, unum bonum quem solum intendit, scilicet conservationem vitæ suæ, et alterum malum quem tantummodo permittit, videlicet, mortem aggressoris evidenter injusti. Ergo, etc.

Obj. 2°. Cunctos homines, etiam inimicos nostros diligere, eisque benefacere debemus : ergo injustum aggressorem occidere non licet.

R. nego conseq. Cunctos homines diligere quidem debemus sicut nosmetipsos, non vero plus quam nosmetipsos : at si injustum aggressorem occidere nobis non liceret, etiam cum alia non existit via qua mortem ab illo intentam declinare valeamus, tunc illum plus quam nosmetipsos diligere teneremur, siquidem vita nostra pro conservanda vita ejus fundenda esset. Ergo, etc.

Inst. Ordo charitatis exigit ut vitam temporalem pro alterius vita æterna profundere non dubitemus : atqui de vita æterna injusti aggressoris hic agitur. Ergo, etc.

R. Dist. ant. Ordo charitatis exigit ut, etc., si proximus in extrema necessitate constituatur, *conc.;* secus, *nego ant.* Proximus autem in extrema necessitate versatur quando necessario periturus est nisi efficaciter ei succurratur. Certum est nos teneri vitam temporalem pro vita æterna alterius in extrema necessitate constituti profundere, uti apud theologos docetur, et fusius pro variis circumstantiis explicatur : verum injustus aggressor in extrema necessitate non est positus; libere enim periculo sese objicit. Aliunde, invasus ei non succurreret efficaciter, vitam suam tradendo, ut patet, cum peccatum non impediret. Ergo, etc.

Cum autem ratio fundamentalis cur injustum aggressorem occidere liceat sit legitima sui ipsius defensio, plurima hinc consectaria sequuntur; nempe.

1° Si timeamus ne aliquis mortem nobis parare velit, non ideo eum occidere licet; nam hic et nunc non est vere aggressor. Non exspectandum est tamen donec catapul-

tam, v. g., exploserit, gladio percusserit, etc , quia sæpe defensio tunc possibilis non esset. Ubi vero externam actionem incipit, et mortem intendere evidenter manifestat, tunc legitima et prudens est sui defensio.

2° Quoniam mala nunquam facienda sunt ut eveniant bona, non licet occidere innocentem quo se protegit injustus aggressor, ut facilius hic postea occidatur; sed adversus injustum aggressorem se defendere liceret cum evidenti periculo occidendi innocentem : ita saltem multi doctores; nam in eo casu, ex eadem actione bona, duo immediate sequuntur effectus, scilicet, invasi conservatio quæ directe intenditur, et innocentis occisio quæ tantum permittitur.

3° Licet, e contra, quemlibet injustum aggressorem occidere, sive sit laicus, sive clericus, sive inferior, sive superior, sive affinis, sive propinquus, sive etiam pater aut mater, sive culpabiliter, sive inculpabiliter agat, qualis est ebrius et furiosus, sive invasus occasionem dederit, eum, v. g., calumniando, contumeliis afficiendo, sive nullam occasionem præbuerit : eadem enim semper est ratio, nempe legitima sui ipsius defensio.

4° Aliquem mutilare nos volentem communiter occidere licet; periculum est enim ne, ultra progrediens, nos occidat vel ex vulnere mors sequatur.

5° Furem occidere non licet, si agatur de bonis parvi momenti; neque si bona etiam magni momenti aliter servari possint; si vero servari nequeunt nisi per mortem invasoris, scinduntur doctores. Eorum sententias in theologia expositas hic, brevitatis causa, omittimus.

6° An liceat occidere invasorem pudicitiæ, bonis fortunæ pretiosioris, iterum dissentiunt auctores. Ad theologiam remittimus.

7° Honoris aggressorem per injuriam, detractionem, etc. occidere non licet. Aliæ enim suppetunt viæ honorem reparandi, et aliunde fama est ordinis inferioris vita.

8° Proximum sicut nosmetipsos diligere debemus : ergo injustum vitæ alterius invasorem occidere licet, nisi forte ille invasor esset pater, mater, conjux vel filius, quia plus

diligere tenemur parentes et proximos consanguineos aut conjunctos quam extraneos.

PUNCTUM SECUNDUM. — An singularia certamina sint licita.

Singulare certamen illud dicitur quo duo pugiles, post expressam de loco, hora et armis conventionem, libere secum cum periculo vitæ decertant, unde vulgo *duellum* vocatur. Græci, Romani aliique veteres vix cognoscebant singulare certamen privata auctoritate susceptum. Mos ille crudelis vindictam sumendi per duellum, a barbaris populis Septentrionis, circa sextum sæculum, fuit introductus. Primum habitus est tanquam via legitima qua infallibiliter detegerentur rei, et idcirco vocabatur *judicium Dei;* deinde invaluit apud nobiliores viros, præsertim a tempore Francisci I in Gallia, ut medium justum et efficax vindictam injuriæ acceptæ sumendi, vel convenientem honoris læsi reparationem obtinendi. Intra multos annos plures occubuerunt nobiles in cruentis hujusmodi certaminibus quam in præliis pro tuenda patria susceptis. Sub Henrico IV, per decem et octo annos, quatuor millia sic occisorum numerata sunt.

Quamvis iste furor parumper deferbuerit, non raro tamen singularia adhuc exercentur certamina. Abs re igitur non erit barbaram hanc decertandi consuetudinem paucis verbis confutare.

PROPOSITIO.

Prorsus illicita sunt singularia certamina privata auctoritate suscepta.

Prob. 1° Seipsum occidere non licet, nec propria auctoritate vitam alteri eripere, nec periculo alterutrum aut utrumque faciendi ultro se exponere, ut probavimus : at, etiamsi ambo decertantes convenirent, ut nonnunquam accidit, quod prælium per primam sanguinis effusionem terminaretur, nihilominus manifeste sese exponerent periculo tum moriendi, tum alterum occidendi, et sic contra verba Scripturæ, *Non occides*, agendi. Ergo, etc.

2° In societate bene ordinata magistratus constituuntur

ad componendas lites et punienda delicta vel crimina; nullus autem debet esse judex in propria causa. Porro qui decertant in duello fiunt judices in propria causa, et sic jus ipsum societatis lædunt.

3° Quod ubique cum horrore reprobatur a sapientibus, certe haberi debet ut malum et prorsus illicitum : atqui singularia certamina a cunctis viris sapientibus cum horrore reprobantur. Ea legibus suis prohibet et pœnis gravissimis plectit Ecclesia, cujus auctoritas, facta etiam abstractione a divina illius institutione, gravissimi est momenti pro omnibus. Si nulla lex civilis satis explicita nunc existere videatur in Gallia, omnes viri sanæ mentis, cujusque sint opinionis politicæ, totis vocibus eam expostulant, duella reprobant, et ne unus quidem ea licita esse contendere suscipit. Ergo, etc.

4° Pæcipua ratio cur singulare certamen proponere, vel saltem propositum acceptare liceret, maxime esset necessitas obtinendi reparationem honoris læsi vel infamiam vitandi. Atqui hæc ratio vana est : 1° quia omnes viri majori probitate conspicui singularia certamina reprobant ut illicita, proindeque nullus est verus honos in illis exercendis; 2° quia læsus non ideo est victor in certamine, sed frequenter ipse cadit; 3° quia mera jactantia, potius quam verus honor, ad istiusmodi certamina impellit. Experientia enim constat singularium certaminum amatores ordinarie nullis virtutibus esse commendatos, sed multis vitiis inquinatos et odiosos. Vide card. *Gerdil, des Combats singuliers, œuvres*, t. VIII.

Ostendunt insuper doctores christiani Deum hujusmodi vindictam omnino prohibere et Ecclesiam totis viribus reprobare. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Injustum vitæ aggressorem occidere licet; ergo et injustum honoris aggressorem.

R. Nego conseq. et paritatem. Fieri enim potest ut vita efficaciter defendi nequeat nisi occidendo aggressorem : porro in eo casu tantum affirmamus illum occidere licitum

esse. Contra vero nunquam mors aggressoris necessaria est ad conservandum honorem; honor enim præcipue situs est in cultu virtutis et in bona fama apud viros probos : atqui singularia certamina nunquam necessaria sunt ad obtinendam aut conservandam bonam famam apud viros probos, sicut notavimus. Aliunde, vita est bonum ordinis superioris honore. Ergo, etc.

Inst. 1°. Talis est falsæ opinionis auctoritas, præsertim apud milites, ut qui duellum sibi propositum recusaverit, jam ignominia sit perfusus : atqui tolerabilius est militi statim mori quam sic dehonoratus vivere. Ergo, etc.

R. Dist. maj. Talis est.... ut.... ignominia sit perfusus apud quoddam vulgus militare, *conc.;* apud probos et meliores milites, *subdistinguo :* si aliunde ignavus et meticulosus appareat, *conc.;* si cunctas optimi militis virtutes constanter ostendat, *nego maj.* Etenim miles qui ad duellum provocatus illud recusat, ostendat se disciplinæ tenacem, strenuum in prælio, audacem in periculo, et tunc certum est illum non habitum iri apud probos et meliores milites ut infamem et ignavum : porro fama apud hujusmodi viros multo præstantior est quam vana opinio apud vulgus insanum et tot vitiis inquinatum. Optimus igitur miles talem famam parum curabit. Neminem unquam injuria lædet, injurias sibi illatas contemnet, ad singulare certamen non provocabit, provocatus non accedet, inopinate lacessitus fortiter se defendet, et imprudentem adversarium occidet, ex hypothesi quod aliter se expedire nequeat, sicque magnanimum et impavidum simul se ostendet. Ergo, etc.

Inst. 2°. Milites, consuetis præjudiciis circa duellum existentibus imbuti, continuo probris ac maledictis eum, qui provocatus decertare noluerit, insequentur : ergo saltem qui immerito provocatur, duellum acceptare potest.

R. Nego ant. Dummodo enim qui singulare certamen acceptare recusat, cunctas habeat virtutes boni militis, ut modo diximus, probris et maledictis ordinarie non vexabitur, sed potius dilectionem et quamdam venerationem

cæterorum sibi comparabit, ut experientia multisque exemplis comprobari posset. Ergo, etc.

R. 2°. *Nego conseq.* Pluribus enim rationibus ostendimus duellum legi naturali repugnare; illud ergo recusare est actus virtutis; atqui non deserenda est virtus propter incommoda quibus obnoxia est. Ergo, etc. Hanc rationem refert, eamque consueta eloquentia sic exornat *J.-J. Rousseau*, *Nouvelle Héloïse*, 1re *partie*, *lettre* 57, t. I, p. 226.

« *Gardez-vous de confondre le nom sacré de l'honneur avec ce préjugé féroce qui met toutes les vertus à la pointe de l'épée et n'est propre qu'à faire de braves scélérats...*

« *Rentrez-donc en vous-même, et considérez s'il vous est permis d'attaquer de propos délibéré la vie d'un homme et d'exposer la vôtre pour satisfaire une barbare et dangereuse fantaisie qui n'a nul fondement raisonnable, et si le triste souvenir du sang versé dans une pareille occasion peut cesser de crier vengeance au fond du cœur de celui qui l'a fait couler. Connaissez-vous aucun crime égal à l'homicide volontaire? Et si la base de toutes les vertus est l'humanité, que penserons-nous de l'homme sanguinaire et dépravé qui l'ose attaquer dans la vie de son semblable? Souvenez-vous de ce que vous m'avez dit vous-même contre le service étranger : avez-vous oublié que le citoyen doit sa vie à la patrie, et n'a pas le droit d'en disposer sans le congé des lois, à plus forte raison contre leur défense? O mon ami! si vous aimez sincèrement la vertu, apprenez à la servir à sa mode, et non à la mode des hommes. Je veux qu'il en puisse résulter quelque inconvénient : ce mot de vertu n'est-il donc pour vous qu'un vain nom, et ne serez-vous vertueux que quand il n'en coûtera rien de l'être?*

« *Mais quels sont, au fond, ces inconvénients? Les murmures des gens oisifs, des méchants qui cherchent à s'amuser des malheurs d'autrui, et voudraient avoir toujours quelque histoire nouvelle à raconter. Voilà vraiment un grand motif pour s'entr'égorger! Si le philosophe et le sage se règlent dans les grandes affaires de la vie sur les discours insensés de la multitude, que sert tout cet appareil d'études, pour n'être au fond qu'un homme vulgaire?*

Vous n'osez donc sacrifier le ressentiment au devoir, à l'estime, à l'amitié, de peur qu'on ne vous accuse de craindre la mort? Pesez les choses, mon bon ami, et vous trouverez bien plus de lâcheté dans la crainte de ce reproche que dans celle de la mort même. Le fanfaron, le poltron veut à toute force passer pour brave. »

Si autem, ut patet ex dictis, singularia certamina sint in se prorsus illicita, ita ut certantes non nisi quadam bona fide et ignorantia aliquando excusari possent, graviter peccant qui consiliis, suasionibus, hortationibus, irrisionibus, aliisque viis ad singularia certamina excitant, eis velut testes assistunt, arma subministrant et ea non impediunt, cum efficaciter impedire possent; quod ad duces militum præcipue attinet.

SECTIO SECUNDA.

De furto.

Furtum est injusta rei alienæ ablatio : supponit igitur dari jus proprietatis quod violari possit. Itaque dicendum est 1° de proprietate, 2° de furto aliisque injustitiis.

PUNCTUM PRIMUM — De proprietate.

De origine proprietatis.

Ex authentica creationis historia constat Deum constituisse hominem super terram cum potestate eam occupandi, colendi et fructibus ejus vescendi. Similiter percipit atque demonstrat ratio varias productiones terræ *jumentis* et *servituti hominum* (Ps. CII, 14) accommodatissimas ex casu fortuito non oriri, bene vero a sapienti omnium Conditore. Inter res illas multæ bestiis evidenter sunt destinatæ, aliæ bestiis et hominibus sunt communes; ipsæ bestiæ homini subjiciuntur, eique vestimenta necessaria, utilissima servitia, variam et abundantem escam subministrant, juxta hæc Scripturæ verba, Gen., I, 28 : *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram ;* id., cap. IX, 3 : *Et omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum : quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

In prima rerum origine hæc universa erant indivisa, ad neminem pertinebant, sicque primi occupantis licite fiebant.

Quæ autem semel occupata fuerant, propria erant possessoris, qui eis uti, ea donare vel commutare, aut contra injustos invasores tanquam sua defendere poterat.

Ratio autem istiusmodi juris repetenda est a voluntate positiva Dei talem ordinem societati essentialem ab initio statuentis.

Primum fructus ultro nascentes, et quasdam utiliores bestias possidere cœperunt homines : deinde numerosiora habuerunt pecora, postea aliquas terræ portiones excolebant, easque similiter fecerunt suas. Quod autem sic occupatum non fuerat, ad neminem pertinebat. Multa diu remanserant , et plurima adhuc remanent communia, v. g., aer, aquæ maris vel fluminum, aves libere volantes, feræ in silvis, pisces in mari, etc. Item plagæ terrarum a nemine adhuc possessæ. Hæc enim licite primi fiunt occupantis, ut omnes consentiunt.

Duplicis generis distinguuntur bona, videlicet, mobilia et immobilia. Mobilia sic dicuntur, quia de loco in locum moveri possunt, ut fructus collecti, pecora, argentum, etc. Immobilia vero ita vocantur, quia moveri nequeunt, qualia sunt agri, domus, ligna nondum cæsa, etc.

Bona, sive mobilia, sive immobilia, a privato vel a pluribus, in communi, ut sunt bona xenodochiorum, seminariorum, civitatum, etc., possidentur.

In regionibus a multo tempore habitatis, qualis est Europa, omnia bona ad privatos vel ad *communitates* pertinent, et fere nulla remanent quæ a primo occupante legitime possideri queant.

Petitur utrum hæc bonorum divisio fuerit opportuna.

Negat *Rousseau*, et singularem assertionem suam totis viribus defendere conatur in oratione jam citata, *Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité, etc., seconde partie*, t. I^er^ *de l'édition de* 1793, p. 83.

« *Le premier qui, ayant enclos un terrain, s'avisa de dire : Ceci est à moi, et trouva des gens assez simples pour*

le croire, fut le vrai fondateur de la société civile. Que de crimes, de guerres, de meurtres, que de misères et d'horreurs n'aurait point épargnés au genre humain celui qui, arrachant les pieux ou comblant le fossé, eût crié à ses semblables : Gardez-vous d'écouter cet imposteur ; vous êtes perdus si vous oubliez que les fruits sont à tous et que la terre n'est à personne ! »

Sed omni fundamento destituitur furibunda hæc civis Genevensis declamatio. Non solum opportuna, sed necessaria fuit bonorum divisio. Si enim nulla exstitisset proprietas, qui fructus ad vescendum collegisset, vestimenta de pilis, pellibus, foliis aut corticibus sibi consuisset, bestias nutrivisset, domum aut casulam construxisset, etc. nullum jus in res hujusmodi acquisivisset, et fortior eas sine scrupulo auferre potuisset : hoc autem evidenter repugnat. Ergo, etc.

Similiter diu subsistere non potuit societas humana quin homines aliquas portiones terræ specialiter colerent atque possiderent : porro non minus repugnat has possessiones licite violari, quam fructus collectos, vestimenta consuta, etc., auferri. Sic habetur in toto Scripturæ sacræ decursu, et ita fert communis hominum populorumque consensus. Qui contrarium asserere non erubescit, remittendus esset in silvas ut suavitatem vitæ omnino agrestis percipere posset.

Familiæ fuerunt ab initio aliæ aliis numerosiores, vigilantiores, solertiores, in labore constantiores : idcirco majora et meliora habuerunt pecora, pulchriores ædificaverunt domos, ampliores circumcluserunt campos, accuratius eos coluerunt, copiosiores fructus collegerunt, abundantiores divitias possederunt, sicque potentiores evaserunt. Hinc orta est fortunarum et conditionum inæqualitas, quæ proinde juri naturali non adversatur, ut contendit *Rousseau*, sed ex ipsa voluntate et ordinatione Dei nascitur.

De variis modis proprietatem bonorum acquirendi.

Prima bonorum acquisitio per solam possessionem facta est, ut diximus.

Bona acquisita variis modis augeri possunt; v. g., pecora fetus edunt, arbores crescunt, agri diligentius coluntur et uberiores dant fructus, etc.; hæc bona, quæ dicuntur accessoria, ad dominum principalis substantiæ pertinent. Unde sequentia axiomata : *Res fructificat domino; Res perit domino.*

Bona legitime possessa duplici modo ad alios homines transmitti possunt, nempe vi actus proprietarii et vi legis.

1° Nullum est dubium quin *proprietarius* bona sua ad alios homines jure naturali transmittere valeat : de natura est enim proprietatis ut dominus re sua uti et abuti possit, pro nutu et arbitrio, absque cujusquam injuria. Ergo, solo jure naturali spectato, bona sua, ex integro vel ex parte, vendere, commutare, donare, relinquere vel abjicere poterit.

Actus vero quibus bona sua ad alios transferre intendit, duplicis sunt generis ; alii, scilicet, qui dicuntur causa mortis, et alii inter vivos.

Actus *causa mortis*, qui etiam vocantur testamenta, sunt illi quibus proprietarius de bonis suis pro tempore mortem suam subsequente disponit : itaque dominium earum retinet. Actus hujusmodi essentialiter sunt revocabiles et sola morte testatoris perficiuntur, ut patet.

Hinc plurimi contendunt vim hujus generis actuum non a voluntate testatoris, sed a jure civili deducendam esse : nam, inquiunt, testator dominium usque ad mortem retinet; post mortem vero illud transferre nequit. Ergo, etc. Sic, inter multos, *Puffendorf*, *Droit de la nature et des gens*, l. 4, c. 10.

Verum, cum aliis non paucis, probabilius nobis videtur facultatem de bonis per testamentum disponendi, non a lege civili, sed a jure naturali ortum habere. Si enim leges positivæ non existerent, numquid bona a possessore suo legata nihilominus primi occupantis legitime fieri possent ? Hoc certe rationi et communi hominum sensui contrarium esse videtur. Ergo, etc. Hanc sententiam expresse docent *Grotius*, I, 2, c. 6, § 14; *Barbeyrac*

in *Puffendorf*, l. 6, c. 10, *note* 2 *du* § 4; *Burlamaqui*, *Éléments du droit naturel*, c. 9, et alii.

Parvi refert an dispositiones ob causam mortis fuerint scriptæ vel non scriptæ, coram testibus aut sine testibus ordinatæ, dummodo voluntas testatoris clara sic ac libera, et aliunde nullæ leges positivæ tales contractus sub pœna nullitatis prohibeant.

Actus *inter vivos* sunt gratuiti vel onerosi : certum est proprietarium bona sua ad alium titulo gratuito vel oneroso inter vivos transferre posse. Attamen, si leges positivæ facultatem donandi intra quosdam limites coerceant, stricta existit obligatio hos limites non prætergrediendi, ut ex infra dicendis constabit. Sic pater qui, solo jure naturali spectato, nihil debet filiis præter victum et vestitum, usque dum sibimetipsis providere possint, tenetur jure positivo hæreditatem suam eis relinquere; aut saltem de bonis suis titulo gratuito ultra portionem a lege determinatam disponere non potest.

2° Duplex est titulus quo proprietas bonorum ab uno ad alium *vi legis* transferri potest; scilicet, successio et præscriptio.

1° *Successio*. Cum enim ordo societatis non permittat ut bona eorum qui *ab intestato*, id est absque testamento, decedunt, maneant vacantia aut ad primum occupantem pertineant, statutum est ubique ea ad descendentes, vel ad ascendentes, vel ad propiores cognatos transitura esse. Quo jure autem id fiat, disputant inter se doctores : alii enim dicunt bona parentum vi solius naturæ ad filios pertinere, quia filii sunt quædam extensio substantiæ parentum et eadem cum ipsis persona moralis. Opinio hæc sat probabilis videtur.

Alii vero affirmant voluntatem defunctorum esse solum titulum quo bona per hæreditatem transferuntur. Unde si voluntas eorum expresse fuerit manifestata, adest testamentum quod impleri debet. Si autem voluntatem suam ante mortem non manifestaverint, requirendum est quid probabiliter statuissent, si mortem prævidissent aut interrogati fuissent : legitime autem præsumitur illos vo-

luisse bona quæ relinquunt ad propiores cognatos transire. Ergo, etc.

Alii denique contendunt jus hæreditatis sola lege positiva esse fundatum, adeo ut, ea seclusa, bona decedentium *ab intestato* valide primi fierent occupantis. Ultima hæc sententia parum est probabilis. Tranquillitas enim familiarum, ordo societatis, æquitas naturalis, et quædam decentia postulant ut filii bona parentum obtineant, et parentes bona filiorum prædecedentium colligant; imo ut, defectu ascendentium et descendentium, fratres fratribus succedant, etc. Unde apud omnes populos hic modus succedendi servatur : atqui modus ille tam uniformis non esset, si a sola lege positiva derivaretur. Ergo, etc. Ita *Grotius*, I, 2, c. 7; *Barbeyrac* in *Puffendorf*; *Burlamaqui*, c. 9, etc., uti supra jam dixeramus.

2° *Præscriptio* est modus lege positiva institutus quo proprietas rei alienæ diu bona fide possessæ acquiritur, ita ut, post aliquod temporis intervallum proprietarius jus suum in eam omnino amittat. Bonum societatis exigit ut proprietates familiarum sint securæ : porro sæpius non essent securæ, nisi introducta fuisset præscriptio, de qua speciatim tractandi hic non est locus.

PUNCTUM SECUNDUM. — De furto aliisque injustitiis.

Furtum est occulta rei alienæ ablatio, domino rationabiliter invito, cum animo eam retinendi. Si autem hæc ablatio præsente ac renitente domino fieret, diceretur rapina, a verbo *rapere*.

Ex jure proprietatis evidenter sequitur, 1° furtum, rapinam, aliasque injustitias, v. g., violationem contractuum legitime initorum, etc., gravissima esse peccata contra legem naturalem; 2° strictissimam existere obligationem cunctas hujusmodi injustitias reparandi; nam respectu proximi idem est bonum ejus auferre aut ablatum retinere, damnum inferre aut illatum non reparare. In eum statum ergo restituendus est proximus in quo nunc esset, si jus ejus violatum non fuisset.

Hinc 1° possessor bonæ fidei rem alienam quam detinet et id omne quo factus est ditior, restituere debet.

2° Possessor malæ fidei, ut fur et raptor, rem ipsam, fructus ejus et id omne quod dominus percepisset, restituere debet, et insuper totum damnum inde secutum reparare tenetur.

3° Qui contractus legitime initos et quælibet pacta sine ratione sufficienti frangit, omne damnum inde proveniens reparare debet.

4° Cum autem fama sit in suo genere bonum ab omnibus valde et merito existimatum, non magis licet illam lædere quam ipsas divitias. Unde qui famam alterius injuste læsit, sive crimen occultum vel defectum infamantem revelando, sive calumniam excogitando, hanc infamiæ notam apud omnes ad quos pervenit, quantum potest, reparare tenetur, etiam cum detrimento propriæ famæ.

5° Item qui alterum injuste contumeliis affecit, eum honorare et veniam ab ipso petere debet, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS HOMINES IN VARIIS SPECIEBUS SOCIETATIS CONSIDERATOS.

Societas generatim spectata dividitur in societatem domesticam et in societatem politicam. De utraque in duplici paragrapho compendiose disseremus.

§ I. — De societate domestica.

Vox *domestica* a substantivo *domus* oritur : itaque societas domestica ea dicitur quæ in eadem domo moraliter habitare censetur; et triplex distinguitur, scilicet, conjugalis, paterna et herilis.

Præter ea quæ, variis temporibus, de societate domestica minus recte dicta sunt, novæ recenter ortæ sunt, circa idem punctum, falsæ doctrinæ, quæ etiam nunc apud plures grassantur. Hujusmodi sunt errores sparsi a comite *de Saint-Simon*, Carolo *Fourier*, Roberto *Owen* et eorum discipulis, qui *socialistæ* nuncupantur, eoque

gloriantur nomine, quia persuasum habent aut saltem dicunt se renovaturos esse societatem.

Contendunt societatem domesticam, libere institutam, pro suo tempore optimam fuisse, sed deinceps existere non posse. Illam societati communi nocere affirmant, quia affectiones coercet, amorem patriæ imminuit, inæqualitatem inter cives, maxime inter conjuges, constituit : ubique enim, aiunt, mulier, licet natura viro æqualis, illi subjicitur.

Ad tollenda omnia indissolubilitatis matrimonii incommoda, societatem conjugalem subvertunt, mulieres promiscue habendas esse, infantes a societate educandos eosque nullum habere jus ad bona paterna docent : non sunt enim bona nisi pro societate, quæ ea, prout æquum ipsi videtur, distribuit. Sic omnia jura et officia evanescunt, ut perfecta statuatur æqualitas ab ipsis somniata.

Universi hi errores et alii qui ad eos accedunt, ac præsertim hodie ubique prædicantur, per ea quæ in sequentibus sectionibus dicturi sumus profligabuntur.

SECTIO PRIMA.

De societate conjugali.

Societas conjugalis est viri et mulieris conjunctio inita ad prolem habendam, nutriendam et educandam, et ad mutua auxilia sibi invicem præstanda.

Certum est Deum voluisse homines, sicut bruta animantia, per carnalem conjunctionem propagari : propterea duos formavit sexus quos naturali propensione ad se invicem ferri statuit, ut onera in habenda et educanda prole ferenda facilius sustinerentur. At, cum ratione prædíti sint homines, naturæ impulsum cæco impetu sequi non debent, *sicut equus et mulus quibus non est intellectus*, Ps. XXXI, 9; naturali lumine perfusi, ab illius face divellere nunquam ipsis licitum est. Porro lumen naturale evidenter docet sexuum diversitatem ad solam speciei propagationem fuisse destinatam. Unde qui nonnullas exercent infamias, sive solitarie, sive cum aliis

personis, præsertim ejusdem sexus, naturam humanam deturpant, contra legem naturalem enormiter peccant, et nulla ratione excusari possunt.

Quamvis uterque sexus ad propagationem generis humani fuerit destinatus, non tamen quælibet viri et mulieris conjunctio licita est. Bonum enim societatis non exigit tantum ut proles nascatur, sed insuper ut convenienter nutriatur, erudiatur et informetur : inde familiæ distinguuntur et conservantur ; ex familiis bene constitutis coalescit societas recte constituta. Necesse est ergo ut pater et mater saltem longo tempore secum socientur. Ergo vir et mulier, prolem habere cupientes, conventionem secum inire debent, qua individuam societatem sibi promittant. Conventio hæc dicitur matrimonium vel conjugium, quod Deus ipse in initio rerum per sequentia verba instituit, Gen., II, 24 : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

Hinc fornicationes et multo magis meretricia gravia sunt peccata. Merito igitur scortatores et præsertim meretrices infamia ubique notantur, et velut opprobrium societatis habentur.

Quinque hic peti possunt, scilicet, 1° an matrimonium sit de præcepto; 2° an esse debeat unius cum unica; 3° an ex natura sua sit indissolubile; 4° quænam personæ secum matrimonio uniri nequeant, et 5° quæ sint mutua sponsorum officia. Agendum est ergo breviter 1° de cælibatu; 2° de unitate matrimonii; 3° de ejus indissolubilitate; 4° de illius impedimentis, et 5° de conjugatorum officiis.

Punctum primum. — De cælibatu.

Patet matrimonium non esse de præcepto si constet cælibatum esse licitum.

Contra cælibatum religiosum furiose debacchati sunt recentioris philosophiæ patroni, conclamantes illum esse contra naturam et patriæ nocivum : 1° contra naturam, quia vir et mulier, natura duce, ad propagationem speciei

impelluntur; 2° patriæ nocivum, quia multiplicatio civium valde utilis est patriæ. Contra hos sit

PROPOSITIO.

Cælibatus ex natura sua bonus est ac honestus.

Prob. 1° Cælibatus ex natura sua bonus est ac honestus si pro singulis hominibus strictum non existat præceptum ineundi matrimonium : atqui pro singulis hominibus tale non existit præceptum; nam si tale existeret præceptum, vel quia omnes propagationi generis humani incumbere tenerentur, vel quia nullus se continere posset : atqui neutrum dici potest : non prius, alioquin, post adeptam pubertatem vel post mortem sui conjugis, unusquisque matrimonium statim contrahere deberet, quod certe admitti nequit : non posterius, ut multorum experientia constat. Ergo, etc.

2° Bonum societatis non tantum exigit ut proles nascatur sed ut recte instituatur : at plurimi sunt nubiles, qui bonæ filiorum educationi et familiæ curis convenienter vacare non possunt, propter indolem mentis, incapacitatem, repugnantiam, defectum facultatum temporalium aut utilissimas quas exercent professiones, v. g., militando, studendo, scribendo, docendo, juventutem informando ac regendo, pauperibus in xenodochiis inserviendo, etc. Numquid enim sacerdotes catholici, fratres Doctrinæ Christianæ, filiæ S. Vincentii a Paulo, multæque aliæ, tot operibus charitatis incumberent, si conjugii, liberorum et totius familiæ sollicitudinibus implicarentur? Ergo, etc.

3° Eo perfectior est homo, quo liberior est ad bonum anima : atqui eo liberior est ad bonum anima, quo expeditior est a voluptatibus carnis, siquidem experientia constat nihil magis eam gravare quam hujusmodi voluptates. Ergo non solum honestus, sed perfectior est status continentiæ ex laudabili motivo susceptæ ac fideliter custoditæ. Ergo, etc.

Procul dubio inhonestus esset cælibatus, si perfecta castitas non servaretur. Unde intelligitur quam immerito plurimi recentes philosophi, ut *Voltaire* et *Rousseau*,

contra cælibatum religiosum insurrexerint, cum ipsi non fuerint conjugati, nec tamen casti, ut omnes norunt.

Multiplicationi generis humani multo plus nocet morum corruptela quam cælibatus recte intellectus et intemerate servatus, ut patet exemplo magnarum civitatum, in quibus major est corruptio et minor propagatio. Cohibeantur libidines, arceantur commercia illicita, foveantur matrimonia legitima, et tunc nullus erit locus timendi ne civium numerus decrescat, licet plurimi cælibatum amplectantur et custodiant. Imo nunc multi conqueruntur nimiam fieri populi multitudinem, quia desunt officia, functiones, exercitia, labores, vivendi aut victum ac vestitum acquirendi media.

PUNCTUM SECUNDUM. — De unitate matrimonii.

Certum est unam mulierem plures viros simul habere non posse. Hujusmodi enim commercia naturæ finique conjugii evidenter adversantur, et semper reprobata sunt.

Non ita manifestum est, ex sola ratione, malam esse polygamiam, id est, statum viri plures uxores simul habentis; in eo enim statu non tanta existit ordinis inversio, nec adeo gravia inde nascuntur incommoda. Pluribus tamen ostenditur rationibus multo perfectiorem esse statum unius cum una.

1° Qui plures ducunt uxores, ordinarie non solo amore posteritatis se gerunt, sed voluptatibus carnis attrahuntur ac vincuntur, sicque contra rectum rationis dictamen mentem corpori turpiter subjiciunt. 2° Numerosioris familiæ gubernationi et multorum liberorum educationi non tam facile invigilare queunt. 3° In polygamia mulieres non sunt dominæ et totius domus rectrices, ut convenit; sed ad servitutem abjectam roducuntur, ut apud gentes Orientis videre est. 4° Inter eas earumque progenies quasi inevitabiles oriuntur dissensiones. 5° In numero fere æquali nascuntur viri et mulieres, imo ordinarie paulo plures viri quam mulieres; [1] ergo sufficienter ostendit sapientis-

[1] 15 viri pro 12 mulieribus, secundum *Bergier*, t. IV, p. 207; vel saltem 16 pro 15, juxta *Buffon. Hist. natur.*, t. III, in-12, p. 106.

simus naturæ humanæ Conditor se voluisse *ut unusquisque suam uxorem habeat et unaquæque suum virum habeat*, I Cor., VII, 2. Quod autem ratio docet ut perfectius, fides tradit ut certum.

Conjuges mutuam sibi promittunt fidelitatem; conventio matrimonialis reciprocam hanc obligationem importat. Qui ergo fidem conjugalem frangit, dicitur adulter vel adultera, id est, ad alterius thorum accedens. Uterque gravissimi reus est delicti; sed gravius adhuc peccat mulier, ob periculum spurios hæredes in familiam mariti introducendi. Si ex adulterio proles nascatur, adulter et adultera solidariam induunt obligationem omne damnum inde proveniens resarciendi, tum erga maritum, tum erga liberos legitimos, tum erga consanguineos qui propter illegitimam prolem hæreditate alias sibi adventura carebunt.

PUNCTUM TERTIUM. — De matrimonii indissolubilitate.

Constat matrimonium, natura duce, saltem ad longum tempus duraturum esse, quia longum tempus requiritur ad perficiendam bonam filiorum educationem. De fide est apud Catholicos illud prorsus indissolubile esse, ut ostenditur in Tractatu *de Matrimonio*. At, seclusa lege positiva, vinculum conjugii existitne per totam alterutrius conjugis vitam, ita ut divortium proprie dictum admitti nequeat? Huic quæstioni per sequentem propositionem respondebimus.

PROPOSITIO.

Sola ratione ostenditur matrimonii vinculum usque ad mortem alterutrius conjugis esse duraturum, et divortium proprie dictum admitti non posse.

Prob. Id recta ratio postulat quod naturæ conformius et societati utilius est : atqui naturæ conformius et societati utilius est matrimonium sola morte alterutrius conjugis dissolvi.

1° *Naturæ conformius.* Vir enim et mulier conjugio sociati, totam juventutem in intimo amoris commercio

secum habent : numquid conveniret ut facti senes, a se invicem disjungerentur? Nonne potius mutuum tunc sibi præstare debent auxilium? Insuper, non tantum susceptos filios educant parentes, sed eos regunt, suis consiliis adjuvant, tum in professione eligenda, tum in ea exercenda, tum in matrimonio contrahendo, tum in familia gubernanda ; eos visitant, ab eis visitantur, et sic dulcissima hinc et inde firmantur dilectionis ac benevolentiæ vincula. Quod sic advertit *Rousseau*, *Emile*, l. 5, t. II, p. 492 : « *Les enfants forment un nœud vraiment indissoluble entre ceux qui leur ont donné l'être, et une raison naturelle et invincible contre le divorce. Des objets si chers dont aucun d'eux ne peut s'éloigner, les rapprochent nécessairement. C'est un intérêt commun si tendre qu'il leur tiendrait lieu de société, quand ils n'en auraient pas d'autre.* » Ergo 1°, etc.

2° *Utilius est societati.* Nam 1° divortium bono regimini familiarum evidenter nocet. 2° Cunctis libidinibus favet et discordiis locum præbet; multo facilius enim sponsi extraneo amori cedent, multo minus erga se invicem erunt patientes, indulgentes et prævenientes, si divortium sperare possint : hinc odia, jurgia, dissensiones, scandala, etc. 3° Hæc esse divortii faciliter admissi incommoda nimis probavit experientia nostra ; divortium quippe tempore perturbationis publicæ, in fine sæculi proxime elapsi, jam admissum, in Codicem civilem anno 1803 legaliter fuit introductum, non quidem ut bonum in se, sed velut remedium corruptioni morum præparatum : *Le divorce en lui-même ne peut pas être un bien ; c'est le remède d'un mal*, aiebat *Treilhard* in oratione publica pro lege circa divortium coram legislatoribus habita, *Discours...*, t. I, p. 216, et tamen ingentia inde orta sunt mala. Contra immoralem hanc legem undique conclamatum est, donec die 8 maii anni 1816 abolita fuerit. In illam fortiter jam insurrexerant anno 1803 plurimi oratores, inter quos *Carion Nisas*, in tribunatu ; adversus illam antea scripserat D. *Nougarède* et postea scripsit D. *de Bonald ;* omnes eam exhibuerunt ut societati valde

noxiam. Pluries ab his annis postremo elapsis ejus renovatio fuit postulata et in conventu Legatorum populi admissa, sed ab alio conventu (*la chambre des Pairs*) semper fuit rejecta. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Per quam causam nascuntur contractus, per eam et solvuntur; ergo matrimonium, sicut aliæ conventiones, per mutuum consensum solvi potest.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod alii contractus perpetuitatem non exigant, sicut matrimonium : nihil enim obstat quominus venditio, locatio, etc., dissolvantur; contra vero multæ rationes postulant matrimonium esse constans et perpetuum. Ergo, etc.

Obj. 2°. Ab omni contractu sub conditione inito resilire licet, quando conditiones appositæ non implentur : at quicumque matrimonium ineunt, nonnullas semper subaudiunt conditiones, nempe fidelitatem, dilectionem, indolem congruentem, etc. Ergo saltem ubi conditiones illæ non implentur, a matrimonio per divortium resilire licet.

R. 1°. *Nego majorem*, propter generalitatem ejus. Aliquando enim conditiones appositæ aut subauditæ reputantur tantum accessoriæ, id est, partes impellunt ad contractum, sed illarum consensum substantialiter non afficiunt : atqui in eo casu a contractu resilire non licet, quia conditiones non implentur. Ergo, etc.

R. 2° *Nego min.* Hypothesis enim gravibus incommodis obnoxia admitti non potest : atqui talis est hypothesis hic nobis objecta ; ea enim semel admissa, cuncta matrimonia essent conditionata, societas conjugalis concuteretur, familiæ turbarentur, et animi ubique forent anxii. Præterea, qui matrimonium ineunt, personam præsentem assumunt in conjugem cum spe secundi eventus, non quidem sine ullo metu infelicis exitus, sed sine conditione a qua pendeat consensus. Ergo, etc. Absolute tamen non repugnat dari matrimonium, cujus validitas a conditione pendeat ; at de eo tractare hic longius esset : id ex-

primimus quod fit ordinarie, de cæteris in Tractatu *de Matrimono* dicetur.

Inst. 1° Non raro accidit conjugatos dicere quod talem personam in conjugem accipere noluissent, si eam perfecte novissent : ergo in eo casu matrimonium conditionate tantum fuit initum.

R. Nego conseq. Aliud est enim dicere : Nolui nisi sub hac conditione; est aliud : Noluissem, si hoc vel illud novissem. In priori casu voluntas sub conditione est suspensa ; in posteriori vero adest voluntatis mutatio : porro in objectione nobis proposita exprimitur tantum mutatio voluntatis. Qui, v. g., talem uxorem absolute duxit, eam postea melius cognoscens vel onera matrimonii ægrius ferens, dicit quod matrimonio jungi noluisset, si hæc tam perfecte novisset : sed inde non sequitur illum non consensisse, bene vero ipsum pœnitere consensisse. Verum multos pœnitet aliquid fecisse, v. g., vendidisse, emisse, lusisse, se inebriasse; affirmant se id facere noluisse, si consectaria hujus actionis novissent. Attamen inde concludi non licet eos non consensisse. Ergo a pari, etc.

Inst. 2° Sæpe contingit adeo protervum, corruptum et moribus asperum esse conjugem, ut quælibet societas cum illo sit impossibilis : ergo saltem in eo casu ad divortium recurrere licet.

R. Dist. conseq. Ad divortium improprie dictum, *conc.;* ad divortium proprie dictum, *nego conseq.* Divortium improprie dictum est separatio corporis, habitationis et etiam bonorum, remanente vinculo conjugii. Omnes fatentur hanc separationem esse licitam in casu modo exposito et in casu infidelitatis seu adulterii. Durum est quidem remedium istud ; nam inde oriuntur scandala, familiarum dissensiones, jurgia, odia, mala educatio prolis, etc. Sed malum ex altera parte est extremum. Porro in malo extremo ad remedia extraordinaria recurrendum est. Ergo, etc.

Sed negamus quod in prædictis casibus ad divortium proprie dictum recurrere liceat. Nam 1° ideo matrimonia sunt infelicia, quia in eis contrahendis plus valet libido

quam ratio, plus terrestris affectio quam virtutis respectio ; præcipitanter et incaute contractus tanti momenti initur. Quid ergo fieret, si ob incommoda postea deprehensa ab eo recedere liceret? 2° Ad bonum societatis magni interest ut conjuges mutuis obsequiis se invicem præveniant, defectus alter alterius patienter ferant, et multa sibi condonare velint : atqui matrimonii indissolubilitas ad hæc vehementer excitat, dum spes divortii ad dissensiones, jurgia, adulteria, etc., evidenter provocaret. Qui enim flamma extranea semel arderet, paratam semper haberet viam matrimonium sibi onerosum disrumpendi, scilicet, vituperationes, contumelias, verbera, adulterium, etc. 3° Si vel in uno casu matrimonii dissolubilitas admittatur, mox similes aut quasi similes casus occurrent, et cuncta advenient mala quæ ex divortio oriri solent. 4° Matrimonium ex natura sua est perpetuum, ut ostendimus : ergo dissolvi non debet ob quædam incommoda per accidens contingentia. Ergo, etc.

Inst. 3° In casibus supra dictis præcipuus finis matrimonii, scilicet, procreatio prolis, obtineri non potest : ergo interest societatis et naturæ congruit ut prius vinculum solvatur et aliud creari possit.

R. Nego conseq. Nam bonum generale societatis hic spectandum est : at bonum generale societatis non exigit ut proles quacumque via nascatur, bene vero ut recte informetur, sicque ut vinculum matrimonii honoretur, sit firmum ac stabile : ergo, etc.

Inst. 4° Natura vetat ne conjux innocens ad perpetuam castitatem damnetur. Ergo, etc.

R. Nego ant. Privata enim incommoda patienter toleranda sunt ut bonum generale obtineatur. Aliunde, quot sunt personæ utriusque sexus quæ ob varias circumstantias sibi non imputabiles nubere nequeunt! Sunt innocentes et tamen onus perpetuæ castitatis ferre tenentur. Cur ergo magis repugnaret personas conjugatas, ob circumstantias prorsus involuntarias, ad servandam perpetuam castitatem obligari? Ergo, etc.

Onus autem perpetuæ castitatis aliis gravius est et aliis

minus grave, sed nemini vere est intolerabile; unusquisque enim prudenter in se vigilans, occasiones caute fugiens, sobrie vivens et ad Deum supplex recurrens, sufficientes semper habebit vires ut se contineat. Hoc sola ratio dictat, et frequens confirmat experientia.

SCHOLIUM.

Libenter tamen confitemur necessariam esse revelationis auctoritatem ut matrimonii indissolubilitas servetur in praxi. Cupiditates enim adversus illam pugnantes mox prævalerint, nisi gravissimis sedarentur motivis et quadam vi externa cohiberentur; quod exemplo plurimarum gentium comprobari potest.

Apud Judæos diu matrimonium fuit perpetuum et indissolubile; postea Deus ipse *ad duritiam cordis*, Matth., XIX, 8, concessit facultatem dandi libellum repudii, Deut., XXIV, 1. Apud Romanos per quinque aut sex priora sæcula divortium fuit prorsus inauditum, *Rollin*, t. I, p. 32, et t. IV, p. 178. Fertur Carvilium uxorem suam primum repudiasse, circa annum 231 ante Christum. Deinde mos ille obtinuit, et eo frequentior evasit, quo magis corrupti erant mores. Sic pariter divortium frequens est in Anglia et multa generat mala : longe frequentius fuit apud nos tempore quo admissum est. Hinc iterum concludere licet divortium bonis moribus esse noxium ac proinde jure naturali prohibitum. Sapientissime igitur Christus illud absolute proscripsit.

PUNCTUM QUARTUM. — De matrimonii impedimentis.

Notandum est aliud esse contrahere illicite, et aliud invalide. Contractus est *illicitus*, quando in eo aliqua reperitur inordinatio, substantiam ejus non afficiens, v. g., si quis vendat rem alteri promissam. *Invalidus* vero est contractus, quando in eo reperitur difformitas vel qualitas perseverans et substantiam ejus afficiens; v. g., si res aliena vendatur.

Hinc qui inconsultis parentibus nuberet, peccaret qui-

dem, et tamen valide contraheret. Qui e contra alterius uxorem non repudiatam duceret, non solum peccaret, sed invalide contraheret, ob vinculum existens.

Item si quis cum matre, avia aut proavia, cum filia vel cum alia e suis descendentibus jungeretur, tale matrimonium esset jure naturali nullum : naturalis enim difformitas hujus generis conjunctionem semper afficit, ordo invertitur, vincula familiarum turbantur, honor et reverentia erga ascendentes tolluntur, etc. Unde apud omnes gentes incestuosæ illæ conjunctiones semper habitæ sunt ut infames et jure naturali prohibitæ.

Quod de consanguinitate in linea recta dicitur, pariter de affinitate in eadem linea dicendum esse videtur; natura enim horret a cunjunctione cum matre aut filia uxoris suæ, et vice versa : ita judicaverunt omnes populi, ut multis constat monumentis apud *Grotium*, lib. 2, c. 5, n. 13, et apud alios relatis.

In linea collaterali, matrimonium non prohibetur inter affines etiam in primo gradu. Ita omnes. Hinc idem homo, sola lege naturali spectata, duas sorores successive ducere potest, vel plures fratres eamdem mulierem successive habere possunt. Sic olim apud Judæos, mortuo viro sine semine, ipsius frater viduam ejus ducere tenebatur, ut suscitaret semen fratri suo : sic apud nos, legitima dispensatione obtenta, hujusmodi matrimonia sunt valida et licita. Prohibitio in Codice civili, art. 161, facta, nullam admittebat dispensationem. Verum lex diei 16 aprilis 1832 facultatem super hoc impedimento dispensandi tribuit regi.

Inter consanguineos autem, in linea collaterali, matrimonium jure naturali non prohibetur, excepto primo gradu : communiter quippe docetur matrimonium inter fratres et sorores aliquam repugnantiam naturalem involvere; sic apprehendisse videntur omnes moraliter populi, cum illud semper damnaverint, dum e contra in cunctis aliis gradibus illud licite fieri posse judicaverint.

PUNCTUM QUINTUM. — De officiis conjugatorum.

Maritus tenetur, 1° uxorem suam alere, vestire, aliaque ipsi, juxta conditionem ejus, necessaria subministrare, etiamsi nihil ab ea accepisset in dotem. Conjugati enim sunt una et eadem familia intime sociata, cujus vir est caput : ipsius est igitur sustentationi uxoris invigilare, eamque ipsi per sollicitudines suas, curas, laborem, etc., procurare. 2° Tenetur eam diligere, et velut dominam, non vero ut servam, in domo sua habere, ac proinde convenientem administrationem ei relinquere ; recta ratio enim offenditur si mulieres in servitutem reducantur, ut in Oriente : hinc benigne eam tractare, amanter cum illa loqui, negotia ad communitatem pertinentia ei patefacere, consilia ab ea petere debet. 3° Bona uxoris sicut bona propria prudenter gerat. 4° Ab eis actibus et negotiis quæ illam contristarent caveat, a longis itineribus, a professione incongrua vel minus honesta abstineat, etc.

Uxor tenetur virum totis præcordiis diligere, amabilem ei se præbere, studiose ei placere, in laboribus et ærumnis eum sublevare, ipsum ut superiorem revereri, prompte et hilari animo ei subjici in his omnibus quæ non mala sunt, a superfluis expensis abstinere, gubernationi domus invigilare, eum sequi et domicilium cum illo mutare, nisi forte ad extremos fines terræ abire vellet, vel in extraneas regiones, aut vagabundam vitam ducere eligeret. Tunc enim mulier cum tanto incommodo virum comitari non teneretur, quia hæc promisisse non censetur.

SECTIO SECUNDA.

De societate paterna.

Pluribus officiis obstrictos esse parentes erga filios, et filios erga parentes clamat ratio.

PUNCTUM PRIMUM. — De officiis parentum erga filios.

1° Sola procreatione auctoritatem acquirunt parentes in liberos ; ita sensus omnium manifeste dictat, et Scriptura plurimis in locis venerationem ac obedientiam erga

parentes commendat atque præcipit. Cum autem Apostolus doceat, Eph., III, 13, omnem paternitatem a Deo venire, sequitur parentum auctoritatem ab ipso quoque oriri. Attamen sola mater proprie auctoritatem habet in liberos extra matrimonium natos, quia pater ordinarie est ignotus, vel incertus, vel familiæ extraneus. Ideo talis procreatio filiorum sola ratione judicatur esse contra ordinem, ut ostendimus.

In liberos autem intra matrimonium genitos pater præcipuam habet auctoritatem, quia caput est mulieris, filiorum et totius familiæ, cujus recte gubernationi et congruæ sustentationi vigilanter incumbere debet. Mortuo autem patre, mater fit caput familiæ et plenam habet auctoritatem in filios.

2° Filios diligere debent parentes, sicut semetipsos, summa cura eos enutrire, induere, dirigere et sub omni respectu, juxta conditionem suam, informare tenentur.

Natura duce, matres proprio lacte alere debent eos qui recens nati sunt. Universæ bestiarum species progeniem suam sic enutriunt ac fovent: nonne Auctor naturæ voluit etiam ut in specie humana matres prolem suam per seipsas alerent? Alias, cur lac diversis statibus prolis tam perfecte accommodatum eis dedisset?

Aliunde, sæpe matres prolem lactare nolentes, diversa morborum genera ex abundantia lactis contrahunt. Proles, lac sibi proportionatum apud nutricem extraneam non inveniens, frequenter deperit, male nutritur, imperfecte constituitur, languescit, et per totam vitam infirmæ vel debilis est valetudinis.

Insuper, primos tenerorum artuum motus, primosque aspectus, risus ac cordis affectus, matri tam naturaliter debitos, extraneæ mulieri tribuit, eam vocat matrem, ei adhæret, et difficile postea similes affectionis sensus propriæ matri exhibet. Porro hæc ostendunt naturam suadere, imo et præcipere, ut matres prolem suam sive legitimam, sive illegitimam, proprio lacte nutriant, nisi, ob graves rationes, nunc apud nos sæpe occurrentes, munus istud aliis committere debeant. A fortiori nec eam abjicere,

nec in publicis xenodochiis educandam tradere debent, nisi tam gravibus impellantur motivis ut aliter agere nequeant. In eo casu, sumptus a xenodochio faciendos refundere tenentur, si possint.

3° Curare debent parentes ut liberi vera religionis ac morum principia etiam in teneris annis edoceantur, et ab omni contagio vitiorum removeantur. Caveant insuper ne eos per turpia verba, malas actiones et prava consilia ad perversas consuetudines induendas conducant.

4° Studiose curent eos scientiis imbuendos vel arte aliqua informandos, juxta conditionem suam; deinde procurent ut, adolescentes facti, honestam ac congruam professionem exerceant. Caute admodum in eos vigilent, eos magistris prudentibus, doctis, piis et integris committant; scandala sollicite ab eis avertant, timeant ne defectus eorum non videant, vel indulgentius corrigant. Viis ad persuadendum aptis primo benigne utantur; deinde sciant adhibere, si opus sit, increpationes, correptiones, etiam verbera, carcerem, aliasque hujusmodi pœnas, nunquam vero mortem nec mutilationem.

5° Consiliis eos prudenter dirigant in eligendo statu vitæ, v. g., conveniens matrimonium eis procurando. Omnes æqualiter diligant et uni plus quam aliis nihil tribuant, nisi gravissimæ rationes id suadere videantur.

Cum autem liberi, e domo paterna penitus egressi, novam familiam constituant vel in aliam familiam transeant, tunc parentes proprie dictam auctoritatem in eos amplius non habent. Ita judicant omnes.

PUNCTUM SECUNDUM. — De officiis liberorum erga parentes.

Jure naturali tenentur filii parentes honorare, amare, eis obedire ac succurrere.

1° *Eos tenentur honorare.* Legitimos enim superiores nostros honorare debemus : atqui parentes sunt primi et præcipui superiores nostri : ergo præcipue eos debemus honorare, tum privatim coram ipsis solis, tum, data

occasione, coram aliis hominibus, tum verbis, tum actionibus et tota agendi ratione nostra.

2° *Eos amare debent.* Lex divina in cordibus impressa et naturalis sensus docent quippe eos esse diligendos qui priores dilexerunt nos, qui multa beneficia nobis contulerunt, qui continuis curis et exquisitis sollicitudinibus nos prosecuti sunt : atqui tales sunt parentes erga liberos suos. Quam ergo ingrati forent liberi si eos sincere et tota cordis affectione non diligerent !

3° *Eis præcipientibus obedire tenentur.* Certum est enim parentes legitimam habere auctoritatem in filios in domo paterna adhuc exstantes, eos regere ac gubernare teneri : atqui hæc supponunt in filiis strictam obligationem parendi. Attamen si parentes, auctoritate sua abutentes, aliquid mali præciperent, tunc obedientiam, cum reverentia debita, denegare tenerentur filii ; nam prius obtemperandum est Deo omne malum prohibenti.

Item si pater et mater contradictoria simul juberent, cæteris paribus, obediendum esset patri, quia excellentior est ipsius auctoritas. Denique filii obedire non tenentur parentibus irrationabilia evidenter mandantibus vel prohibentibus, v. g., ad statum vitæ perpetuum contra vocationem eos inducentibus, vel ab illo sine ullo rationabili fundamento avertere conantibus.

4° *Eis* in necessitate vel in indigentia constitutis, quantum moraliter possunt, *succurrere debent*, sive in familia paterna adhuc exstent, sive ab illa jam separati sint. Quid enim justius, quid ordinationi divinæ, rationi et propensioni nobis ingenitæ conformius, quam beneficia pro beneficiis rependere, præsertim ubi de tantis benefactoribus agitur? Aliunde, tam arcte parentibus nostris devincimur, ut eos quasi nosmetipsos habere debeamus : sic omnes populi jugiter arbitrati sunt. Ergo, etc.

Hinc patet quam absurde et intolerabiliter dixerit *Rousseau, Contrat social*, l. 1, c. 2, parentes et filios solo utilitatis vinculo naturaliter esse devinctos, ita ut, juxta singularem hunc paradoxorum inventorem, liberi nihil parentibus debeant, quando sibi sufficere possunt,

nec quibusvis officiis amplius teneantur parentes erga liberos.

Dices : Plurimi parentes nullam habuerunt curam liberorum, eos juniores abjecerunt, contumeliis affecerunt, immaniter verberaverunt, ab incunabulis mala docuerunt, in turpia et in profundum corruptionis prorumpere fecerunt : atqui hujusmodi parentes nec honore, nec amore, nec ullo gratitudinis sensu digni sunt : ergo saltem in eo casu liberi nihil parentibus debent.

R. Nego min. Quamvis enim prædicti parentes nequissimi sint, et coram Deo scelestissimi, nihilominus sunt causa existentiæ liberorum : ergo arctissimis vinculis cum illis juncti sunt liberi. Unde vitia eorum nec diligere, nec imitari quidem debent, sed eos precibus, consiliis aliisque mediis possibilibus adjuvare, et in necessitatibus constitutos quantum possunt sublevare tenentur. Id recta ratio præscribit, et ita omnes sentiunt. Ergo, etc.

SECTIO TERTIA.

De societate herili.

Cum homines nunquam fuerint perfecte æquales, ut supra diximus, pag. 565, qui præcelluerunt alios in servos sibi adjunxerunt. Hinc nata est societas quæ dicitur herilis, a nomine præcellentis seu familiæ domini, qui latine vocatur *herus.*

Duplicis generis distinguuntur servi : alii, scilicet, mercede ad tempus determinatum vel ad totam vitam conducti, et dicuntur *famuli*, gallice, *valets, serviteurs, domestiques;* et alii in omnimodam servitutem redacti, et vocantur proprie *servi* vel *mancipia,* gallice, *esclaves.* De his et illis paucis verbis dicendum est.

PUNCTUM PRIMUM. — De famulis.

Qui famulos mercede conducunt, tenentur nihil ab eis exigere præter id quod fuit conventum, vel quod ab aliis famulis ejusdem conditionis ordinarie exigitur. Eos beni-

gne tractare, consiliis adjuvare, bona exempla eis præbere, tempus pro actibus religionis sufficiens concedere, mercedem promissam tempore statuto solvere, curare ut officia sua impleant, moribus vel doctrina corruptos domo expellere, etc.

Famuli, ex parte sua, in familiam extraneam assumpti, præstare debent hero suo honorem, reverentiam, obedientiam et justitiam. Bona ejus sicut propria procurare, servare, gerere, quidquid culpa sua deperierit vel furto ablatum fuerit, resarcire tenentur. Item si otiantes tempus inutiliter terant, aut convenienti modo labori non incumbant, etc., damnum reparare debent.

In miserrimis temporibus nostris innumeri homines conqueruntur difficillimum esse nunc probos, fideles et optimos invenire famulos ac famulas; aperte dicunt fere omnes esse depravatos, impudicos, pigros, mendaces, injustos, etc. Sed, heu! quot heri pessima irreligionis, improbitatis et omnis generis corruptionis exempla famulis suis præbuerunt et etiam nunc præbent! Dignos operum suorum fructus colligunt: utquid ergo sic conqueruntur!

Quod de famulis et heris dicitur, pari ratione dicendum est, servata proportione, de operariis ad breve tempus, v. g., ad mensem, hebdomadam vel diem conductis; item de iis qui opera sua pro tota vita locant.

PUNCTUM SECUNDUM. — De servis proprie dictis seu mancipiis.

Patet ex superius dictis mancipia eos vocari qui, nullam retinentes libertatem, sub dominio heri sui absolute sunt positi, ita ut vendi vel commutari possint sicut pecus. Quæritur an hujusmodi status, olim adeo communis, ut omnes norunt, et etiam nunc apud plures gentes exstans, sit in se licitus?

Notandum hic non agi de amissione *liberi arbitrii* unicuique homini proprii et ab illo inseparabilis, nisi per causam aliquam ratio turbetur. Agitur tantum de amissione libertatis relative ad laborem et ad fructus ex eo provenientes.

PROPOSITIO.

Status servitutis, in se spectatus, absolute est licitus.

Prob. In tantum malus esset status servitutis, in quantum repugnaret hominem libertate sua in perpetuum privari : atqui non repugnat hominem in perpetuum libertate sua privari. Etenim, 1° homo libertati suæ renuntiare potest, et sic primam servitutem incœpisse graves æstimant auctores : qui sibi providere non poterant, aliis in perpetuum servitium se tradiderunt ut certam sustentationem ab eis acciperent, sicque in eorum familiam ac dominium transierunt. 2° Qui in bello justo capiuntur, perpetuo retineri possunt ut vincti : ergo non repugnat eos retineri ut servos, et in perpetuum servitium mancipari. 3° Qui propter aliquod scelus mortem meruerunt, ad servitutem certo damnari possunt. Conditio servorum evidenter melior est in se quam conditio eorum qui ad mortem, a fortiori eorum qui ad perpetuas damnantur triremes.

Alius est fons servitutis, scilicet *nativitas*. Nec ista servitus habenda est ut mala in se : est enim quædam extensio servitutis existentis. Si parentes ex propria conventione, ex delicto vel ex jure belli servituti legitime subjiciuntur, filii eorum eamdem sequentur conditionem. Domini matrimonium servorum suorum prohibere possent : si illud permittant ea conditione ut dominium in operas liberorum habituri sint, nec parentibus nec liberis injuriam faciunt : non parentibus, siquidem in eorum commodum matrimonium permittunt; non liberis, quia ipsis melius est sic esse quam non existere, supposito quod servitus justa sit ac moderata ut esse debet. Si quis autem jus habeat ad alterius operas, non dubium est quin jus illud vendere possit. Ita *Grotius*, l. 2, cap. 5, n° 27; *Puffendorf*, *Devoirs de l'homme et du citoyen*, c. 3, 4 et suiv.; *Barbeyrac* in hunc locum, etc.

Status servitutis semper fuit in usu, non solum apud populos barbaros, sed apud Judæos et excultissimas gen-

tes, apud Ægyptios, Græcos, Romanos, etc. Sola religio christiana conditionem servorum allevavit, eorum libertatem præparavit, paulatim adduxit, et tandem eam variis in temporibus plene restitui obtinuit.

In Gallia, status servitutis, pluries jam mitigatus, in initio decimi quarti sæculi a Ludovico X penitus fuit exstinctus, conditione tamen onerosa. In cæteris Europæ plagis, si quædam forte excipiantur Russiæ partes, similiter extinctus et omnino prohibitus est ille status.

Circa medium decimi sexti sæculi, *Las Casas*, primum Christophori *Colomb* in America comes, deinde in Hispania redux, factus est sacerdos et parochus : postea rediit Americam, saluti Indorum totus incubuit, et infelicissimæ conditioni eorum tenerrime compatiens, totis viribus per quinquaginta annos quæsiit eos ab injusta oppressione liberare, aut saltem oppressores eorum mitiores et humaniores reddere. Ut laudabilem hunc finem efficacius obtineret, consilium dedit colonis alios potius accersendi servos, v. g,, Nigros ex Africa. Hoc revera contigit, postquam maxima pars Indorum per atrocissimas sævitias fuit exterminata. Hinc nata est consuetudo emendi servos in Africa et eos in varias colonias, præsertim Americæ, deportandi; quæ consuetudo dicta est commercium Nigrorum , et usque ad tempora nostra perseveravit. Nunc autem ab omnibus guberniis Europæ strictissime prohibetur.

Romani pontifices sæpe hoc, velut inhumanum et odiosum, reprobaverunt commercium, ut videre est in sexto volumine Institutionum nostrarum theologicarum.

Servi autem dominis suis obedire, sortem suam patienter tolerare et officia sibi imposita fideliter exsequi debent, quoadusque libertas ipsis concedatur. Meminerint præsentem vitam esse momentaneam, futuram vero æternam.

De ea gravi quæstione iterum et fusius dicimus in Tractatu *de Jure et Justitia*.

§ II. De societate politica.

Hæc societas sic dicitur a verbo græco πόλις, *urbs*, quia integras complectitur urbes, et auctoritas hujus societatis in urbibus exerceri solet. Definiri potest : Multitudo hominum sub eodem regimine publico coadunatorum ut perfecte sibi sufficiant. Unus vel plures supremam auctoritatem habent, cæteri vero sunt subditi.

Nobis inquirendum est, 1° quænam sit origo hujus societatis ; 2° quæ ejus divisio ; 3° quibus titulis suprema auctoritas acquiratur ; 4° quinam sint ejus characteres ; 5° quæ ejus attributa ; 6° quæ ejusdem officia erga subditos ; 7° quæ officia subditorum erga supremam auctoritatem. Septem igitur præsentis paragraphi erunt sectiones.

SECTIO PRIMA.

De origine societatis politicæ.

Certum est Adam habuisse auctoritatem in totam familiam suam, cujus erat pater et rector. Filii ejus eamdem habuerunt auctoritatem in familias suas respectivas, et ita de cæteris dici potest. « Verum, inquit *Suarez*, de Legibus, « ex vi solius creationis et originis naturalis solum colligi « potest habuisse Adamum potestatem œconomicam, non « politicam ; habuit enim potestatem in uxorem, et postea « paternam potestatem in filios, quandiu emancipati non « fuerunt ; potuit etiam decursu temporis habere famulos « et completam familiam, et in eam plenam potestatem, « quæ œconomica appellatur. Postquam autem cœperunt « familiæ multiplicari, et separari singuli homines, qui « erant capita singularum familiarum, habebant eam- « dem potestatem circa suam familiam. Potestas autem « politica non cœpit donec plures familiæ in unam com- « munitatem perfectam congregari cœperunt. Unde sicut « illa communitas non cœpit per creationem Adæ nec per « solam voluntatem ejus, sed omnium qui in illa conve- « nerunt ; ita non possumus cum fundamento dicere Ada-

« mum ex natura rei habuisse primatum politicum in illa « communitate : ex nullis enim principiis naturalibus « id colligi potest, quia ex vi solius juris naturæ non est « debitum progenitori ut etiam sit rex suæ posteritatis. » (L. III, cap. 2, n. 3).

Sic ergo primæ efformatæ sunt politicæ societates : familiæ independentes, videntes ad multa sibi non sufficere, et præsertim ut sese adversus perversos homines defenderent, mutua conventione coadunatæ sunt, vel potentiori familiæ se junxerunt, ut unicam efformarent societatem perfectam. Hinc prodierunt urbes, principatus, regna, imperia.

Quod in antiquioribus historiæ monumentis legitur, præsertim in Genesi, hanc doctrinam, rationi valde consentaneam, confirmat : tot enim sunt regna et reges quot urbes et oppida. Sic in cap. XIV Genesis, quatuor reges adversus quinque pugnant ; Abraham, cum 318 vernaculis, Chodorlahomor et tres reges qui cum eo erant expugnat.

Multitudines sic congregatæ paulatim creverunt, tum multiplicatione naturali, tum novis aggregationibus, tum aliis viis, v g., jure belli aut fœdere pacis : inde majora facta sunt regna vel imperia.

Præfatæ multitudines spectatæ quoad originem, dicuntur *nationes ;* quoad territorium occupatum, vocantur *populi ;* quoad complexionem eorum quæ societatem politicam constituunt, appellantur *principatus, regna, imperia, respublicæ*, gallice, *États*.

Præcipue investigatur ex quo fonte vel principio suprema oriatur potestas in populos. Circa speculativam hanc quæstionem vehementissime diu æstuaverunt multorum animi.

Suarez, citans S. Thomam aliosque multos sanæ doctrinæ auctores, contendit, absque ulla hæsitatione, hanc potestatem, vi solius juris naturæ, esse in hominum communitate ; nam omnes nascuntur liberi, *et nullus habet jurisdictionem politicam in alium, sicut nec dominium.* Quando igitur simul coadunantur in unam societatem

politicam, unusquisque expresse vel tacite de jure suo naturali cedit, ut generalis sit potestas quæ totam communitatem regat. Communis hæc potestas ex natura rei existit, ita ut non sit in hominum potestate sic coadunari et talem impedire auctoritatem, v. g., velle in societatem perfectam coadunari et tamen nulli subjici auctoritati.

In omni ergo societate civili, seu politica, necessario existit jus imperandi et obligatio parendi, alioquin ipsa societas radicitus subverteretur. Unde autem repetenda est hæc imperandi auctoritas et parendi obligatio, quæ sunt duo correlativa inseparabilia? an ex hominibus, an ex Deo?

PROPOSITIO.

Suprema auctoritas gubernandi populum a solo Deo tanquam a primario fonte repetenda est.

Prob. 1° *Scriptura sacra* Prov., VIII, 15: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Rom., XII, 1: *Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Hæc verba sunt generalia, et nullam admittunt exceptionem. Alia similia citari possent. Constans fuit doctrina Patrum ac doctorum catholicorum reges et ab eis delegatos aliquo sensu esse Dei ministros: *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Rom., XIII, 4. Ergo, etc.

Prob. 2° *ratione.* 1° Enim societas politica intelligi non potest sine auctoritate imperandi et obligatione parendi: ergo ex ipsa natura hujus societatis, ac proinde ex ipso divino Auctore naturæ, tanquam a fonte primario, fluit potestas regendi populum, non vero a voluntate populi derivatur: homines suo consensu efficere possunt ut subjectum aliquod sit hujus potestatis capax; Deus autem, cujus solius est jura et obligationes constituere, ipsam tribuit potestatem. Sic puella libere matrimonium contrahit; sed, matrimonio supposito, efficere non potest ut

jure divino non debeat esse subjecta marito. 2° Suprema auctoritas gubernandi societatem completam habere debet potestatem puniendi malefactores usque ad mortem, et vindicandi injurias singulorum : at talis potestas non venit nisi a Deo, qui solus est dominus vitæ et vindictam sibi reservavit : *Mihi vindicta, et ego retribuam.* Rom., XII, 19. Ergo, etc.

Dices 1°. In prima rerum origine familiæ erant independentes; sese coadunantes, hanc vel illam regiminis formam eligere potuerunt : ergo revera auctoritatem in se tribuerunt.

R. Nego conseq. Homines qui contractum libere secum ineunt, eo inito, strictæ obligationis vinculo erga se invicem obstringuntur : vinculum autem istud a contrahentibus non oritur, sed a Deo, qui legem naturalem sanciens, justas conventiones observari jubet. Sic plures familiæ, sub aliquo regimine per nonnullas conventiones se constituentes, determinaverunt quidem modum quo regerentur; sed Deus solus, cujuslibet ordinis auctor ac conservator, dat gubernantibus auctoritatem imperandi, et obedientiam præscribit subditis. Ergo, etc.

Hinc innumeræ esse possunt guberniorum constitutiones, et nihilominus verum est omnem auctoritatem a solo Deo venire.

Dices 2°. Constitutiones suas mutare possunt populi : at eas mutare non possent, si auctoritas suprema a solo Deo veniret. Ergo, etc.

R. Nego min. Quamvis enim Deus jubeat observari contractus juste initos, eos tamen per novas conventiones mutare licet, et tunc novis conventionibus standum est; ita pariter fieri potest ut constitutiones populorum legitime mutentur, licet suprema auctoritas a solo Deo veniat; modus enim existendi est humanus, auctoritas autem ipsa est divina. Sic Romani pontifices et episcopi catholici divinam habent auctoritatem, et tamen modus eos constituendi est humanus. Ergo, etc.

Ex dictis plura inferenda sunt consectaria magni momenti. 1° Sequitur neque principes, ex una parte, neque

populos, ex altera parte, fundamentales constitutiones mutare posse : sicut enim, in ordinariis conventionibus humanis, partes contrahentes conditionibus stipulatis bona fide stare debent, ita et in actibus inter principes et populos statutis.

2° Sequitur *a fortiori* populos non habere jus adversus principes rebellandi eosque pro nutu deponendi. Tale enim principium ad exitiales necessario deduceret effectus, præsertim cum integri populi non soleant adversus principes insurgere, sed quidam viri turbulenti, rerum novarum amatores, audaces, in alios dominantes, eos seducentes aut violentia trahentes, etc.

3° Sequitur rejiciendum esse dogma supremæ actoritatis populi (*de la Souveraineté du peuple*) a Protestantibus excogitatum, apud Anglos et alios populos admissum et temporibus nostris tam frequenter prædicatum.

Versus finem XVII sæculi, minister *Jurieu* publicis scriptis demonstrare conatus erat insurrectiones Calvinistarum adversus regem et gubernium gallicum legitimas fuisse et sanctas. *Lettres* 16, 17 *et* 18. « *Le peuple*, inquit, epist 18, *n'a pas besoin d'avoir raison pour valider ses actes.* » Vide *Bossuet*, 5e *avert.*, *n.* 31 *et suiv.*

Idem systema *Rousseau*, longius adhuc procedens ac *Jurieu*, exposuit et propugnavit in opere perobscuro cui titulus *Contrat social.*

Supponit homines, natura liberos et independentes, in eo statu absolutæ libertatis, pro arbitrio suo remanere potuisse ; eos vero libere omnino convenisse de societate formanda, ut viribus et auxiliis omnium uniuscujusque jus et persona defenderentur. Addit non aliam esse auctoritatem ac voluntatem communem, quæ sola semper legem proprie constituit. Nemo jus suum proprium alienare potest, et si, in deliberationibus, suffragia majori numero lata præstent, id fit ex libera concessione. Legislator leges proponere tantum valet, quas, si placeant, plebs sua auctoritate sancit. Qui gubernant non sunt nisi ministri et commissarii populi qui apud se auctoritatem semper servat et illos pro libitu suo valide et licite deponere po-

test « *De ces éclaircissements*, inquit, liv. III, ch. 18, *il résulte que les dépositaires de la puissance exécutive ne sont pas les maîtres du peuple, mais ses officiers; qu'il n'est point pour eux question de contracter, mais d'obéir, et qu'en se chargeant des fonctions que l'État leur impose ils ne font que remplir leur devoir de citoyens, sans avoir en aucune sorte le droit de disputer sur les conditions.*

« *Quand donc il arrive que le peuple institue un gouvernement héréditaire, soit monarchique dans une famille, soit aristocratique dans un ordre de citoyens, ce n'est point un engagement qu'il prend; c'est une forme provisionnelle qu'il donne à l'administration, jusqu'à ce qu'il lui plaise d'en ordonner autrement.* »

Si naturales hujus principii consecutiones sedulo attendantur, clare videbitur non nisi pessimos inde oriundos esse exitus.

Præter ea quæ supra diximus, quibus confutatur tale systema, notandum est nunquan a Deo relictum esse ad arbitrium hominis vivere vel non vivere in societate, licet circa formam societatis liber fuerit; certum est adhuc supremam potestatem a Deo solo venire et ab ipso concedi iis quibus committitur cura societatis. Tandem, ea conventio primordialis, prout intellexit *Rousseau*, nunquam exstitit, et talis hypothesis omnibus historiæ monumentis sicut et ratione impugnatur.

4° Sequitur denique supremam auctoritatem regulariter constitutam, quæcumque sit ejus forma, a Deo auctore naturæ provenire ac consequenter esse divinam in suo genere, sicut divina est suo modo auctoritas mariti in uxorem, patris in familiam, etc. Quidquid ergo multi, in novissimis temporibus, vel ignorantes, vel blasphemantes, contra *jus divinum* dixerunt, certum est, non solum reges, sed quoscumque politicarum societatum moderatores ac magistratus congruo modo constitutos, ad sensum B. Pauli Dei esse ministros, vi potestatis a Deo descendentis imperare, regere, judicare, etc., et Deum cunctis subditis strictam conscientiæ obligationem parendi imponere.

SECTIO SECUNDA.

De divisione societatis politicæ.

Sub triplici regimine constitui potest societas politica generaliter spectata, scilicet, monarchico, aristocratico et democratico : unde triplex distinguitur hujusmodi societas, nempe, monarchica, aristocratica et democratica. 1° Earum notiones exponemus; 2° quodnam regimen sit anteponendum requiremus.

PUNCTUM PRIMUM. — De nationibus triplicis regiminis politici, videlicet, monarchici, aristocratici et democratici.

Monarchia, a duobus verbis græcis μόνος, *solus*, ἀρχή, *dominatio, principatus*, sic dicta, est societas in qua unus totam habet auctoritatem et vocatur rex, imperator, princeps, dux, comes, etc.

Duplex est monarchia, videlicet absoluta et temperata. *Absoluta* ea est in qua sola monarchæ voluntas vim legis habet et subditos tenet obstrictos. Monarchia vero dicitur *temperata*, quando monarchæ voluntas intra quosdam limites determinatos coercetur, ut apud populos regimini constitutionali subjectos. Tunc enim rex plenam non possidet auctoritatem condendi leges, tributa exigendi, etc., sed insuper requiritur consensus, per majoritatem suffragiorum expressus, unius vel duplicis conventus delegatorum, etc. Hæc monarchia gallice appellatur *gouvernement représentatif*.

Monarchia absoluta quandoque dicitur etiam *despotisme* vel *tyrannie*. Dicitur *despotisme* (a voce græca δεσπότης, *dominans* vel *dominus*, quæ olim in malo sensu non accipiebatur), si rex aut princeps durius, arbitrarie et sine regulis determinatis gubernare videatur. Vocatur vero tyrannis (*tyrannie*) (a voce græca τύραννος, rex vel *monarcha*), quando princeps, sive legitimus, sive illegitimus, subditos injuste opprimit.

Monarchia potest adhuc esse electiva vel successiva seu hæreditaria. Est *electiva*, quando princeps a populo vel a magnatibus regni eligitur, ut olim in Germania et in Po-

lonia. Est autem *successiva* seu *hæreditaria*, cum principis descendentes natu majores ei jure succedunt, et auctoritatem sicut terras, domos, aliaque bona temporalia hæreditate capiunt. Modo filii et filiæ indiscriminatim auctoritatem via successionis obtinent, ut in Anglia; modo soli masculi ad eam possidendam idonei sunt, ut in Gallia, vi legis antiquissimæ, quæ dicitur *salica*, et tribuitur Pharamondo vel Clodovæo I. Qui vi liberæ electionis vel successionis lege statutæ ad supremam auctoritatem pervenit, dicitur legitimus; qui eam violentia vel astutia et absque titulo capit vel obtinet, appellatur usurpator, et summæ reus est injustitiæ: qui vero in circumstantiis extraordinariis constituitur ad gubernandam societatem eamque salvandam, dicitur imperator, rex aut princeps ex necessitate. Stricte loquendo neque legitimus est, neque usurpator.

Aristocratia, a vocibus ἄριστος, *optimus*, et κράτος, *potestas*, est societas in qua primates supremam auctoritatem habent, sive nobilitate, sive opibus, sive capacitate cæteris præcellant; tale diu fuit gubernium Venetiarum. Si in hoc regimine quidam irrepant abusus, v. g., si primates populum opprimant, si dignos a concilio avertant, si indignos vel incapaces admittant, tunc gubernium istud dicitur ad *oligarchiam* devenire. *Oligarchia* autem, a vocibus ὀλίγος, aut ὀλίγοι, *pauci*, et ἀρχὴ, *potestas*, quæ paucorum auctoritatem per se designat, sæpius in malo sensu sumitur.

Democratia, quæ etiam in usu vulgari appellatur *respublica*, illa est societas in qua suprema auctoritas penes generalia populi comitia residet: nomen accipit a verbo δῆμος, *populus*, et κράτος. Hac gubernii forma usi sunt Lacedæmonii, Athenienses, Romani, etc. Gubernium democraticum male constitutum, in quo plebs infima prævalet, dicitur *ochlocratia*, a vocibus ὄχλος, *multitudo*, et κράτος.

Sunt adhuc gubernia quæ vocantur *fœderata* et coalescunt ex pluribus societatibus a se divisis, aliquo tamen vinculo unitatis inter se conjunctis, et sub hoc respectu

unicam societatem politicam constituentibus : talia sunt fœdera inter respublicas Helvetiorum, inter principes Germaniæ, inter provincias Americæ (*les États-Unis*), etc.

PUNCTUM SECUNDUM. — Quodnam ex triplici regimine politico sit anteponendum.

Unumquodque regimen politicum legitime constitutum bonum est in se, et populo cui præficitur convenire potest : sic respublicæ Græcorum et Romanorum diu floruerunt. Celebris fuit respublica Venetiarum sub regimine aristocratico constituta.

Attamen dici potest regimen democraticum esse omnium imperfectissimum. In eo enim omnes jus suffragium emittendi habent, omnes ad honores et divitias tendere possunt, foventur desideria altius ascendendi, ulterius progrediendi ; irritantur cupiditates ; hinc nascuntur tumultus, dissensiones, seditiones, injustitiæ, oppressiones, etc. Testatur historia quot et quantæ hujusmodi calamitates olim exstiterint apud Romanos. Propriis videmus oculis quid, non longo abhinc tempore, ex tentatione institutionis reipublicæ, in pluribus regionibus acciderit

Ad summum igitur democratia, juxta nos, convenire potest parvo populo, nunquam vero numerosiori. Imo vera democratia impossibilis est in magna gente, et a fortiori in regno ex variis populis coalescente ; quia impossibile est omnes cives simul congregari et omnium suffragia pro singulis legibus ac decretis constituendis expetere ; hoc sic confessus est *Rousseau, Contrat social*, l. 3, ch. 4 : « *A prendre le terme dans la rigueur de l'acception, il n'a jamais existé de véritable démocratie, et il n'en existera jamais. Il est contre l'ordre naturel que le grand nombre gouverne et que le petit soit gouverné.* »

Regimen aristocraticum sua etiam habet incommoda : senatores quippe frequenter non sunt unanimes ; sæpe inter eos nascuntur dissidia ; lenta, implicata et aliquando debilior est administratio. Id multo magis verum est ubi agitur de populis a se divisis et tamen quodam fœdere

generali inter se colligatis. Nunc igitur examinandum est quid de regimine monarchico sentiendum sit.

PROPOSITIO PRIMA.

Regimen monarchicum omnium est perfectissimum.

Prob. 1° Quod naturali hominum constitutioni conformius est, eo ipso melius reputari debet : atqui regimen monarchicum naturali hominum, etc. Homines enim ante omnem conventionem per familias distributi sunt; in unaquaque autem familia omnes sub regimine unius constituuntur : ergo naturali eorum constitutioni conformius est ut regimini monarchico subjiciantur. Et revera, ubique de facto exstiterunt monarchiæ a primis temporibus usque ad nos, ut legere est in Genesi et in aliis Scripturæ sacræ libris. Græci et Romani sub regimine monarchico fuerant antequam formam democraticam adoptarent; deinde proprio pondere ad monarchiam redierunt. Ergo, etc.

2° Eo perfectius est regimen politicum quo promptior et accuratior est administratio : atqui promptior, facilior et accuratior est administratio saltem ordinarie, quando unicus imperat : tunc enim tempus in contentionibus et dissidiis incassum non teritur, ut in comitiis deliberantibus sæpe contingit. Comitia tamen non excludimus ; sed dicimus perfectius esse gubernium si vis imperandi resideat tantum in uno, qui virorum experientia et scientia commendatorum consiliis utatur. Ergo, etc.

3° Qui solus præest societati, eam tanquam rem suam gubernat, plures vero administratores eam velut rem communem curant : porro experientia constat homines cum majori sollicitudine rem propriam gerere ac curare quam rem communem. Ergo, etc.

4° Ad bonum regimen domus, navis et exercitus unicus esse debet dominus, rector aut imperator : ergo, a pari, in societate politica, tutius consulitur paci et concordiæ per regimen monarchicum, quam per quamlibet aliam regiminis formam : ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Monarchia hæreditaria anteponenda est monarchiæ electivæ.

Nota. In hac propositione, nullo modo intendimus includere Romanorum pontificum monarchiam, quæ ob peculiares sui generis rationes, undequaque notabilissima et perfectissima est.

Prob. 1° Hæc anteponenda est monarchiæ forma quæ naturæ conformior, paci concordiæ et perpetuitati magis favet : atqui talis est monarchia hæreditaria. Quid enim naturæ conformius quam ut filius locum patris obtineat et vices ejus gerat? Quid paci, concordiæ et perpetuitati magis favet quam talis hæreditas, tumultus populi, dissensiones et bella inter cives præcavens? Ergo, etc.

2° Hæreditate supremæ auctoritatis semel admissa, princeps seipsum in descendentibus suis considerat, amorem patriæ dilectioni filiorum suorum et totius familiæ consociat, et fortius ac constantius administrationi reipublicæ incumbit, sicque bonum ejus procurat efficacius. Ergo, etc.

3° Hæreditas familias regnantes illustrat, easque commendabiliores populo efficit. Multo magis namque inclinatur populus ad honorem præstandum et obedientiam exhibendam ei qui ex longa serie regum descendit, quam alteri antea ignoto. Ergo sub hujusmodi regimine bonum publicum efficacius obtinetur. Ita *Bossuet*, *Politique sacrée*, l. 2, art. 1, prob. 9 et 10.

Dices : In hac gubernii forma sæpe contingit principes adhuc infantes, vel stupidos, infirmos aut perversos, ad fastigium supremæ auctoritatis pervenire : ergo talis forma non est anteponenda.

R. Nego consequentiam. Non diffitemur quidem maxima nonnumquam oriri mala ex eo quod princeps adhuc infans, vel stupidus, infirmus aut depravatus, patri suo succedat : id plurimis exemplis confirmari posset. Sic multi æstimant primam causam omnium malorum quibus tam for-

titer, a sexaginta annis, concussa est patria nostra, in administratione regni sub minoritate Ludovici XV reponendam esse. Sed falsum est maxima hæc mala inde frequenter et quasi necessario provenire. Vel enim regnum bene constitutum est, vel non : si prius, sapiens communiter instituitur administratio (*régence*), et tunc ordinarie gravia non timenda sunt mala ; saltem longe minus probabilia sunt quam ea quæ ex electione principis oriri solent : si autem constitutio regni sit mala, adeo ut tempore minoritatis publicæ administrationi sapienter non provideatur, innumera quidem inde provenient mala, sed monarchiæ successivæ tribui non debent, ut patet. Ergo, etc.

Hinc concludendum est formam monarchiæ temperatæ, modo recte sit constituta, esse perfectiorem. Magna enim corpora politica, ut aiunt, conservationi institutionum publicarum continuo invigilant, abusus præcavent, aut exortos corrigunt, jura principis et utilitates populi simul defendunt, etc. Ergo, etc.

SECTIO TERTIA.

De titulis quibus summa auctoritas acquiritur.

Quinque numerantur tituli quibus suprema auctoritas legitime acquiri potest, nempe, libera electio, victoria in bello justo, fœdus pacis, legitima successio et solida præscriptio.

1° *Libera electio.* Quamvis enim summa auctoritas in populo non resideat, nec a populo conferri possit, certum est tamen, secluso anteriori contractu et alio titulo politicæ auctoritatis non existente, populum vel primores gentis, juxta constitutionem, aliquem eligere et supremum principem constituere posse, ut diximus supra, de origine societatis : id ab omnibus admittitur. Qui autem sic eligitur, jus imperandi a Deo accipit, ut supra diximus, pag. 607.

2° *Victoria in bello justo.* Qui enim bellum injuste declaravit, vel injurias alteri intulit et satisfactionem debitam recusavit, periculo armorum se suaque commisit : si vero vincatur, tam auctoritate publica quam bonis suis spoliari

potest. Ita fert consuetudo apud omnes gentes in cunctis sæculis recepta

3° *Fœdus pacis*, imo et quodlibet aliud fœdus. Quemadmodum enim privati, patresfamilias, v. g., de bonis suis per varios contractus disponere possunt, sic et ii qui supremam auctoritatem exercent, modo regulas æquitatis ac sanæ administrationis sequantur. Ita fert iterum mos ubique receptus, ut ostendemus infra, pag. 627

4° *Legitima successio*. Auctoritas quippe est quid reale sicut bona temporalia, scilicet juribus positivis fundatum, ut supponitur; ergo via successionis, sicut bona temporalia, transmitti potest, nisi aliqua lex fundamentalis in societate recepta contrarium statuat. Imo, sicut proprietas bonorum via naturali ad descendentes et proximos consanguineos transit, sic naturæ conformius est ut auctoritas suprema ad descendentes, vel iis deficientibus, ad proximos consanguineos transeat. Nonnullæ tamen institui possunt conditiones arbitrariæ, v. g., quod mulieres eam obtinere nequeant.

Suprema auctoritas dividi non potest inter hæredes, sicut dividuntur bona. Nam in utilitatem societatis politicæ fuit instituta : atqui talis divisio ad utilitatem societatis non vergeret, sed illi potius adversaretur. Hujusmodi tamen olim factæ sunt divisiones, sive per actum inter vivos, sive per testamentum, sed in detrimentum reipublicæ versæ sunt et quoddam jus politicum nunc ubique receptum eas non permittit.

5° *Solida præscriptio*. Titulo enim præscriptionis bona fortunæ legitime acquiri possunt; ergo et auctoritas suprema, siquidem naturæ proprietatis bonorum, nempe ratione jurium quibus nititur aut statuitur, participat. Aliunde hæc admittenda est doctrina sine qua ordo publicus turbaretur : atqui, nisi suprema auctoritas præscriptione acquiri posset, ordo publicus turbaretur; nam inde sequeretur fere omnes principes nunc regnantes esse usurpatores, et e solio descendere teneri, siquidem fere omnes alium non habent titulum præter longam possessionem tranquillam. Ergo, etc.

Ut proprietas bonorum via præscriptionis legitime acquiratur, plures necessariæ sunt conditiones, nempe bona fides, titulus coloratus et quædam aliæ lege positiva statutæ. *Code civil*, art. 2219 et seq. : verum omnes conditiones istæ non sunt necessariæ ut suprema auctoritas valide acquiratur, sed longa posessio tranquilla sufficit, præsertim si jam non existat legitimus principis expulsi successor qui ad coronam prætendat; alioquin florentissima regna turbarentur, ut patet. Quænam autem esse debeat duratio temporis ad perficiendam hujusmodi præscriptionem requisita, certa regula determinari non potest. Hæc duo certa videntur, scilicet, 1° principem qui supremam auctoritatem de facto et post prædecessores suos tranquille exercet, esse legitimum, tam coram Deo quam coram hominibus, si nullus jam existat prætendens ad thronum; subditos debere obsequium principi supremam auctoritatem de facto exercenti, quando, habita ratione circumstantiarum, impossibile est primam dynastiam solio restituere. Hoc exigit ordo publicus et ratio præscribit. Ita ferme *Puffendorff*, l. 4, c. 12, n, 11.

SECTIO QUARTA.

De characteribus supremæ auctoritatis.

Præcipui supremæ auctoritatis characteres sunt ejus independentia, inviolabilitas, unitas et perpetuitas.

PUNCTUM PRIMUM. — De independentia supremæ auctoritatis.

Auctoritas quæ ab alia penderet, jam non esset suprema. Sive ergo magnam, sive parvam societatem regat, necesse est ut nullum superiorem temporalem agnoscat in terra. Unde princeps cujus minimæ sunt ditiones, tam independens est in exercitio potentiæ suæ quam potentissimus imperator.

Hinc 1° ab ultima sententia supremæ auctoritatis nulla est appellatio; appellatio enim fieri non potest nisi ab inferiore ad superiorem.

Hinc 2° solus Deus supremam auctoritatem et actus

ejus judicare potest, cum solus ipsius sit superior : principes igitur sunt velut tot dii, ut apprime dicit Scriptura, Ps. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.*

Hinc 3° nullis legibus civilibus, proprie loquendo, tenentur supremi principes. Nam, vel alienis legibus tenerentur, vel suis : atqui neutrum dici potest : non alienis, cum nullum agnoscant superiorem in ordine temporali; non suis, quia nemo seipsum obligare potest. Attamen in materiis sibi et subditis communibus leges suas observare debent, non quidem vi proprii mandati, sed vi legis naturalis quæ jubet ut ipsi æquitatis regulas custodiant et bonum exemplum præbeant subditis.

Hinc 4° licet auctoritas principis, in monarchia temperata, intra determinatos limites coerceatur, non ideo superiorem agnoscit; v. g., quamvis rex leges sine consensu unius vel duplicis conventus perficere nequeat, non tamen conventus ipsi constituuntur superiores. Præterea de suprema auctoritate loquimur : at suprema auctoritas, quoad leges condendas, in rege et in utroque conventu simul, in eo casu, residet.

PUNCTUM SECUNDUM. — De inviolabilitate supremæ auctoritatis.

Cum suprema auctoritas nullum agnoscat superiorem, nulla vis coercitiva adversus illam exerceri potest; unde sequitur illam nunquam legitime puniri posse : ergo vere est inviolabilis Aliunde, principium quod totam perturbaret societatem admitti non potest : at principium quo statueretur supremam auctoritatem violari posse, totam turbaret aut saltem turbare posset societatem. Id certe a nemine negari potest. Ergo, etc.

Hinc sequentia notatu digna colliguntur :

1° Supremam auctoritatem fortem esse necesse est, ita ut quoslibet sibi obtemperare recusantes cogere valeat; si enim mandata ejus impune violarentur, jam ipsa inviolabilis non esset et fines a se intentos obtinere nequiret.

2° Adversus supremam auctoritatem nunquam insurgere licet, etiamsi qui illam exercent dure et aspere sub-

ditos tractarent. Hujusmodi enim vitia jus non magis destruunt in imperante quam in patre : at certe filii ob talia vitia adversus patrem insurgere nequeunt ; ergo nec subditi adversus principes. Imo quemadmodum filius vi aperta contra patrem, injustissime eum tractare volentem, pugnare licite non posset, sed potius fugere deberet; sic et subditus a principe injuste vexatus fugere potest, non vero adversus eum rebellare.

Unde gravissimi delicti sunt rei qui, sub prætextu reformandi abusus in gubernio existentes, viros armatos contra principem excitant illumque ad novam constitutionem cum juramento acceptandam cogunt. Sunt enim rebelles.

3° Si quidam abusus in administratione publica irrepserint, principem dictis vel scriptis, cum debita reverentia, admonere, argumentis convincere eumque simpliciter rogare licet, ut eos cessare faciat. Interea patienter exspectandus est supplicationis effectus.

4° Aliquando tamen fieri potest ut principem evidenter prævaricantem deponere liceat, nempe si talis sit constitutio regni, et instituti sint ordines civium qui in hoc casu pronuntiare debeant. Præter hunc casum rarissimum, præcipui civium ordines, vel, ut aiunt, corpora politica, principem gubernii omnino incapacem, v. g. insanum, sub tutela redigere possunt. Eodem modo, et non aliter, tyrannum potestate sua evidenter abutentem cohibere liceret.

PUNCTUM TERTIUM. — De unitate supremæ auctoritatis.

Eo ipso quod auctoritas sit suprema, est unica : si enim non esset unica, vel aliam sibi superiorem agnosceret, et tunc non esset suprema ; vel cæteræ ipsi saltem quodammodo subjectæ essent, et tunc ipsa sola esset suprema ; vel aliæ ipsi forent æquales, et tunc non una existeret societas, sed plures societates a se invicem independentes. Ergo suprema auctoritas necessario est una, sive unus eam possideat, sive plures collective sumpti eam simul exerceant : nam in eo casu majoritas suffragiorum est expressio

voluntatis imperantis : porro majoritas suffragiorum est quid unum et simplex. Ergo, etc.

Hinc qui sub primaria auctoritate quamdam auctoritatem civilem exercent, eam proprie non habent, sed illius sunt duntaxat depositarii, et vocantur delegati. Inter delegatos autem alii jurisdictionem habent in omnes subditos, ut primarii ministri; alii jurisdictionem intra certos limites territorii vel personarum coercitam, quales sunt apud nos *les préfets, les sous-préfets, les maires, les juges, les officiers militaires*, etc. Hi omnes potestatem suam a suprema auctoritate immediate accipiunt, et mediate a Deo qui jubet ipsis obtemperari.

PUNCTUM QUARTUM. — De perpetuitate supremæ auctoritatis.

Nullæ institutiones humanæ sunt perpetuæ : omnes quippe decursu temporum variis modis mutantur, infirmantur, et tandem pereunt. Itaque non absolute dicimus supremam auctoritatem esse perpetuam : verum contendimus illam ex natura sua non esse ad tempus, sed stabilem et ad perpetuitatem tendere ; quod sic probamus :

1° Genus humanum existere non potest quin per societates politicas dividatur, sicut semper divisum fuit, et societates politicæ sine auctoritate suprema esse nequeunt : atqui naturalis ordo evidenter postulat ut singulæ societates politicæ sint stabiles sicut familiæ, ita ut nulla sit unquam anarchia.

2° Si auctoritas suprema ad tempus tantum duratura esset, aliquem agnosceret superiorem qui eam sic limitaret et cessare cogeret : atqui, ex dictis, hoc repugnat.

3° Auctoritas suprema est sacra et inviolabilis, nunquam subditi adversus illam rebellare possunt : ergo nulla est causa quæ eam legitime destruere possit ; ergo ex natura sua stabilis est ac perpetua.

Hic autem agimus de ipsamet auctoritate suprema in se sumpta, non autem de modo illius exercitii, qui, juxta circumstantias, varius esse potest.

Inde inferendum est cunctos homines sub aliqua auctoritate politica nasci, sicut sub aliqua potestate paterna, et

eam gubernii formam, sub qua nati sunt, honorare teneri: nulla ergo futura est generatio quæ recte contendere possit se erga principes legitime sibi succedentes minus obstringi quam primam generationem, quæ principem elegit aut regimini ejus consensit : contraria enim doctrina totum ordinem publicum subverteret, ac proinde falsa est et rejicienda.

SECTIO QUINTA.

De attributis supremæ auctoritatis.

Supremæ auctoritatis attributa sunt : 1° bellum indicere et facere ; 2° pacem et fœdera inire ; 3° leges condere ; 4° justitiam exercere et crimina punire ; 5° de bonis subditorum pro bono publico disponere ; 6° constitutiones regni exstantes reformare aut perficere. De his omnibus in sex punctis breviter tractabimus.

PUNCTUM PRIMUM. — De potestate bellum indicendi et faciendi.

Si homines in statu naturæ puræ existerent, nonnullis quidem officiis erga se invicem tenerentur, scilicet. officiis justitiæ, charitatis, benevolentiæ, etc. Hæc enim lex naturalis a Deo sancita evidenter præscribit : at nemo posset dissidia inter eos exorta judicare, innocentes protegere. nocentes reprimere, delinquentes punire, nisi eos vi aperta debellando. Sic variæ societates politicæ sunt relative ad se invicem, id est, sunt reipsa in statu naturæ puræ. Cum enim singulæ sint supremæ et a se invicem independentes, nulla est quæ jus eas judicandi habeat : debent ergo justitiam erga se invicem servare, benevolentiam exercere, cæteraque legis naturalis officia implere. Hinc ortum est apud omnes vel saltem apud plerasque gentes jus consuetudine introductum et vocatum *jus gentium*, quod non est ipsamet lex naturalis, sed quod ejus conclusiones applicationesque proximas, *positive* determinatas, complectitur. Si vero inter eas nascatur dissidium, quod mutuis explicationibus et reciprocis conventionibus componi nequeat, sola vi armorum definiri potest : quandoque igitur bellum fit necessarium, licet

semper sit lugendum. Unde omni tempore fuerunt bella. Paucis verbis nobis dicendum est 1° de bellis justis ; 2° de bellis injustis ; 3° de modo bellum faciendi, et 4° de jure in bello acquisito.

De bellis justis.

Bella dicuntur justa quando non suscipiuntur nisi ob rationes justas. Justæ autem rationes bella suscipiendi sunt 1° injustæ aggressiones et actus hostilitatis ex parte alterius supremæ auctoritatis, et in eo casu bellum dicitur *defensivum;* 2° injusta debiti negatio ; 3° injuriæ illatæ reparatio quæ aliter obtineri non potest, v. g., si dignitas regia in persona legatorum fuerit offensa; 4° necessitas obtinendi legitimas securitates ; 5° manifesta juris gentium erga subditos violatio, v. g., injusta civium spoliatio, occisio, etc. Tunc ea bella vocantur *offensiva*, et sunt licita. Gubernia enim suam existentiam suaque jura et dignitatem conservare debent : atqui hæc alio modo conservare nequeunt, ut supponitur. Ergo, etc.

Ingentia igitur mala quæ ex bello communiter sequi solent, potestati injuste aggredienti, vel injurias inferenti aut illatas reparare nolenti, tribuenda sunt. Fieri tamen potest ut pars utraque bona fide sibi persuadeat se legitima habere motiva bellum aggrediendi vel provocandi, et tunc neutra coram Deo increpari potest, quamvis amare dolendi sit locus.

De bellis injustis.

Bellum semper est injustum si absque necessitate suscipiatur, v. g., 1° ob vanam gloriam, ad nomen celebre sibi comparandum ; 2° ambitionis causa, ad dominationem suam extendendam ; 3° ex avaritiæ motivo, ad acervandas ampliores divitias ; 4° ex invidia, ne altera potestas præcellat, vel ut præcellens deprimatur ; 5° ex desiderio commodiorem locum obtinendi ; 6° ex voluntate a solvendo debito se liberandi vel contractui oneroso non standi, etc.

Qui ob vanas vel injustas hujusmodi causas bellum aggrediuntur, cunctorum malorum inde provenientium

fiunt principium efficax, ea igitur ex justitia reparare tenentur et rationem de illis supremo Judici reddent.

Summopere cavere debent principes ne cupiditatibus abripiantur, vel perfidis aulicorum consiliis potius quam justitiæ regulis cedant. Caveant et ipsi consiliarii principum ne præcipitatione ducantur, vel ex ignorantia pronuntient vel aliqua cupiditate trahantur, et ad bellum injustum vel imprudens efficaciter moveant; tunc quippe grandissimi delicti contra justitiam fierent rei.

Sola auctoritas suprema bellum aggredi potest. Nam illud remedium est extremum, et extra necessitatem adhiberi non potest : atqui sola auctoritas suprema in tali necessitate constitui potest ut ad bellum necessario confugere debeat. Quicumque enim sunt inferiores, ad auctoritatem sibi superiorem appellare vel recurrere, sicque convenientem satisfactionem obtinere possunt; contra vero qui supremam auctoritatem exercent, sola bellorum via justitiam ultimo loco efficaciter obtinere valent. Ergo privati possunt quidem, ut diximus, vitam propriam contra injustum aggressorem defendere, nunquam autem licet ipsis bellum indicere vel suscipere.

De modo bellum faciendi.

Jus gentium, ut aiunt, superius a nobis definitum, prohibet ne bellum *offensivum* ante quamdam saltem declarationem suscipiatur. Bellum enim licitum esse non potest nisi sit necessarium : porro bellum *offensivum* reputari non potest necessarium, nisi prius satisfactio debita fuerit postulata et tempore sufficienti exspectata ut prudenter judicare liceat eam denegari. Hæc autem satisfactionis postulatio, cum minis expressis vel subauditis, est vera belli declaratio.

In bello *defensivo* nulla requiritur declaratio. Etenim ratio omnibus clamat vim injuste illatam vi opposita statim repelli posse.

In bello justo legitime suscepto plurima sunt licita, alia prohibita.

1° Licitum est 1° efficaciora adhibere media ac capien-

dos, vulnerandos et etiam occidendos hostes. Finis enim belli obtineri non potest quin superentur et vincantur hostes; superari autem et vinci non possunt nisi per flebilia hujusmodi media. Ergo, etc. 2° Bona reipublicæ et ipsa bona privatorum, quatenus reipublicæ utilia esse possunt, diripere, auferre, incendere et destruere, non quidem sola auctoritate militum, sed jussu vel approbatione ducum, quando id necessarium esse judicant. 3° Urbes et arces obsidere, tormenta omnis generis contra illas explodere, quælibet ædificia incendere aut evertere, quamvis cum hostibus multi innocentes et forsitan extranei perire debeant. 4° Insidias parare, stratagemata adhibere ut hostes, fallaciis decepti, in discrimina conjiciantur, efficacius expugnentur, capiantur vel occidantur. Hæc non reputantur mendacia, quia usitata sunt in bello, et culpa sua tantum decipiuntur adversarii. 5° Transfugas et proditores ex parte adversa venientes suscipere, quamvis fugiendo peccent, eos interrogare, indiciis ab eis acceptis uti, etc. Hæc enim adhuc ubique recepta sunt ut licita.

Contendit *Puffendorf*, l. VIII, ch. 6, n. 16, licitum esse adversarios milites ad transfugium vel ad proditionem excitare, pecuniis, promissionibus, aliisque illecebris eos tentare ac seducere. Verum hæc opinio sanæ morali conformis esse non videtur. Non licet, ob quamcumque causam, aliquem ad rem intrinsece malam sollicitare : atqui prædicti milites patriam et principem suum prodere non possunt quin peccent : ergo qui eos seducere intendunt, ad rem intrinsece malam sollicitant. Ergo, etc.

2° Non licet 1° infantes, mulieres, senes et quotquot non sunt armati, directe occidere, quia vere non sunt hostes, saltem actu; 2° nec victos jugulare; tunc quippe finis belli absque occisione obtineri potest, cum hostes semel capti et armis exuti jam nocere nequeant : plures excipiunt, nisi capti sint numerosiores ut tuto custodiri possint, dum sustinendum est prælium; nec internuntiis aliquid molestiæ inferre, nam jure gentium semper inviolabiles esse debent; 3° nec agros deprædari, nec domos incendere, nisi in quantum ad obtinendum finem belli

necesse est; 4° nec spiculatores mittere qui principem, ducem exercitus vel alios primores regni occulte trucident; talis quippe agendi ratio semper habita est ut perfida, nisi in ipsomet prælio exerceatur; 5° nec fœdera aut inducias violare; talis enim violatio est adhuc perfidia contra jus gentium et recta ratione damnata.

De jure acquisito in bello.

In bello evidenter injusto nihil legitime acquiri potest, ut patet. At in bello justo legitime acquiruntur, juxta omnes : 1° spolia hostium, sive occisorum, sive vulneratorum, sive captorum, sive fugientium; 2° omnia arma et instrumenta bellica, cujuscumque generis annona, publici æris pecunia, etc.; 3° quæcumque mobilia et immobilia ad rempublicam pertinentia : hæc ad principem, cujus nomine bellum infertur, pertinent, exceptis tamen spoliis militum, quæ ex usu recepto victoribus cedunt, et mobilibus, quæ in direptione urbis legitime permissa rapiuntur.

4° In bello legitimo acquiritur jus in populos victos regnandi. Id quippe admitti debet ut validum quod semper et ubique sic admissum est: atqui semper et ubique admissum est jus populis victis imperandi eosque gubernandi in bello justo legitime acquiri posse. Præterea auctoritas in populos est quid reale sicut jus in bonum jam possessum vel ad bonum aliquod possidendum : ergo, quemadmodum bona fortunæ legitime acquiruntur in bello justo, sic et auctoritas gubernandi populos, quidam tamen, ut *Grotius* et *Puffendorf*, arbitrantur hujusmodi auctoritatem in bello acquisitam non valere, donec populus consentiat. Sed hæc opinio doctrinæ Protestantium, cui adhærebant dicti auctores, sat conformis, ideis communiter receptis et consuetæ omnium sæculorum praxi repugnat.

PUNCTUM SECUNDUM. — De potestate pacem concludendi et fœdera ineundi.

Potestas de pace tractandi, eamque concludendi, necessario annexa est potestati bellum faciendi; id nemo infi-

ciari potest. Omnis ergo et sola auctoritas suprema fœdera pacis inire valet.

Duplex distinguitur pax publica, una, scilicet, ad tempus, et dicitur induciæ (*tréve*) vel armorum suspensio; altera vero in perpetuum, quæ est plena dissidiorum compositio.

Certum est supremas auctoritates ex jure gentium strictissime obligari fœdera pacis et cunctas conditiones in eis expressas et ab utraque parte libere subscriptas observare. Attamen, ut partes contrahentes arctioribus vinculis inter se devinciantur, solemnitatem juramenti adhibere solent, obsides sibi mutuo sæpe tradunt: aliæ auctoritates supremæ ut mediatrices fœderi participant, et pro religiosa observatione ejus fidejussores sese constituunt, promittentes auxilium contra partem quæ, sine causis legitimis, prima illud frangeret.

Quæritur utrum suprema potestas aliquam portionem ditionum suarum, v. g., urbes, castella, etc., per contractum valide cedere possit.

R. Plures auctores id negare videntur; ad validitatem enim hujusce cessionis expressum vel tacitum populi consensum requirit *Grotius*, l. 3, ch. 20, n. 5, sic etiam *Puffendorf*. Sed longe probabilius est hunc consensum non requiri. Quod enim in omnibus retro sæculis habitum est ut validum et licitum, nunc haberi non potest ut nullum: porro in omnibus retro sæculis, imo et temporibus nostris, semper creditum est supremam auctoritatem, sive ab uno, sive a pluribus exerceatur, tales cessiones valide facere posse, et populos ita transmissos novo gubernio obedire teneri. Quemadmodum enim membrum amputare licet ut totum servetur corpus, ita et portionem regni cedere, ut majus vitetur malum, vel ut præstantius obtineatur bonum. Ergo, etc.

Alia iniri solent fœdera cum vicinis potestatibus, et dicuntur gallice *alliances*.

Publicæ hujus generis conventiones habent pro objecto, modo res jure gentium evidenter præscriptas, v. g., mutua humanitatis, benevolentiæ, æquitatis, etc., officia,

modo conditiones positivas legi naturali superadditas, v. g., pactum mutuæ defensionis vel aggressionis contra aliam potestatem. Nullum est dubium quin talia fœdera inire liceat, et initis stare oporteat.

PUNCTUM TERTIUM. — De potestate leges condendi.

Suprema potestas id omne habere debet quod necessarium est ad regendam societatem sibi commissam. Porro societatem sibi commissam prudenter regere non potest quin multa jubeat et multa prohibeat; nam coercendæ sunt cupiditates, et homines avertendi sunt a vitio vel excitandi sunt ad virtutem; cum autem impossibile sit hæc omnia jubere vel prohibere per mandata transitoria, ad singulas personas pro singulis circumstantiis directa, necesse est ut quædam statuantur regulæ quas omnes, juxta conditionem suam, sequi debeant. Jam vero generales illæ regulæ dicuntur *leges*. Quid sit lex supra diximus, p. 475.

Duplex est objectum circa quod leges civiles versari possunt, scilicet, res jure naturali jam præscriptæ vel prohibitæ, et res ex natura sua indifferentes.

1° *Res jure naturali jam præscriptæ vel prohibitæ.* Cum enim homines, vitiis obcæcati et cupiditatibus abrepti, legem naturalem sæpe non intelligant, aut intellectam non custodiant, sapientis est auctoritatis efficaciora quærere media quibus errantes reducat, delinquentes corrigat, et æterna cuncti ordinis principia, quantum potest, tueatur. Necesse est ergo ut leges civiles præcipua saltem legis naturalis præcepta sanctione sua muniant, ea præcipientes quæ jam præcepta sunt, et ea vetantes quæ sunt prohibita, v. g. homicidium, furtum, etc., sed tantum quatenus illæ præscriptiones vel prohibitiones, in suo ordine, bono societatis inserviunt, et quantum prævidetur illarum observationem premi et obtineri posse.

2° *Res ex natura sua indifferentes.* Nam sæpe necesse est ad bonum publicum ut res hujusmodi præcipiantur, v. g., nonnullæ formalitates in solemni contractu; vel prohibeantur, ut, v. g., actio deferendi arma, nisi sub

tali conditione, aut iter faciendi sine attestatione, vulgo dicta *passe-port*, etc.

PUNCTUM QUARTUM. — De potestate justitiam exercendi, crimina atque delicta puniendi.

Attentis variis hominum judiciis circa eadem objecta, et variis animarum ac voluntatum dispositionibus, impossibile est multas non exorturas esse dissensiones, quæ perpetuæ forent, et innumera generarent mala, nisi ab aliquo tribunali supremo definirentur : illas autem definire, est justitiam exercere, id est, assignare ex qua parte stet justitia : porro sola auctoritas suprema cunctas dissensiones ultima sententia definire potest per se vel per delegatos suos.

Ad bonam reipublicæ administrationem requiritur ut justitia sit fortis, vi insuperabili armata, et sententias suas ad completam exsecutionem efficaciter conducere valeat; alioquin leges vanæ et illusoriæ essent, ac proinde finem suum attingere non possent. Sola vis autem sufficiens, sunt milites jugiter armati, ad jussum principis vel magistratuum obtemperantes, qui delinquentes apprehendant et ad officia sua implenda compellant. Verum hæc adhuc non sufficiunt : requiritur insuper ut convenientibus pœnis leges sanciantur; multi namque sunt homines qui, seposito Dei timore, solo metu humano ad servandas leges determinari possunt : atqui metu humano cohiberi non possent si nullis pœnis sancirentur leges. Necesse est igitur ut, instituendo leges humanas, congruæ simul decernantur pœnæ delinquentibus infligendæ, quibus contineatur multitudo.

Pauca nobis dicenda sunt 1° de pœnis in genere; 2° de pœna mortis in specie, et 3° de delictis et criminibus puniendis.

De pœnis in genere.

Pœna in genere est malum a superiore ob culpam illatum. Dicitur 1° *malum*, quia alioquin non esset pœna nec sanctio legis. Dicitur 2° *a superiore illatum;* malum enim a privato quacumque de causa illatum, haberi non potest

ut sanctio legis. Dicitur 3° *ob culpam*, quia si ob alium finem inferretur, v. g., si dux exercitus jubeat ut milites in evidens periculum se conjiciant ad capiendam urbem, hoc non habetur ut pœna.

Pœnæ infligi non possunt præcise ut reus patiatur; tunc enim esset barbaries evidenter illicita. Semper igitur aliquis intendi debet finis honestus, nempe, 1° emendatio ipsius rei; sic patres corripiunt filios ut a vitiis eos avertant; vel 2° utilitas personæ læsæ, scilicet, ut damnum illatum resarciatur, aut ne aliud inferatur; vel 3° bonum publicum, videlicet, ut malefactores perterriti a malo abstineant, ne similem pœnam et ipsi luendam habeant.

Pro sapienti administratione justitiæ in regno, necesse est ut pœnæ singulis delictorum et criminum speciebus proportionatæ, quantum fieri potest, legibus ipsis statuantur; expedit enim ut in materia tanti momenti stabiles sint regulæ quas judices sequi teneantur, et nihil remaneat arbitrarium. Legislatores crimina speculative tantum considerant, cupiditatibus non exagitantur; omnia seria attentione et maturo examine perpendunt; judices, e contra, reum coram oculis habent, testes et advocatos audiunt, adstantes vident, desolatione familiæ commoventur, præcibus sollicitantur, etc. Ergo timendum esset ne a stricta justitia sæpe recederent. Aliunde nulla daretur uniformitas inter varia tribunalia, ut patet; contra vero ubi singulæ pœnæ legibus ipsis decernuntur, eadem ubique est regula. Ergo, etc.

De pœna mortis.

Quamvis supponat *Rousseau*, et probet, *Contrat social*, l. III, ch. 5, malefactores ad supplicium mortis damnari posse, paulo post in eodem capite contrarium dicere videtur; hæc sunt ipsius verba: « *Il n'y a point de méchant qu'on ne pût rendre bon à quelque chose. On n'a droit de faire mourir, même pour exemple, que celui qu'on ne peut conserver sans danger.* »

Nonnulli recentes *philanthropi*, ulterius progredientes,

affirmaverunt malefactores diversis pœnarum generibus affligi posse, nunquam vero morte plecti debere, quia alio modo emendari vel contineri possunt.

PROPOSITIO.

Suprema auctoritas pœnam mortis contra malefactores decernere potest.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Rom., XIII, 4 : *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Hæc autem verba de potestate inferendi mortem semper intellecta sunt : ergo 1°, etc.

Prob. 2° *ratione.* 1° Quod apud omnes gentes semper fuit in usu et habitum est ut licitum, nunc temere damnaretur ut illicitum : atqui semper fuit in usu et creditum est apud omnes gentes licere pœnam mortis contra malefactores decernere. Ergo, etc.

2° Omnis pars ordinatur ad totum, illique cedere debet : sic membrum vitiatum corporis humani amputare licet ut ipsum corpus servetur. Porro singuli homines sunt relative ad corpus politicum sicut membra relative ad corpus humanum : ergo suprema auctoritas conservationi totius corporis invigilans, malefactores illi nocentes aut nocere tentantes, resecare et morte plectere potest.

3° In bello legitime suscepto, licet, juxta omnes, adversarios vulnerare, mutilare et occidere, quia id conservatio vel dignitas corporis politici exigit : ergo, a pari, malefactores privatos reipublicæ vere nocentes aut nocere volentes occidere licet. Vide *Grotium*, lib. 2, c. 20, n. 8 et seq.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Alio modo semper contineri et a malo inferendo prohiberi possunt malefactores : ergo eos occidere non licet.

R. Nego conseq. Bonum enim publicum non tantum exigit ut malefactores a novo malo inferendo prohibean-

tur, sed insuper ut cæteri homines salutari severitatis exemplo terreantur : atqui pœnis morte mitioribus cæteri homines sufficienter non terrerentur. Sæpe enim nunc gaudent atrociora patrare crimina, quamvis sciant probrosam mortem sibi deprehensis imminere; quid ergo facerent, si talem pœnam non formidarent?

Obj. 2°. Quod malum est in se, fieri non potest licitum etiam ob bonum finem : atqui malum est in se aliquem voluntarie occidere : ergo, etc.

R. Dist. min. Malum est in se occidere innocentem, *conc.;* occidere nocentem, *nego min.* Equidem voluntarie occidere innocentem, est quid malum in se; nulla enim excogitari potest ratio cur illud licite fieri posset, ne quidem ob totius societatis conservationem, quia non facienda sunt mala ut eveniant bona. Verum occidere nocentem, non est quid malum in se. Seipsum enim vel patriam defendere, est quid valde bonum; hinc bellum justum inire, injustum aggressorem occidere licet, ut ostendimus. Porro suprema auctoritas societatem defendit, quando malefactores morte plectendos esse decernit. Ergo, etc.

Ut igitur mors contra malefactores juste decernatur, duo requiruntur, nempe, auctoritas suprema et causa sufficiens.

1° *Auctoritas suprema.* Vel enim sola auctoritas suprema per se vel per suos delegatos pœnam mortis juste decernere potest, vel privati homines eam juste decernere possunt : atqui posterius admitti non potest : 1° quia pœna mortis infligi non potest, nisi ob conservationem corporis politici seu societatis; privati autem curam societatis non habent; 2° quia timendum esset ne privati deciperentur, aut cupiditatibus potius quam justitiæ servirent; 3° quia nulla esset securitas in mundo, et quotidiana circumquaque viderentur homicidia. Ergo, etc.

2° *Requiritur causa sufficiens.* Certum est enim aliquam proportionem inter pœnam et delictum dari oportere : mors autem maximum est malum hominis; ergo decerni non debet nisi pro gravissimis delictis, et quando bonum publicum exigit ut inferatur. Supremæ auctoritatis est judi-

care an causa sit sufficiens, nec ne. Non præcise consideratur natura delicti vel criminis, sed finis et consectaria ejus in ordine ad conservationem societatis spectari debent. Unde nimiæ severitatis non facile arguendæ sunt leges militares, quæ pro delictis apparenter levibus pœnam mortis decernunt; ad conservationem enim disciplinæ militaris judicantur necessariæ.

Grotius, in loco modo citato, expresse docet strictum dari præceptum legis naturalis concedendi damnatis ad mortem tempus sufficiens ut ante supplicium dolere, precibus et, si fieri possit, religionis auxiliis, misericordiam apud Deum consequi valeant. Qui vero ad meliores fruges redire nolunt, nihilominus hora determinata supplicio affici possunt: si enim æternaliter pereant, hoc sibimetipsis imputare debent.

Ex dictis patet pœnas morte inferiores, v. g., exsilium, carcerem, bonorum spoliationem, etc., a suprema auctoritate juste decerni posse; qui enim potest majus, potest et minus in eodem genere.

Pœna autem confiscationis bonorum abolita est art. 66 Chartæ a Ludovico XVIII conditæ et solemniter promulgatæ die 5 junii 1814. Eadem dispositio fuit renovata in Charta die 7 augusti 1830, art. 8, 9 et 57, anno 1848, in nova Constitutione institutioni reipublicæ accommodata, art. 12, et conservata sub regimine imperiali.

Cum judices auctoritatem tantum delegatam habeant, a severitate legum in applicanda pœna temperare nequeunt: toti esse debent ut crimen certissime noscant et non nisi reos pœnis afficiant. Si autem, diligenti inquisitione facta, dubium adhuc maneat, partem accusato faventem amplecti debent, quia melius est periculo reum absolvendi se exponere, quam periculo innocentem condemnandi: attamen non exspectanda est certitudo absoluta, quæ in moralibus raro habetur, sed ea certitudo quæ ex judiciis virorum prudentium oritur et veram animi convictionem parit, quamvis contrarium forsitan sit verum, ut pluries accidit: sola enim hæc regula in moralibus admitti potest. Si autem judices aut cives jurati, qui vulgo dicuntur

jurés, prudenter judicando errant, error ipsis non imputabitur.

Solius auctoritatis supremæ est gratiam reis juridice damnatis concedere, sive pœnam commutando, sive eam penitus condonando : hoc frequenter fieri non debet, et nunquam nisi ob motiva indulgentiam quasi sollicitantia, qualia sunt ignorantia, defectus experientiæ, obsequia magni momenti jam præstita aut in futurum præstanda, extraordinaria doloris signa, etc.

De criminibus et delictis puniendis.

Certum est omnia peccata ab auctoritate suprema pœnis affici non posse. Quæ enim auctoritas plenam haberet potestatem puniendi cuncta peccata superbiæ, ambitionis, avaritiæ, luxuriæ, detractionis, ingratitudinis, etc.? Aliunde multa peccata sunt mere interna et soli Deo nota : ab ipso igitur solo puniri possunt.

Non expedit ut proportionatæ decernantur pœnæ contra quæque peccata exterius commissa, etiam gravissima et quæ facile probari possunt, tum quia minus directe ad ruinam societatis tendunt, tum quia frequentiora sunt ut ad ea requirenda et punienda sufficiant judices, tum quia ex nimia disquisitione maxima sequerentur incommoda; quis, v. g., dicere vellet exoptandum esse ut cuncta peccata juramenti, blasphemiæ, fornicationis, aliaque similia pœnis *afflictivis* subjiciantur? Si ergo legislatores pœnas contra omnia hujusmodi peccata non decernant, non ideo statim increpandi sunt.

Ea præcipue igitur punienda sunt peccata quæ publicum ordinem perturbant et justitiam commutativam lædunt. Inter ea quædam vocantur simpliciter delicta, et alia dicuntur crimina. *Delicta* sunt minora peccata, quæ mitioribus pœnis solent affici, v. g., minuta furta, quædam infractiones legum in materia civili, etc. *Crimina* vero sunt majora peccata quæ gravioribus subjiciuntur pœnis, v. g., morti, laboribus publicis in perpetuum, exsilio vel deportationi, laboribus publicis ad tempus, incarcerationi, etc.

PUNCTUM QUINTUM. — De potestate supremæ auctoritatis circa bona temporalia subditorum.

Suprema auctoritas instituta est ut bono generali totius communitatis provideat : ergo iis omnibus quæ ad finem suum assequendum sibi necessaria sunt, instructa esse debet. Porro finem assequi non potest, nisi bona temporalia possideat; necesse est enim ut splendorem majestatis suæ convenienter ostendat, et sic reverentiam subditorum sibi conciliet; requiritur ut multos habeat ministros, præpositos, delegatos, etc., tum in ordine administrationis, tum in ordine judiciali, tum in ordine militari; semper parata esse debet ad bellum sustinendum : porro ad hæc præstanda, multa necessaria sunt bona temporalia, Ergo, etc.

Ordinarie quædam bona ad supremam auctoritatem, sub regimine monarchico, specialiter pertinent, et dicuntur *bona coronæ*. Princeps supremam auctoritatem exercens, præter bona sibi personalia quæ habere potest, reditus annuos bonorum coronæ percipit; sed communiter hujusmodi reditus ipsi non sufficiunt. Necesse est ergo ut ea quæ sibi desunt, aliunde obtineat. Illa autem legitime obtinere non potest nisi a subditis, qui omnes, proportione servata, ad onera publica concurrere tenentur; omnes enim bono reipublicæ juxta conditionem suam participant : ergo publicis oneribus similiter participare debent. Talis est conditio totius societatis politicæ : sic dictat ratio, et ita semper creditum est.

Alia sunt bona quæ dicuntur *biens de l'État*. Ad totam societatem pertinent et a *gubernio* applicantur ad varia onera sustinenda. Sed, cum sint insufficientia, qui supremam auctoritatem legitime exercent, exigere possunt a subditis tributa (a voce *tribuo*) oneribus publicis et sumptibus convenienter faciendis proportionata. A fortiori tributa imponere queunt populis in bello justo superatis, sive ad eos puniendos, sive ad expensas quæ factæ sunt compensandas, sive ad alios efficacius timore continendos.

Si autem proprietas alicujus privati ad bonum publicum sit necessaria vel utilis, qui supremam habet auctoritatem proprietarium ad eam cedendam cogere potest, quia pars toto cedere debet, recta ratione sic docente : hæc supremæ auctoritatis potestas in bona subditorum dicitur altum vel summum dominium. At, qui proprietate sua sic spoliatur, jus habet ad proportionatam compensationem ex denariis publicis percipiendam, quia non plus conferre tenetur ad bonum publicum quam cæteri cives. Vide opus *Grotii* jam pluries citatum, lib. 3, c. 20, n. 7, et *Puffendorf*, lib. 8, c. 5, n. 7. Attamen lex pro conquisitione novorum militum apud nos existens, non ideo æstimanda est injusta quia nulla compensatio juvenibus sorte designatis conceditur. Moraliter quippe impossibile fuisset talem compensationem pro singulis casibus recte determinare : sapientius ergo statutum est quod omnes cum æquali periculo sorti se committerent.

PUNCTUM SEXTUM. — De potestate reformandi vel perficiendi constitutiones regni.

Qui supremam auctoritatem exercet, illam non in ruinam, sed in utilitatem societatis sibi commissæ accepit. Quidquid ergo in detrimentum societatis manifeste vergeret, nullius esset roboris, nec proinde subditos obligaret. Sed, ex altera parte, ordo naturalis et tranquillitas publica vetant ne populi contra supremum auctoritatem insurgant : idcirco, si constitutio fundamentalis regni imperfecta esse videatur, illius reformationem cum debita reverentia postulare queunt subditi : at solius supremæ auctoritatis est eam concedere et convenienti modo ordinare.

Ludovicus XVIII, anno 1814, constitutionem a se promissam, sub nomine Chartæ, promulgare volens, illam exhibuit tanquam ex sola regia potestate manantem, dicens : « *Nous avons volontairement, et par le libre exercice de notre autorité royale, accordé et accordons, fait concession et octroi à nos sujets, tant pour nous que pour nos successeurs et à toujours, de la Charte constitutionelle qui suit,* » etc.

Antiqua Galliæ monarchia, anno 1814 restaurata, funditus anno 1830 fuit de novo eversa, et alia prodiit Charta quæ per annos decem et octo vim habuit. Anno autem 1848, post alteram perturbationem et rempublicam proclamatam, condita est constitutio huic regimini accommodata. Sed, aliis eventibus insperato consummatis, novum prodiit imperiale regimen cui nunc subjecti sumus.

SECTIO SEXTA.

De officiis supremæ auctoritatis erga subditos.

Qui supremam auctoritatem exercet, est respectu societatis politicæ sicut pater respectu familiæ. Defensioni igitur, saluti ac prosperitati ejus continuo invigilare, et subditos tanquam filios diligere eorumque felicitatem procurare tenetur.

Ut tanto munere sibi imposito accuratius fungatur, debet :

1° Diligentissime ea discere quæ sibi futura sunt necessaria, scilicet, status constitutionem, juris naturæ, gentium et civilis principia, scientiæ politicæ regulas, potestatum vicinarum astutiam aut calliditatem, mores hominum consuetos, eorum inclinationes et cupiditates, disciplinam militarem, artem dominandi, imperandi, timorem incutiendi, obedientiam obtinendi et majestatem regiam venerabilem exhibendi. Cum hæc omnia facultates uniuscujusque hominis longe superent, ab omni alia arte exercenda et scientia profitenda abstinere debet princeps ad supremam auctoritatem destinatus. Convenit tamen ut artium et scientiarum communes notitias habeat.

2° Cunctarum virtutum specimina in persona sua exhibeat ut subditos ad eas colendas tutius adducat : nam

Regis ad exemplar totus componitur orbis.

Unde princeps qui majestatem throni vitiis deturpat, innumerorum criminum quæ impedire debuisset, fit reus.

3° Curare debent optimi principes recta religionis do-

cumenta captui multitudinis accommodata circumquaque spargi, ut in mentes subditorum infusa, sicut ros in terram, abundantes virtutis fructus producant; inde enim totius prosperitatis vigor. Attendant ut perversæ doctrinæ a publicis scholis arceantur, et in eis probi, religiosi ac morum gravitate conspicui præficiantur magistri.

Non tamen tenentur principes falsas religiones jam existentes prohibere. Nam bonum temporale societatis ipsorum gubernio præcipue committitur : at fieri potest ut quædam falsæ religiones bono temporali societatis non noceant, aut non tam graviter noceant quam mala ex earum cohibitione obventura, propter turbas et seditiones probabiliter nascituras. Quinimo, falsos cultus protectione legali munire licet, prohibendo ne subditi illos exercere volentes vi opprimantur, injuriis afficiantur, aut quid aliud molestiæ patiantur. In hoc quippe nihil est mali; nam principes catholici talem libertatem conscientiæ permittentes, non sibi proponunt ut error persuadeatur, nec ad illum excitant; sed publicam tranquillitatem solummodo obtinere aut conservare volunt. Talis erat sensus articuli 5 Chartæ Ludovici XVIII, ut, nomine ejus, expresse declaravit Romæ D. *de Blacas*, die 15 julii an. 1817, et ut ait Pius VIII, die 29 septembris 1830, in brevi ad archiepisc. Turonensem : *Nihil est ex quo tunc edita declaratio ad sensum juramenti explicandum nunc revocata censeri debeat. Hinc fideles qui antea, propter memoratam declarationem, formula illa licite utebantur, hodie pariter poterunt eadem formula juramentum præstare novo regi Francorum, qui scilicet ad præsens, tranquillatis rebus, Galliæ regnum tenet.*

4° Caveant principes ne aliquid injustum importunis sollicitantibus cedant, vel ab adulatoribus decipiantur. Sciant se supremum habere Judicem cui strictissimam totius administrationis suæ rationem reddere tenebuntur; summopere studeant, sive per se et immediate, sive per suos præfectos et delegatos, felicitatem subditorum procurare et assecurare. In capitali hoc officio cætera ipsorum officia continentur.

SECTIO SEPTIMA.

De officiis subditorum erga supremam auctoritatem.

Suprema auctoritas nos regens potest esse legitima vel usurpata : in utroque casu non sunt eadem subditorum officia.

PUNCTUM PRIMUM. — De officiis subditorum erga supremam auctoritatem legitimam.

Officia subditorum erga supremam auctoritatem legitimam sunt generalia vel specialia.

Officia generalia, quæ, scilicet, omnes subditos, in quacumque conditione versentur, ligant, sunt : 1° principem honorare, venerari, obedientiam et fidelitatem ei præstare. Non licet igitur de illo detrahere, temere judicare, male sentire, aut contra illum murmurare. 2° Constitutionibus status in quo nascimur contenti esse, illis adhærere, eas defendere, et nunquam adversus illas mussitantes insurgere. 3° Bonum publicum propriæ utilitati anteponere, sua et seipsum pro aliorum necessitate libenter impendere. 4° Cunctis legibus fidele obsequium præstare, nisi forte evidenter forent injustæ; nam in eo casu nulla esset obligatio eis obtemperandi, quia ad injustum aut iniquum nullum dari potest vinculum. Unde millies potius moriendum esset quam, jubente principe, aliquid intrinsece et evidenter malum patrare, v. g., trucidare innocentem, pactum infringere, mentiri, etc. Sic olim innumeri Christiani maluerunt in acerbissimis cruciatibus exanimari quam adversus Christum blasphemare aut sanctissimam religionem ejus abnegare.

Officia specialia ea sunt quæ subditos in variis conditionibus relative ad supremam auctoritatem constitutos spectant, videlicet, eos qui functiones publicas exercent, quales sunt primarii ministri, consiliarii status (*membres du conseil d'État*), præfecti, subpræfecti, judices, urbium et provinciarum gubernatores, duces exercitus in gradibus

respectivis, episcopi, parochi, scientiarum professores, etc. etc. Ili omnes enim specialia sua habent officia, quæ singulatim explicare non possumus, nec etiam enuntiare, quia limites nobis præscriptos jam prætergressi sumus.

Abs re tamen forsitan non erit hic quasi per transennam notare eos qui, præ ignorantia, tarditate ingenii, defectu fortitudinis animi, sanitatis corporis, experientiæ, etc., ad officia alicujus functionis publicæ obeunda non sunt idonei, eam ambire aut sollicitare non debere, nec eam sibi oblatam acceptare, nec acceptatam retinere posse : tunc enim gravissimi peccati injustitiæ fierent rei, sæpe erga principem, et sæpius erga subditos sibi commissos. Hinc patet quam graviter culpandi sint juvenes qui, ad functiones maximi momenti aspirantes, non student, non reflectunt, non meditantur, tempus in otiositate, in comessationibus, in luxuria, in choreis aut in aliis vanis occupationibus frustra consumunt, et fiunt prorsus incapaces obeundi muneris quod cupiunt et quod nihilominus postea audacter suscipient, modo illud obtinere valeant.

Si functio publica deseratur vel amittatur, officia specialia ei annexa eo ipso cessant. Contra vero officia generalia ex natura sua sunt perpetua, nec unquam cessare possunt nisi persona ad alterius ditionem transeat; quod triplici modo tantum legitime fieri potest, videlicet, 1° ex libera principis legitimi concessione; 2° exsilio a legitima auctoritate decreto, et 3° jure belli aut fœdere pacis, nempe si alter princeps portionem regni obtineat.

Eadem sunt subditorum officia erga principem supremam auctoritatem ex necessitate tenentem, ac erga eum qui per electionem regularem aut per successionem legitime fuit constitutus. Id enim evidenter postulat supremus ordo societatis.

PUNCTUM SECUNDUM. — De officiis subditorum erga usurpatorem.

Certum est usurpatorem qui supremam auctoritatem vi aut astutia consequitur, magnum esse latronem, juxta

verba Scythæ apud Q. Curtium, l. 7, n. 33, et nulla acquisiisse jura in populum quem regere intendit. Attamen, cum leges faciat, populo imperet, pœnas decernat, etc., petitur quid in illo casu agere possint aut debeant fideles subditi?

Obsequium legitimo principi certo præstare tenentur, quandiu illud velut sibi utile postulat. Solo enim usurpationis facto a vinculo fidelitatis erga illum solvi non potuerunt. Hinc ad ipsius vocem debent arma contra usurpatorem sumere, illum expugnare, vincere et expellere, si possint.

At, ex hypothesi quod princeps legitimus obsequium non exigat, aut obsequium sit moraliter impossibile vel prorsus inutile, peccantne subditi obediendo usurpatori?

Aliqua distinctione hic opus est. Vel enim agitur de legibus jam antea existentibus, aut ab usurpatore conditis, sed ad tranquillitatem publicam vel ad prosperitatem regni conducentibus, vel de legibus aut mandatis contra legitimum principem directis.

In priori casu non solum possunt, sed tenentur subditi legibus obedire et obsequium usurpatori præstare, non quidem vi ipsius auctoritatis quæ nulla est, sed vi ordinis naturalis id evidenter postulantis. In societatibus enim politicis suprema lex est salus populi: atqui salus populi manifeste postulat ut in casu supradicto leges usurpatoris custodiantur; nisi enim servarentur, omnis ordo in confusionem mox verteretur, et ipse Status per præceps in ruinam abiret. Unde sapienter observat *Grotius* quod legitimus princeps saltem tacite jubet ut istæ leges serventur, quia supponi non potest illum destructionem regni sui velle.

Hinc colligitur magistratus civiles functiones publicas sub usurpatore acceptare et exercere posse. Necesse est enim, ex dictis, ut leges observentur; observari autem non possunt, nisi præponantur magistratus qui illarum observationi et publicæ tranquillitati continuo invigilent. Qui ergo tales functiones ex recta intentione suscipiunt,

contra voluntatem legitimi principis rationabiliter præsumptam non agunt, sed rem ipsi gratam faciunt, et causam ejus utilius fovent, quam si, vitam privatam eligentes, locum improbis hominibus vel usurpatoris fautoribus cederent. Quinimo, fidem suam usurpatori in his functionibus obeundis sub juramento obstringere possunt. Juramentum enim de re licita et laudabili fine præstitum illicitum esse non potest: at in eo casu juramentum est de re licita et laudabili fine præstatur. Ergo, etc. Verum, rebus mutatis et legitimo principe auctoritatem suam de novo obtinente, vinculum juramenti erga usurpatorem præstiti statim cessat, quia tunc fieret de re illicita.

In posteriori vero casu, id est, si usurpator aliquid contra legitimum principem directe jubeat, v. g., si præcipiat subditis ut vi armata illum repellant, aut adversus exercitum ejus debellent, tunc illi parere non licet, saltem quandiu causa legitima non est desperata; nam hujusmodi actus vera et activa esset participatio injustitiæ. Attamen qui ab usurpatore sub pœna mortis cogeretur ad militiam, non peccaret arma sumendo, vestem militarem induendo, inter agmina stando, donec tuto fugere posset; sed defensores legitimæ auctoritatis ferire non posset, nec periculo eos vulnerandi vel occidendi se exponere.

Milites qui sub usurpatore adversus hostes patriæ privatos aut publicos, internos vel externos, pugnant, culpari non debent, modo ex pura intentione agant. Tunc enim non causam usurpatoris defendunt, sed causam patriæ: porro semper licet causam patriæ defendere, quia ordo id præscribit, et in eo causa legitimi principis indirecte defenditur.

Verum, ut patriæ hostes haberi non debent extranei exercitus qui, partes legitimi principis defendentes, contra subditos ejus rebelles dimicant; potius velut amici et protectores æstimandi sunt. Sunt quidem onerosi, sed onera inde provenientia solis rebellibus tribui debent.

Partes vero usurpatoris directe tuendas suscipere non licet, donec pro legitimo hærede nulla spes moraliter affulgeat.

Vide, circa usurpatorem, *Grotium*, l. 1, c. 4, n. 15, *Puffendorf*, l. 7, c. 8, n. 10, et circa totam quæstionem de auctoritate publica, *Goguet, de l'Origine des lois*, 3 vol. in-4°, vel 6 vol. in-12; *Pey, de l'Autorité des deux puissances*, 3 vol. in-8°, t. I.

EXPLICIT MORALIS.

INDEX.

Paginæ.

PRÆFATIO. 1
CAPUT I De quarumdam vocum explicationibus. 7
CAP. II. De definitione philosophiæ. 11
Articulus I. De definitione in genere. 12
Art. II. De vera philosophiæ definitione. 14
CAP. III. De divisione philosophiæ. 17
Art. I. De divisione in genere. . . . . *ib.*
Art. II. De genuina philosophiæ divisione. 18
CAP. IV. De argumentatione. 20

PARS PRIMA PHILOSOPHIÆ.

DISSERTATIO I. DE IDEA. 23

CAP. I. De idea prout in mente existit. . . . . *ib.*
Art. I. De idearum divisione. 26
Art. II. De idearum proprietatibus. 28
§ I. De idearum veritate et falsitate. . . . . *ib.*
§ II. De claritate et obscuritate idearum. 29
§ III. De idearum distinctione et confusione. 30
§ IV. De idearum comprehensione et extensione. . . . *ib.*
Art. III. De functionibus mentis circa ideas. . . . *ib.*
§ I. De attentione. 31
II. De idearum abstractione. 32
§ III. De idearum comparatione. 33
CAP. II. De idea prout signis extra mentem profertur. . . 34
Art I. De gestu. 35
Art. II. De voce seu locutione. 36
Art. III. De scriptura. 37

DISSERTATIO II DE JUDICIO. 40

CAP. I. De judicio prout in mente latet. 41
Art. I. De natura judicii. . . . . *ib.*
§ I An judicium sit actus mentis positivus 42
§ II. An judicium sit actus simplex. . . . . *ib.*
Art. II. De causa efficiente judicii. 44
Art. III. De divisione judicii. . . . . *ib.*
CAP. II De judicio prout per verba extra mentem profertur. 46
Art. I. De proprietatibus propositionis. 48
§ I. De proprietatibus propositionis absolutis. . . . . *ib.*
Sectio I. De quantitate propositionis. . . . . *ib.*
Sect. II. De qualitate propositionis. 52
Punctum I. De affirmatione et negatione propositionis . *ib.*

Paginæ.

Punct. II. De veritate et falsitate propositionum. . . 55
§ II. De proprietatibus propositionum relativis. . . . 57
Sect. I, De conversione propositionum. . . . . *ib.*
Sect. II. De oppositione propositionum. 60
Punct. I. De speciebus oppositionis propositionum. . 61
Punct. II. De proprietatibus oppositionis propositionum. 62
Punct. III. De usu oppositionis propositionum. . . . 64
Art. II. De variis propositionum speciebus. 65
§ I. De propositione complexa. 66
§ II. De propositionibus compositis. 68

DISSERTATIO III. De ratiocinio. 70

Cap. I. De materia et forma syllogismi. 72
Cap. II. De regulis syllogismorum. 74
Art. I. De regulis syllogismorum juxta veteres. . . . *ib.*
Art II. De regula generali pro omnibus syllogismis, juxta recentiores. 81
Cap. III. De variis syllogismorum speciebus 85
Cap. IV. De aliis, præter syllogismum, argumentationis speciebus. 87
Cap. V. De diversis sophismatibus. 91
§ I. De diversis sophismatum speciebus. 92
§ II. De fontibus sophismatum et errorum. 95

DISSERTATIO IV. De methodo. 100

Appendix. De demonstratione. 105

DISSERTATIO V. De certitudine. 107

Cap. I. De certitudinis divisione. 110
Cap II. De existentia certitudinis, ubi duplex pyrrhonismus, objectivus et subjectivus, confutatur. 111
Cap III. De motivis certitudinis. 123
Art I. De sensu intimo. 124
Art II. De evidentia. 127
Quæritur utrum evidentia possit esse major vel minor. 134
Art. III. De relatione sensuum. 136
Art. IV De consentione hominum in moralibus. . . . 146
Art V. De testimonio hominum 149
§ I. Nonnulla præmittuntur notiones necessariæ. . . . 150
I. De notionibus quæ spectant facta. . . . . *ib.*
II. De notionibus quæ testes respiciunt. 151
§ II. De pyrrhonismo historico. . . . . *ib.*
§ III. De auctoritate testimonii hominum in factis historicis. 155
Sect. I De auctoritate testimonii hominum in factis naturalibus. . . . . *ib.*
Sect. II. De auctoritate testimonii hominum in factis supernaturalibus. 168
Art VI. De memoria. 173
Art. VII. De analogia. 175
Art. VIII. De motivo probabili. 178
Conclusio. *De criterio certitudinis.* 180

Paginæ.

Appendix De methodo disputandi. 181
I. Dissertation *sur le fondement de la certitude. Principales opinions des anciens philosophes. — Systèmes de Descartes et de M. de Lamennais.* 185
II. Dissertation *sur plusieurs autres systèmes, en ce qui concerne la vérité et la certitude.* 202

PARS SECUNDA PHILOSOPHIÆ.

METAPHYSICA.

DISSERTATIO I. De ontologia. 211
Caput I. De notione, essentia et possibilitate entis in genere. *ib.*
Cap. II De causis et effectibus entium. 214
Cap. III. De variis speciebus entis. 221
Art I. De substantia et modo. . . . . *ib.*
Art II. De finito et infinito. - De idea infiniti. . . . 223
Art. III. De ente materiali et spirituali, ubi de divisibilitate materiæ. 226
Cap. IV. De proprietatibus absolutis et relativis entis, ubi de numero. 229
Cap. V. De spatio et tempore. 234
DISSERTATIO II. De pneumatologia. 237

PARS PRIMA PNEUMATOLOGIÆ.

De Deo et ipsius attributis. 238
QUÆSTIO I. *De existentia Dei* . . . . . *ib.*
Cap. I De theismo et atheismo inter se comparatis. . . 239
Art I. An quis prudenter manere possit indifferens circa Dei existentiam. . . . . *ib.*
Art. II De incommodis ex atheismo sequentibus. . . 242
Art. III. An theismus præstantior et optabilior sit atheismo. 246
Art IV. An theismus atheismo sit tutior. 247
Art. V An atheismus polytheismo sit pejor. 248
Cap. II. De præcipuis argumentis quibus existentia Dei demonstratur. 250
Art I De argumentis metaphysicis. 251
Argumentum I. Ex ente necessario. . . . . *ib.*
Argum II. Ex idea Dei. 257
Argum III. Ex propria existentia nostra. 260
Argum. IV Ex creatione materiæ. 261
Argum. V Ex necessitate primi motoris. 265
Art. II. De argumentis physicis. 267
§ I. De systemate Epicuri. 268
§ II. Exponuntur argumenta physica Dei existentiam adstruentia 271
Argum. I. Ex inspectione orbis petitum. 272
Argum. II. Ex formatione corporis nostri. 278

Paginæ.

Art. III. De argumentis moralibus. 279
Argum I. Ex consensu populorum deductum. . . . . *ib.*
Argum II. Ex stimulis conscientiæ petitum. 287
QUÆSTIO II. *Quid sit Deus, seu quænam sint ejus attributa.* 288
De aseitate Dei et de ipsius attributorum distinctione. . *ib.*
CAP De Dei unitate. 292
Art. I. De unitate Dei, adversus Gentiles. . . . . *ib.*
Art.II De dualismo seu de duobus Manichæorum principiis. 295
Art. III De origine mali sub unico ente summe bono. . 296
CAP. II. De æternitate Dei. 306
CAP. III. De immutabilitate Dei. 309
CAP. IV. De libertate Dei, ubi sententia D *Cousin* impugnatur. 311
De optimismo. 316
CAP V. De independentia et omnipotentia Dei. De creatione. 318
CAP. VI De simplicitate Dei. 320
CAP. VII. De immensitate Dei. 322
CAP. VIII De intelligentia et scientia Dei. 324
CAP. IX. De sapientia Dei. 335
CAP. X. De sanctitate et veritate Dei. . . . . *ib.*
CAP. XI. De bonitate et beatitudine Dei. 336
CAP. XII. De justitia Dei. 337
CAP. XIII. De divina Providentia. 338
Art I. De divinæ Providentiæ existentia. . . . . *ib.*
Art. II. De rerum omnium conservatione. 345
Art. III. De influxu Dei in liberas hominum actiones. 345
§ I An Deus in liberas hominum actiones revera influat. *ib.*
§ II. Qualis sit ille divinæ Providentiæ influxus in actiones liberas hominum. 347
DISSERTATION *sur le panthéisme ; son histoire. Exposé et réfutation des divers systemes.* 348

PARS SECUNDA PNEUMATOLOGIÆ.

DE ANGELIS. 358
CAP I De angelorum existentia. . . . . *ib.*
CAP. II. De numero angelorum. 361
CAP. III. De variis angelorum ordinibus. 362
CAP. IV. De angelorum essentia 364
CAP. V. De angelorum intellectu, voluntate et inter se locutione. 368
CAP. VI. De culpa et pœna angelorum 371
CAP. VII De angelorum ministeriis 375
CAP. VIII. De Angelorum potentia. 378

PARS TERTIA PNEUMATOLOGIÆ.

DE MENTE HUMANA 388
CAP. I. De facultatibus mentis humanæ. 389
Art I De intellectu. . . . . *ib.*
§ I. De idearum origine et natura. 390
Sect. I. De variis circa hanc questionem systematibus. *ib.*

Pagiuæ.
Punct. I. De variis sensualistarum systematibus. . . *ib.*
Punct. II. De variis idealistarum systematibus. . . . 391
Sect. II. Quid, juxta nos, sentiendum sit de hac difficili quæstione. 394
§ II. De expressionibus idearum seu de linguarum institutione. 398
Sect. I De significatione vocum quibus linguæ componuntur. *ib.*
Sect. II. De inventione linguarum. 400
Sect. III. De inventione scripturæ. 405
Art. II. De libertate humana. 405
Cap. II. De natura mentis humanæ, seu de spiritualitate ejus. 415
Scholium. Quid sentiendum, præpter spiritualitatem, circa naturam mentis humanæ. 431
Cap. III. De unione mentis humanæ cum corpore. . . . 432
Art. I. De initio unionis mentis cum corpore. 433
Art. II. De natura unionis mentis cum corpore. . . . 436
Art. III. De consectariis unionis mentis cum corpore. . 438
Scholium. 444
De systemate doctoris Gall. 445
Cap. IV. De mentis humanæ destinatione. 446
Art. unicus. Utrum mens, destructo corpore, necessario pereat, an vero pro altera reservetur vita. 447
Cap. V. De belluis. 450

PARS TERTIA PHILOSOPHIÆ.

MORALIS.

Notiores prævicæ. 461
DISSERTATIO I. De actibus humanis in genere. . . . 463
Cap. I. De bonarum malarumque actionum differentia. *ib.*
Art. I De discrimine inter bonum et malum morale. . . *ib.*
Propositio. Bonum et malum morale essentialiter differunt. 464
Art. II. De obligatione faciendi bonum et vitandi malum, seu de legis naturalis existentia. 475
Prop. Existit lex naturalis. 476
Art. III. De legis naturalis promulgatione. 479
§ I. An et quomodo lex naturalis sufficienter promulgetur. *ib.*
§ II. An in præsenti rerum statu lex naturalis invincibiliter ignorari possit. 480
§ III. De conscientiæ divisionibus. 481
Art. IV. De legis naturalis immutabilitate. 482
Prop. Lex naturalis nullam proprie dictam admittit mutationem, neque per abrogationem, neque per derogationem, neque per dispensationem. . . . . *ib.*
Art. V. De sanctione legis naturalis. 485
Prop. I. Post præsentem, altera exstitura est vita beata vel misera, secundum uniuscujusque opera. . . . *ib.*
Prop. II. Æternam fore beatorum felicitatem fides et ratio fortiter suadet. 489

Pagiuæ.

Prop. III. Repugnare pœnas æternas in altera vita demonstrare nequeunt increduli. 490
Cap. II. De bonarum et malarum actionum principiis. . . 494
Cap. III. De regulis quibus actiones bonæ a malis secerni possunt. 496

DISSERTATIO II. De actibus humanis in specie. . . . *ib.*

Cap. I. De officiis hominum erga Deum. 497
Art. I. De necessitate religionis. 498
§ I. Necessitas religionis ex natura Dei et hominis adstructa. *ib.*
Prop. I. Deo debetur cultus internus. . . . . *ib.*
Prop. II. Deo debetur cultus externus. 504
Prop. III. Deo debetur cultus solemnis, id est nomine religiosæ societatis exhibitus. 506
§ II. An religio sit necessaria relative ad societatem et homines privatos 510
Prop. I. Religio est fundamentum societatis, ita ut societas nec prosperare nec etiam existere possit sine religione. *ib.*
Prop. II. Religio necessaria est homini privato seu respectu ejus, est fons multorum bonorum ; irreligio vero radix multorum malorum. 512
Art. II. De religionis naturalis insufficientia. . . . 513
Prop. I. Ratio sufficere potest ad plurima cognoscenda legis naturalis officia saltem distributive sumpta. . 513
Prop. II. Sine revelatione moraliter impossibile erat colligere et convenienter docere corpus religionis quo Deus debito modo honoraretur. 516
Prop. III. Sine revelatione absolute impossibile est cognoscere plurima quorum notitia magni nostra interest. 525
Corollarium. 527
Scholium. . . . . *ib.*
Art. III. De indifferentia circa religiones. 528
Prop. I. Nemo potest, tuta conscientia, in deismo conquiescere et omnem revelationem rejicere. . . . *ib.*
Prop. II. Nullus manere potest indifferens circa diversas religiones quæ dicuntur revelatæ. 529
De intolerantia. 537
Corollarium. 538
Cap. II. De officiis hominis erga seipsum. 539
Art. I. De officiis hominis quæ spectant ejus animam. . *ib.*
§ I. De officiis hominis relative ad intellectum. . . . *ib.*
Prop. Scientiæ et artes per seipsas hominem non depravant, nec damnari possunt ut malæ. 541
§ II. De officiis hominis quæ voluntatem respiciunt, ubi de periculis vitandis cautionibusque habendis. . . 546
Art. II. De officiis hominis quæ corpus ejus spectant. . 549
§ I. De obligatione servandi unionem mentis cum corpore. 550
Prop. Lex naturalis stricte prohibet liberam sui ipsius occisionem. . . . . *ib.*

Paginæ.
§ II. Quænam sint consectaria obligationis servandi corpus. 560
Cap. III. De officiis hominis erga alios homines. . . . 561
Art. I. An homo natus sit ad societatem. 562
Prop. Homo natus est ad societatem cum aliis hominibus incundam. 562
Scholium. 568
Art. II De officiis hominis erga alios homines generatim sumptos. . . . . *ib.*
§ I. De positivis officiis nostris erga alios generatim spectatos. *ib.*
§ II. De officiis nostris negativis erga alios homines generatim spectatos. 571
Sect. I. De homicidio. . . . . *ib.*
Punct. I. An injustum vitæ aggressorem occidere liceat. *ib.*
Prop. Qui aliter propriam vitam defendere nequit, injustum aggressorem occidere potest. . . . . *ib.*
Punct. II. An singularia certamina sint licita. . . . 575
Prop. Prorsus illicita sunt singularia certamina privata auctoritate suscepta. . . . . *ib.*
Sect. II. De furto. 579
Punct. I. De proprietate. . . . . *ib.*
De origine proprietatis. . . . . *ib.*
De variis modis proprietatem bonorum acquirendi. . 581
Punct. II. De furto aliisque injustitiis. 584
Art. III. De officiis hominis erga alios homines in variis speciebus societatis consideratos. 585
§ I. De societate domestica. — Hodiernorum *Socialistarum* systemata . . . . . *ib.*
Sect. I. De societate conjugali. 586
Punct. I. De cœlibatu. 587
Prop. Cœlibatus ex natura sua bonus est ac honestus. . 588
Punct. II. De unitate matrimonii. 589
Punct. III. De matrimonii indissolubilitate. 590
Prop. Sola ratione ostenditur matrimonii vinculum usque ad mortem alterutrius conjugis esse duraturum, et divortium proprie dictum admitti non posse. . . . . *ib.*
Scholium. 595
Punct. IV. De matrimonii impedimentis, sive de personis quæ matrimonium secum inire nequeunt. . . . *ib.*
Punct. V. De officiis conjugatorum. 597
Sect. II. De societate paterna. . . . . *ib.*
Punct. I. De officiis parentum erga filios. . . . . *ib.*
Punct. II. De officiis liberorum erga parentes. . . . 599
Sect. III. De societate herili. 601
Punct. I. De famulis. . . . . *ib.*
Punct. II. De servis proprie dictis seu mancipiis. . . 602
Prop. Status servitutis, in se spectatus, absolute est licitus. 603
§ II. De societate politica. 605
Sectio. I. De origine societatis politicæ. . . . . *ib.*
Prop. Suprema auctoritas gubernandi populum a solo

Paginæ.

Deo tanquam a primario fonte repetenda est. Refelluntur systema *Rousseau* circa primordialem conventionem ad sensum suum intellectam et doctrina de suprema potestate populi. 607
Sect. II. De divisione societatis politicæ. 611
Punct. I. De notionibus triplicis regiminis politici, videlicet, monarchici, aristocratici et democratici. . . *ib.*
Punct. II. Quodnam ex triplici regimine politico sit anteponendum. 613
Prop. I. Regimen monarchicum omnium est perfectissimum. 614
Prop. II. Monarchia hæreditaria anteponenda est monarchiæ electivæ. 615
Sect. III. De titulis quibus summa auctoritas acquiritur. 616
Sect. IV. De characteribus supremæ auctoritatis. . . 618
Punct. I. De independentia supremæ auctoritatis. . . *ib.*
Punct. II. De inviolabilitate supremæ auctoritatis. . 619
Punct. III. De unitate supremæ auctoritatis. 620
Punct. IV. De perpetuitate supremæ auctoritatis. . . . 621
Sect. V. De attributis supremæ auctoritatis. 622
Punct. I. De potestate bellum indicendi et faciendi. . *ib.*
De bellis justis. 623
De bellis injustis. . . . . *ib.*
De modo bellum faciendi. 624
De jure acquisito in bello. 626
Punct. II. De potestate pacem concludendi et fœdera ineundi. . . . . *ib.*
Punct. III. De potestate leges condendi. 628
Punct. IV. De potestate justitiam exercendi, crimina atque delicta puniendi. 629
De pœnis in genere. . . . . *ib.*
De pœna mortis. 630
Prop. Suprema auctoritas pœnam mortis contra malefactores decernere potest. 631
De criminibus et delictis puniendis. 634
Punct. V. De potestate supremæ auctoritatis circa bona temporalia subditorum. 635
Punct. VI. De potestate reformandi vel perficiendi constitutiones regni. 636
Sect VI. De officiis supremæ auctoritatis erga subditos. 637
Sect. VII. De officiis subditorum erga supremam auctoritatem. 639
Punct. I. De officiis subditorum erga supremam auctoritatem legitimam. . . . . *ib.*
Punct. II. De officiis subditorum erga usurpatorem. . . 640

FINIS.

Cenomani, ex Typis GALLIENNE.

382

100 100
B8? B57
10/10/2000
MCG

Bouvier, JB.
AUTHOR
Institutiones Philsophieae
TITLE